

PRÆLECTIONES
IN DUOS LIBROS
FEUDALIUM

Consuetudinum, moribus, & monumentis illustratos.

His accedunt. Prima dissertatio de fructibus feudi. Secunda de meliorationibus feudi, titulus de Regulis juris, titulus de Verborum significatione.

AUCTORE

FRANCISCO ANTONIO MAGLIANI

REGIO AQUILÆ AUDITORE.





NEAPOLI MDCCLXXV.

SUPERIORUM FACULTATE.

Cum hoc volumen capere non posset leges feudales Europæ, & Tabulas clientelares, ideo has exponemus tomo separato, cui titulus erit, Prænotiones feudorum Europæ.

INDEX
TITULORUM, & §§.
LIBRI II.
TITULUS I.

TI-

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

PRÆ.

PRÆLECTIONES
IN DUOS LIBROS FEUDALIUM CONSUETUDINUM
LIBER I.
TITULUS I.
De his qui feudum dare possunt, & (qui non:) & qualiter adquiratur, & retineatur.



Eudista de clientelaribus in Italia moribus acturus, primum ab iis, qui feudum dare possunt, exorditur; deinde originem attingit, postremo nonnullas denominationes, & qualitates declarat. Verum quia de origine satis in prologom. tantum de personis feuda conferentibus, & feudorum qualitate disserere decrevi.

§. I.

De laicis infeudantibus.

Quilibet feudum concedere poterit, qui rei suæ liberam habet alienandi facultatem, sive laicus, sive clericus, fæmina, aut masculus, sive Comes, Marchio, Dux, supremus Princeps, Imperator, Rex, sive privatus, nobilis, aut rusticus fuerit *h. t.*, 11. *f.* 3. De fæmina, & privato dubitatum est, quia jurisdictionem ex infeudatione ortam habere non possunt, nec dignitate fulgent. Obtinuit tamen: nam si fæmina a jurisdictionis exercitio removetur, id jus civile constituit, cui Europæ consuetudo renunciavit, ut in Regnis Hispaniæ, Britanniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Daniæ, Ducatibus, præsertim cum hodie jurisdictio patrimonialis evaserit. Si fæmina, aut privatus jurisdictionem consequitur, non ipse infeudationis actus, sed lex feudalis attribuit, quæ cuique liberam

A	suæ

suarum rerum administrationem habenti infeudationem, ex qua tacite jurisdictio nascitur, concedit, Gudelin. *de jur. feud. par.* 11. *c.* 1. *n.* 1. Buddingh. *disser. de Orig. & Nat. contr. feud.* §. 35., Christin. *decis. Belg. to.* VI. 8. *n.* 4. obstat Frider. I. *in* II. *f.* 27. §. 5. ubi Rusticis armorum usum interdicit, igitur feuda, quæ militare servitium requirunt, non concedunt. Male: rusticis, arma vetantur, ne lædant, homicidia committant, ne seditiones facienti auxilium præbeant. Neque hic jurisdictionis nomen, merum, mixtumque imperium continet, sed inter suæ curiæ convasallos, seu pares potestatem complectitur. Quod ex moribus Italiæ, facile oriri poterat, dum civilia bella, represaliæ, privatæ inimicitiæ, seu faidæ continuo arderent. Mihi tamen nullum in media ætate infeudationis exemplum a Rusticis actum occurrit.

§. II.

De prohibita infeudandi facultate.

Ex hac regula excipitur ille, qui liberam rei suæ administrationem non tenet, sicut Furiosus, prodigus, minor, mutus & surdus, maritus in re dotali. Furiosus, quia voluntate caret, nec contrahere valet, nec obligari, nec intelligit, quid agit, & furor est mentis ad omnia cæcitas *l.* 5. *l.* 40. *D. de R. J.* Prodigus, cui Prætor bonis interdixit, furioso comparatur, non simpliciter, sed respectu obligationum, & bonorum, ut sicut furiosus bona sua alienare, aut se obligare nequit, ita & prodigus, etsi in ceteris plurimum differant *d. l.* 40. *l.* 6. *de V. O.* Minor de suo allode investituram agere prohibetur II. *f.* 3. *pr.*, quia bona sua sine curatoris auctoritate alienare nequit. Ante orationem D. Severi, Tertyllo, & Clemente Coss. tum mobiles, tum immobiles res sola tutoris, aut curatoris auctoritas recte alienabat, postea D. Severus in rebus immobilibus decretum magistratus exegit *l.* 8. §. 1. *l.* 1. §. 2. *D. de Rebus eor. qui sub tut.* quod de pupillo etiam sensiendum. Mutus & surdus a natura non potest feudum constituere, quia suam voluntatem declarare non valet, si ex accidente talis evasit, scriptura, aliove gestu suam mentem exprimit, recte infeudat, Sonsbec. *part.* VI *n.* 25. & 26., Rothius *in Pand. feud. cap. v. q.* 30. Quæsitum est, an hujusmodi personæ vel judicii imbecillitate, vel naturæ impedimento detenti, ne bona sua administrent, si feudum de novo concedere velint, tutoris, & curatoris auctoritas sufficiat. Negat Rothius *loc. cit q.* 29. & 30. de mino-

minore, & muto & furdo: non recte: nam infeudare nihil aliud eft, quam allodium adminiftrare, quod fæpe neceffitatis cauffa, & meliore Minoris conditione celebratur. Si adminiftratio conceditur tutori, aut curatori, cur infeudatione ganda, etfi Prætoris decreto, quum res immobilis fit, indigeat, Joan. Fleifcherus *Inft. juris feudal. cap. VI.* §. 19. Struv. *f. j. f. Cap.* v. 4. 4. Maritus dotem in feudum dare non poteft, quia lex julia de fundo dotali alienationem inhibet *Inft. quibus. alien.* Procurator etfi univerfalis res Domini non infeudat, quia adminiftratio quamvis libera, donandi jus non habet *l. 7. D. de donat. l. 28. §. 2. D. de pact.*, Scrad. *par.* VI. *c.* I. *n.* 71. nifi ad infeudationem fpecialiter conftituatur. Filiusfamil. de peculio Caftrenfi, vel quafi, infeudat, quia libera de eo adminiftratione fruitur, non de peculio profectitio, nec adventitio, cujus ufusfructus patri adquiritur, quum hoc, inconfulto Patre, alienare non poffit *l. ult. §. 5. C. de bonis, quæ liber.* Sed fi filius proprietatem fimul, & ufumfructum habeat, inter vivos recte infeudat, non cauffa mortis, quia teftamenti factio Patri, non filio a lege data eft, nec patris confenfu indiget Wiffenbac. *ad d. §. 5.* Rothi. *loc. cit. q.* 28. Struv. *loc. cit. A. S. l. 63. D. de procurator.*

§. III.

De aliis, qui infeudare poffunt.

Si hujufmodi perfonæ omnino privatæ fuum alode infeudant, multo magis Imperator, & quilibet in fuo dominio Princeps fupremus, bona & patrimonialia, & domanialia infeudare poteft, modo falus publica non periclitetur, imo feuda majora nempe ducatum, Marchionatum, Comitatum imperio aperta infeudare tenetur, ne vires imperii deficerent. Hæc feuda, quæ imperio aperiuntur, vel funt Electoralia, vel Principum, & Comitum, vel minora. Si quis ex Electoribus decedat, feudum electorale caducum evadit, & Imperator ftatim conferre debet, ne Electorum numerus diminueretur. Excipi oportet Regnum Bohemiæ, cum extincta regali familia Bohemi jus eligendi novum Regem fibi vindicent. Verum in collatione Electoratus Imperator Electorum confenfu, moribus jam receptis, indiget. Sicut Imperator Sigifmundus in Concilio Conftantienfi an. 1417. Fridericum Burgravium Norimbergenfem de Marchia Brandenburgica confenfu Electorum inveftivit, Joan. Fleifcherus *Inftr. jur. feud. cap.* VI. §. 4. Ducatus,

& ceteras majores clientelas consensu quoque omnium statutum confert, ut *lib.* 11. *tit.* 10. dicam. Duces quoque, Comites, Marchiones, quos Lombardia *Capitaneos*, vel *valvasores majores* dixit, recte infeudant §. *ult. h. t.*, quorum clientes simpliciter valvasores, vel vassos dominicos, vel Regis valvasores dicebat. Sæpe tamen Gallia vassos dominicos vocabat eos, qui a Rege loca, & prædia fiscalia in feudum acceperant, in subditos jurisdictionem ad vectigalia, & census exercebant, Cujac. *hic*, janus a Costa *ad cap.* v. *lib.* 11. *decret. tit.* 1., Roth. *loc. cit. q.* 12. A valvasoribus simpliciter dictis qui feuda cognoscerent, minores valvasores, vel valvasini dicebantur. De Ducibus, & Comitibus, inquit, *hic* feudista, *Dux, Marchio, & Comes similiter feudum dare possunt, qui proprie Regni, vel Regis Capitanei dicuntur. Sunt & alii, qui ab istis feuda accipiunt, qui proprie Regis, vel Regni Valvasores dicuntur: Sed hodie Capitanei appellantur, qui & ipsi feuda dare possunt. Ipsi vero, qui ab eis accipiunt feudum, minores valvasores dicuntur.* Jus Longobardicum quatuor vasallorum ordines distinguit, valvasores majores, valvasores minores, valvasinos, & minimos valvasores, ut feudista *prin. & fine h. t.* declarat, & constitutio Conradi Salici majorum & minorum valvasorum, apud Cujac. *in fine de feudis*, & Gotofr. *eo.* meminit. Et intelligere videtur Innoc. III. *in Regesto edit. Baluzii epist.* 88. qui Ferrariensi, Papiensi, & Placentino Episcopis scribit, *Apostolicæ Sedis negotia fiducius vobis committimus exequenda consilium, & auxilium venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, & Dilectorum filiorum Rectorum, Potestatum Consulum, Marchionum, Comitum, & aliorum nobilium Lombardiæ duximus requirendum.* Et in *lib.* 11. *tit.* 10. dabo.

Præterea in fine ait, *notandum est autem, quod illud beneficium, quod a Regis Capitaneis, aut Regis, vel Regni valvasoribus aliis impenditur, proprie jure feudi censebitur. Illud vero, quod a minoribus in alios transfertur, non jure feudi judicatur: (licet aliter in Curia Mediolanensi observetur) sed quando voluerint, recte auferre queunt: nisi Romam cum illis in exercitu perexerint: quo casu in jus feudi transit, & adjudicatur: vel nisi aliquid propter feudum accepserint: tunc enim nisi restituto pretio auferre non possunt.* Feudum, quod a Capitaneis, & Regis valvasoribus datur, est proprium; quod vero a minoribus iterum subinfeudatur, non est feudum, etsi Mediolanenses feudum putarent, quando lubet, revocant. Exceptis casibus, nisi Valvasinus Romam in expeditione perrexerit, dum Imperator Coronam accipit, aut si aliquid propter feu-

feudum dederit, tunc nisi pretio restituto, auferre non potest, *d.* §. *ult. h. t.* Vultej. *lib.* I. *c.* 4. *n.* 14. Et hæc jure vetere: hodie valvasor major, aut minimus feudum sine culpa, caussa cognita auferre nequeunt, quum proprium censeatur I. *f.* 21. Alver. *hic n.* 7. Glos. *hic in fin.*

§. IV.

De Clericis infeudantibus.

Tantum de laicis: nunc ad clericos. Et quidem S. Pontifex bona suæ Ecclesiæ, videlicet D. Petri patrimonium, & latifundia recte infeudat, non autem ceterarum ecclesiarum, nisi legitimi administratoris, hoc est Episcopi consensus interveniat. In rebus arduis, sicut Cardinalium, ita & in infeudatione magni momenti consilium adhibere solet, *cap.* XVII. *de elect. in 6.* Sic Innoc. III. *lib.* XV. *Ep.* 114. ubi Marcualdus Dei & Ecclesiæ inimicus, cum desæviret, & Siciliam ferro flammaque vastaret, & Pontifex esset balius regni, Marascallum in Siciliæ liberationem misit, qui cum multa egisset in compensationem laborum castrum Nimphæ, quod olim Eugenius Papa pro octongentis libris Cencio Frajapani, & O. & C. obligarat, denariorum lucensium, & deinde Innoc. hic pecuniam solvit, & in feudum huic Marescalco dedit ibi: *cum omnibus pertinentiis, & utilitatibus suis tibi pro summa mille librarum Provenienfium de senatu de fratrum nostrorum consilio obligavimus, tamdiu tam a te, quam tuis heredibus detinendum, donec prædicta pecunia tibi, vel eis esset integre persoluta ex tunc ad Romanam Ecclesiam libere reversurum. Ne autem si fructus, quos ex eodem castro perciperes, computare cogereris in sortem, plus ad incommodum, quam commodum tuum hæc obligatio redundaret, vel si aliud faceres, pro temporali lucro animæ dispendium patereris, cum sis obsequiis nostris in Marescaltiæ officio deputatus, prædictum castrum in feudum tibi tamquam Marescalco nostra de solita sedis apostolicæ liberalitate concessimus, ita tamen quod nostro concessio nec nobis, nec successoribus nostris præjudicium generaret, quominus illud recolligere valeremus, feudo tamen tua vita durante. Cum igitur tibi persolverimus pecuniam prætaxatam, & tu nobis legitimam refutationem feceris super ea, ne super feudo ipso propter hoc valeas molestari illud tibi juxta prædictæ concessionis tenorem auctoritate apostolica confirmamus.*

Legatus a latere in provinciis licet beneficiorum collationem habeat, & ecclesiastico, non laico patronatui derogare valeat, *cap.* VI. *de offic. leg.*,

leg., tamen infeudare bona ecclesiarum suæ provinciæ non conceditur, Thomasin. *de V. & N. e D. lib.* 1. *par.* 2. *c.* 52. *n.* 2., Curt. *par.* 2. *q.* 13., Rosent. *cap.* IV. 16. 4. Imo beneficiorum collatio legatis competens, est usurpatio, & tunc cepit, cum Pontifices mandata de providendo, & reservationes beneficiorum in diversis orbis catholici diœcesibus, contra Episcoporum jura sibi adrogassent. Tunc legatus vicem Pontificis gerens, facile beneficia conferebat, *cap.* IV. *de supplen. negl. Prælat.* Hæc reservatio Alexandrum III. auctorem habet, late Florens *in tit. decr. de rescrip.*, janus a Costa *eo.*, Thomasin. *loc. cit. n.* 7.

§. V.

De rebus infeudari solitis.

Præter Pontificem, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi bona suarum Ecclesiarum nondum infeudata de novo in feudum concedere possunt, si S. Pontificis licentia, Capituli consensus, & justa caussa interveniat *pr. b. t.* ibi, *feudum autem dare possunt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum dare* 1. *f.* 6., *cap.* 8. *in fi. de rebus eccl. alien.* Justa caussa est, necessitas, pietas, utilitas, incommoditas, Extrav. *ambitiosæ*, quæ est Pauli II. an. 1467. non ubique recepta, præsertim si de terrulæ, vineolæ, alteriusve rei immobilis modici pretii infeudatione agitur, Vallens. *tit. decr. de rebus eccl.* §. 2. & 3., Struv. *S. J. f. cap.* v. *A.* 9. In rebus infeudari solitis nulla canonica opus est solemnitate, quia non alienatio, seu nova infeudatio, sed antiquæ infeudationis executio dicitur; *si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum dare*, inquit *hic* feudista. Vox *antiquitus*, hoc est *solita infeudatio*, quid Interpretes vexat? Nonnulli 30. annos requirunt, quia hoc spatium jus feudale cognoscit 11. *f.* 26. §. *si quis per triginta*: male: nam res ecclesiæ non nisi 40. an. præscribuntur *cap.* 4. *de præscript.*, *Novel.* 131. *c.* 6. Alii tempus immemoriale exigunt; non recte: quia bona ecclesiæ breviori spatio adquirantur. Alii 10. annos admittunt. Lege indigemus, igitur arbitrio judicis relinquendum, qui & numero actuum, ceterisque circumstantiis æstimabit, Vultej. *lib.* 1. *cap.* v. *n.* 14. Gudelin. *par.* II. *c.* I. *n.* 8., Roth. *loc. cit. q.* 4. Rem itaque semel in feudum concessam, si aperiri eut felonia vasalli, aut lineæ interitu contingat, Prælatus sine ulla juri,

juris canonici solemnitate infeudare valet, 1. *f. 6.* Duaren. *cap.* v. *n.* 4., Sonsbec. *par.* vi. *n.* 1.

Quin imo plus dicam; feudista voce *antiquitus* duplicem bonorum Ecclesiæ infeudationem distinguere videtur. Si Prælatus de novo bona suæ Ecclesiæ infeudare velit, solemnitates a legibus Imperii, & Ecclesiæ regulis inductas servare, videlicet olim consensum Episcopi, Advocati Ecclesiæ, Patroni, concilii provincialis, capituli, & totius collegii, hodie Episcopi, Capituli, & S. Pontificis compellitur, *can. 39. XVII. q. IV.* Boehmer. *de feudis Eccles. c.* 111. §. 3. P. da Marca de C. S. & I. *lib. VI. c.* 14. Si jam infeudata, & ad Ecclesiæ domanium devoluta iterum infeudare velit, potest, quin solemnia servet; si consuetudo infeudandi in ea provincia, vel diæcesi, occurrat, quam vox *antiquitus* ostendit, & Urbanus Pontifex in 1. *f. 6.* intellexit. Verum quia salus Ecclesiæ sive universalis, sive particularis, suprema lex est, hodie si necessitas, & utilitas suadeat, si militari protectione indigeat, si vasallorum numerus domi, militiæque adversus aliorum injurias, usurpationes, & rapinas adjuvare potest, de novo bona infeudare, vel infeudari solita rursus clientelæ pacto subjicere non prohibetur, cum utilitas & Ecclesiæ necessitas has infeudationes excogitasset, Frideri. Schenck. *hic pr. n.* 13. dicam ad 1. *f. 6.*

Hæc juris regula declaratur (1) tunc rem infeudari solitam iterum sub clientela dare potest, si ecclesia pro Dei cultu, & ministrorum sustentatione his bonis non egeat; hinc Urbanus II. in Concilio Placentiæ celebrato an. 1904. *can.* qui *in* 2. *dist.* 20. refertur, aliquam sine titulo ordinationem, hoc est certæ ecclesiæ adnexam fieri vetuit. Constanter propemodum ab initio ecclesiæ usque ad Alexandrum III. nemo absque Ecclesia civitatis, pagi, vel martyrio, vel Monasterio ordinari poterat, secus ordinatio irrita erat, & laicus manebat, Concil. Chalcedo. *can. 6. in c.* 1. *dist.* 70., ut Joseph quoque Aegyptius vertit, sed recte Zonaras *ad d. can.* vi. & Balsamon *ad can.* 2. ejusdem Concilii de exercitio ordinis, non de charactere intelligunt. Carolus M. hunc canonem in Conventu Aquisgranensi retinuit, & in omnibus conciliis recantatum, Cuja. *hic*, Florens *in præfat. de Antiquo jure patr.*, Janus a Costa *ad cap.* 2. 4. 16., & 23. *lib.* 111. *decret. tit.* 5. Alexander III. primus titulum patrimonii in Concil. Later. *can.* 5. *qui in cap.* 4. *de præben.* jacet, introduxit, quem ceteri Pontifices secuti sunt, imo Trident. *sess.* 21. *c.* 2. etiam pensionem sufficere sanxit, quo jure utimur. Urbanus itaque sine ecclesia, id est fructibus prædiorum alicujus ecclesiæ, unde se alat, clericum ordinari prohibuit, quæ

quæ *titulos* dixit *d.* 1. *f.* 6., omnino alienari & vetuit, & proinde in feudum concedi, cum usufructus vasallo cedat, & clericorum sustentatio periret. (2) Si hanc rem ecclesiæ devolutam Prælatus mensæ, hoc est censui bonorum ecclesiæ incorporat, seu describat, tunc desinit res dici infeudari solita, eamque si iterum concedere velit, solemnitate uti oportet. Unde vero hæc descriptio, applicatio, & incorporatio præsumitur? Dissensio est: placet, tunc præsumi, si Prælatus in libro bonorum suæ mensæ describat, aut si declarat se nolle iterum infeudare; si his actibus, similibusve incorporatio non contingat, tempore opus est, quod, cum a jure definitum non fuerit, judicis religioni relinquitur *l.* 1. §. 2. *D. de jure deliber.* Nam justa caussa sæpe longum tempus elabitur ut si bellum, si inimicitiæ, si valetudo impediat, quominus infeudet, nec tamen incorporatio arguitur, Sonsbec. *par.* VIII. *n.* 8.

(3) Si mutatur rei conditio: nempe si Ecclesia tempore infeudationis erat locuples, postea tempore devolutionis, inops; Prælatus reinfeudare prohibetur, ne Dei cultus deficiat, & Ministrorum alimonia pereat, *cap.* 2. *de feud.* ibi *si videris expedire*; aut si damnum ex hac secunda infeudatione ecclesia sentiat, cum re indigeat. Dum tamen Prælatus infeudat, veteris investituræ modum immutare nequit, ut si prima investitura solos masculos, ipse etiam fæminas invitat, fæminæ pro non appositis habentur. Si ad longius tempus successionem extendit: si Universitati, aut collegio infeudat, quum spem devolutionis impediat, si potentiori, a quo servitia exigere non valet. Nisi benemerita, servitia, & amor ejus, cujus filia investitur, aliter suadeant, tunc primæ investituræ ordinem Prælatus immutare potest, Bohemer. *de feud. Eccles. cap. III.* §. 10. Et oportet specialiter servitia, & merita recenseri, *arg. l.* 27. *D. de donat.* ubi Aquilius merita enarrat, quæ a Nicostrato præceptore suo acceperat, Schenck *pr. b. t. n.* 23. Suis consanguineis autem recte infeudat, quum hujusmodi æque ac exteri, imo melius servire ecclesiæ possint *d. cap.* 2. modo dolus malus abfuerit, Roth. *loc. cit. q.* 7., Duaren. *cap.* VI. *de feud. n.* 5., & ecclesia damnum non sentiat, ut si Prælatus duo feuda suo consanguineo infeudat, cum duos alios vasallos adquirere potuisset, infeudatio corruit, quia vasalli armis, & consilio, & servitio ecclesiam juvant. Hinc Landulphus Mediolanensis Archiepiscopus, qui an. 980. sub Ottone II. Floruit, Mediolanensium civium odia contraxit, quia bonis ecclesiæ abutebatur, teste Landulpho Seniore in *Hist. Mediol. lib.* II. *c.* 17.

Quo

Quo in tempore Landulphus omnes milites majores, quorum virtute Archiepiscopum teneret, expoliatis injuste clericis ecclesiarum per detestandam investituram plebes illas dando sublimavit. Quin etiam propinquis, quos in Carcanensi Oppido habebat, de B. Ambrosii Archiepiscopatus bonis quibus ipse fruebatur indignus, quadraginta millia modios terræ fructuum, ut illos, ultra omnes ditaret vicinos, per feudum dedit. Cum semper Ecclesia infeudaverit bona iis, quorum virtute jura sua tueretur, præsertim dum Barbarorum incursiones fervescerent, Theod. de Niem. *de privil. & juribus imperii sub Ottone I.* de quo, inquit, *Archiepiscopos quoque, & Episcopos Ducatibus, & Comitatibus, & Baroniis communivit, quibus nobiles, & potentes vasallos* (hoc est subfeudatarios) *subjecit, ut semper essent ad resistendum etiam manu forti paganis, & hæreticis in opportuno tempore fortiores*. Et Henricus Wolterus in Chronico Bremensi apud Meibom. *to.* II. *scriptor. Germ. p.* 104. de Ottone X. Abbate Rastendensi, narrat, plura bona Monasterii vendidisse, & in horum *bonorum venditorum compositionem, quadam alia bona comparavit, videlicet decimam in Oldenbroke quam emit a militibus de Lunenberge ad feudum Archiepiscopi Bremensis. Idem decimam in Northbroke, quam emit a Ludolfo, & Henrico Comitibus de Oldenborge, & Brockhuten: cujus proprietas ad Monasterium Rastedense fundatoris largitione pertinebat. Quæ tamen decima progenitorum ipsorum Comitum ab Abbatibus nostris in feudum data fuerat, ut ipsi, & eorum heredes monasterium defenderent.*

§. VI.

De Capitulo infeudante.

Sede vacante, Capitulum res solitas infeudari Ecclesiæ jam apertas sine solemnitate infeudare rursus potest, quia tempore interregni Capitulum jurisdictionem, seu administrationem Prælati repræsentat, hoc est in bonorum administrationem & jurisdictionis exercitium succedit; dissen. Boehmer *de feud. Eccl. c.* III. §. 13. neque hic actus est ordinis Episcopalis, sed jurisdictionis, ergo ad Capitulum transit. Nam origo jurisdictionis capituli hæc est, ut, Episcopo naturaliter, vel civiliter nempe, degradatione, vel suspensione, mortuo, aut absente, Clerus statim jurisdictionem assumebat, etsi majora negotia futuro Episcopo reservaret, ut Clerus Romanus apud Cyprian. *epist.* 5. 11. *&* 29. fatetur, Thomasin. *de V. & N. E. D. lib.* III. *par.* I. *c.* 7. *n.* 13., & proinde

inde potest beneficium conferre, quod ad collationem Episcopi, & Capituli pertinet, quia jus Episcopi Capitulo accrescit, & ejus jurisdictioni spirituali, aut temporali succedit *cap.* VII. *ne sede vacan. in 6. cap. 3. de supplen. negl. Prælat. in* VI., ergo etiam bona Ecclesiæ infeudat. Errat inde Scrad. *par.* IV. *c.* 2. *n.* 32., Rosent. *cap.* IV. 26. *n.* 1. *feud. Eccl. c.* III. §. 12. ceteri, qui Cathedralis Ecclesiæ capitulum excipiunt, & bona infeudari solita in feudum conferre non posse sensiunt. Hæc exceptio unde constat? inepta est. Imo capitulum, sede vacante, dum reinfeudat, nihil innovat, sed priorem infeudationem exequitur; jus canonicum, sede vacante, nihil innovare constituit. Rothi. *loc. cit. q.* 8. Magis si capitulum bona ab Episcopi bonis separata possidet, etiam, vivo, aut mortuo Episcopo, sine ejus consensu, infeudat, Redoan. *de rebus eccl. non alien. q.* 60. *n.* 5. Si de novo feuda concedere vellet, & collatio, ad Episcopum simul, & Capitulum pertineret, tunc non potest. His infeudationibus rite peractis nihil obnititur jusjurandum, quod tempore consecrationis Episcopus, vel Metropolitano, vel Pontifici de rebus Ecclesiæ non alienandis præstat *cap.* 2. *de feud.* Denique clerici de rebus suis titulo successionis, donationis, aut fortunæ quæsitis recte feuda constituunt; non de beneficiis, eorumque reditibus, quorum dispensatores, & usuarii tantum censentur; sed hodie, ex abusu, de reditibus infeudare possunt. Monachi quia nihil habent, etsi nihil iis deficiat, & omnia monasterio dedicarunt, non infeudant, *auth. ingressi C. de SS. Eccl.*

§. VII.

De moribus.

Receptis Europæ moribus hodie nemo sive Dux, Comes, Marchio, sive nobilis, ingnobilis, sive fæmina potest bona sua clientelaribus pactis supponere, præsertim in Regno Neapolitano, & Siculo, nisi is consensiat, qui summa fruitur potestate. Ratio, quia nemini fidelitas juranda est, & hominium præstandum, nisi ei, qui nullum recognoscit superiorem. Populus enim sive tacite, sive expresse omnia jura in Principis manus resignavit, & neminem nisi eum superiorem veneratur, obedit, tributa solvit, & jam Principi jus quæsitum est, quo spoliandus non est. Leo & Anthemius AA. *an.* 468. *in l.* 1. *&* 2. *C. Ut nemo ad suum patrocin.* sanxerunt, nobiles potentiores, centum auri libras solvere, si rusticos in suam clienteiam suscipiunt, mediocris fortunæ, bonorum

rum amiſſione pleɛti, quaſi bona Ruſticorum, & Vicanorum, in fraudem fiſci, vel alterius vindicent, & defendenda ſuſcipient. Concinit *titulus Cod. ne liceat potent.* Et Frid. II. in conſt. *ut univerſis*, Conſt. *ad ſubjectorum*, Baronibus, Comitibus, & Prælatis inhibet, ne vaſallos, & Regnicolas in ſuam clientelam ſuſciperent; quos *Recommandatos* dicit, niſi regale privilegium oſtendant, quod repetiit Robertus *in cap. cum eſt noſtri cura*. Nam Fridericus in conſt. *quia frequenter* rationem reddit. *Nos etenim, qui ſumus Domini perſonarum abſque noſtræ ſerenitatis aſſenſu, perſonas ſervitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari*, Gotofr. & Groenewegen *add. l.* 1. & 2. & *h. t.*

T I T U L U S II.

De Feudo Guardiæ, & Gaſtaldiæ.

Hic titulus in vetuſtis exemplaribus olim non erat, ſed præcedens ad titulum uſque quintum durabat; poſtea Gloſſatoribus facilitatis cauſſa dividere placuit. Similitudinem cum ſuperiore continet, in cujus fine dictum eſt, qui minimus valvaſor feudum, niſi reſtituto pretio, revocare non poſſit; & quia feudum Gaſtaldiæ, & Guardiæ ſine pretio revocatur, non immerito de hoc agit.

§. VIII.

De Guardiæ, & Gaſtaldiæ feudo.

Guardiæ feudum eſt, ſi quis Mævio caſtrum, territorium, vel domum committit, ut eam cuſtodiat, & in recompenſationem ad dies vitæ, vel ad certum tempus, aut fructus illius prædii a Guardiano percipiendos, aut aliud ſub obligatione fidelitatis clientelaris concedit. Unde Guardia non eſt feudum, ſed feudum ob guardiam, quæ eſt modus, ſeu conditio adquirendi feudum. Guardia cuſtodiam denotat, Groti. *in proleg. Hiſt. Goth.*, Hotom. *hic*, & Andr. *n.* 3,, Cujac. 1. *f.* 1. §. *item illud*, Henric. a Lochteren *differ. feud. impropriis an.* 1750. §. 8. feudum Gaſtaldiæ eſt illa penſio, vel prædium, aut res mobilis, quæ alicui jure feudi conceditur, ut caſtrum, vel civitatem, vel provinciam gubernet, vel res familiares adminiſtret. Sicut feudum advocatiæ pro patrocinio, cancellariæ pro libellorum expeditione, aperturæ ſeu aperibile pro aperiendis ſeniori januis tempore belli conceduntur. His, ſimili-

busve officiis feuda, sive clientelares pensiones adnexæ erant, Schenick *hic n.* 5. Gastaldus , Gastaldeus , Gastaldio , Castaldus idem sunt , vox germanica a *gast* , & *baltem* composita , hoc est olim ministrum , postea etiam Civitatum præfectos , & arcium gubernatores denotans , & dici potest *feudum præfecturæ* , aut aulæ , Lochteren *loc. cit.* Struv. *S. j. f. cap.* IV. *A.* 19., Abbas de Nuce *ad chronic. Leon. ostien. lib.* 1. *c.* 14.

Gastaldiorum mentio in chartis & legibus, Italiæ præsertim occurrit, nec simplicem castrorum, & Civitatum gubernatorem ostendit, sed & qui res fisci, aut Principis patrimonium gerit. Unde sæpius dicitur Thesaurarius , regii fisci æconomus , locorum , urbium, villarum , montium, fodinarum , silvarum , & similium , quæ ad fiscum pertinebant , & Comiti sacrarum largitionum & patrimonii Imperatoris apud Romanos comparari potest , Pratil. differ. *de primis Capuæ Comitibus*. Qui urbium regimini præerant, militari, civili, & criminali auctoritate fruebantur, feudatarii etsi precarii erant , deinde Principum liberalitate ad filios successio transiit, quod primum in Gastaldiatu Aquini , Teani , Calatiæ, Acerniæ, Telesiæ, S. Agatæ aliisve in regno Neapolitano præcipue seculo IX. & X. contigit, & adjungi cepit, *Comes*, & *Dominus* , quia successio hereditaria evasit , atque in hos Gastaldiatus divisum exibet ducatum Beneventanum Peregrin. *Differt. de Ducat. Beneven. in antiq. provin. an tribu.*, Pratil. *loc. cit.*

§. IX.

De natura Feudi Guardiæ & Gastaldiæ.

Conditio Feudi Guardiæ , & Gastaldiæ est , anno durare , quo elapso, *potest jure auferri , etiam pretio pro eo dato , non restituto , nisi ad certum tempus datum fuerit*, inquit *hic* Feudista , & *in* 1. *f.* 11. & *cap. extraod.* 94. Ratio , quia officia tam jure Romano , quam longobardo , anno tantum durant , vel quia Italia hæc officia anni spatio dare soleret , finito anno , feudum quod his annexum erat , expirat , neque ante annum sine justa caussa auferri potest, nisi ad certum tempus datum sit , quo transacto, desinit. Aut si intra statutum tempus possessor decedat, nihil ad heredes transmittit, quia est personale, hoc est personæ industriam senior elegit, sed morte dantis durat. Dum hæc feudi species vel finito tempore, vel felonia revocatur, senior pretium tempore investituræ pro officio acceptum restituere non tenetur. Nec id iniquum

quum est, quia sibi imputare debet, si initio non deliberavit, an tale officium, nempe Civitatis, Villæ, Territorii, Castri sibi lucrum afferret, quod solutum pretium superare posset. Et recte Ardizio *in sum. c.* 30. hoc vocat Feudum *pro villicaria*, *decaria*, & *vicecomitaria*, quum Gastaldus est quidem actor, & villicus, pro cujus administratione aliquid sibi percipere poterat, Thom. de Marin. *de Gener. feud. tit.* 28. & 29., Sonsbec. *par. v. n.* 3.

Justa revocationis caussa erit, si feloniam vasallus committat, si Gastaldio domini fructus non conservat, sed dissipat, si in horreum non condat, consumat, si damnum prædio, aut civitati afferat. Custos seu vasallus feudi Guardiæ excubias non agat, hostem admittat, si animalia immittat, aut quoque modo officium non gerat. Imperator Theodos. *in l.* 9. *C. de SS. Eccl.* immunitatis privilegium denegat his, qui sub prætextu decanorum eo frui contendunt, & interim suis officiis funguntur, & ab aliis muneribus se subtrahere conantur. Hinc patet hæc feuda esse impropria, & clientelarum simulacra, quia non sunt perpetua, quamvis ante successionis inventionem propria vocarentur.

Quamvis anno durare soleant, pacto tamen fieri potest, ut ad vitam, aut ad heredes quoque transeat, sicut in Alzecone contigit, de quo Paul. Diaconus *in excerp. edi. Pereg. cap.* 29. narrat, *per hæc tempora Bulgarorum Dux Alzecone nomine incertum quam ob caussam a sua gente digressus Italiam pacifice introjens cum omni sui ducatus exercitu ad Regem Grimoaldum venit, & se serviturum, atque in ejus patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum filium suum Beneventum dirigens, ut ei cum suo populo loca ad habitandum concedere deberet, præcepit: quod Romoaldus gratanter excipiens eidem spatiosa ad habitandum loca, quæ usque ad illud tempus deserta erant, contribuit, scilicet Saepianum, Bovianum, & Iserniam, & alias cum suis territoriis civitates, ipsumque Alzeconem, mutato dignitatis nomine, de Duce Gastaldium vocitari præcepit*. Alzeconis adventus fuit *an.* 676., & Cuiac. *loc. cit.* inquit, Alzeconem illa oppida, & Civitates tenuisse jure Gastaldiæ non perpetuo, & proprio Feudi jure. Rectius Peregrin. *loc. cit.* sensit eum nomine Gastaldum fuisse, sed revera jure perpetuo Feudum habuisse, quia Paulus Bulgaros ad suam usque ætatem illas sedes incoluisse affirmet. Alzeco enim, deposito Ducis nomine, ne parem sibi Grimoaldus creare videretur, perpetuo Gastaldatum suscepit. Et merito: ut gratus Alzeconis animus sponte se Grimoaldi servitio exibens proprio Feudo remuneraretur.

§. X.

§. X.

De probatione Guardiæ, & Gastaldiæ.

Denique Feudista *in §. fin. h. t.* addit, *Si vero Gastaldi aliquid nomine proprii Feud possederint non valebunt propterea possessionem sibi defendere, nisi per pares curtis, vel breve testatum potuerint probare, se antequam Gastaldi essent, vel postquam desierunt esse, investituram accepisse*. Hic Interpretes certant: dicam. Quidam nomine proprii feudi castrum tenebat, & ab eodem seniore gastaldus illius castri, vel prædii declaratus est, illudque ignoranter sub gastaldiæ titulo accepit; deinde anno elapso, idem senior castrum revocare velit; Vasallus autem opponit esse feudum rectum, non gastaldiam, ideirco revocari non posse. In hac contentione probatio incumbit vasallo, & paribus Curiæ, vel brevi testato, hoc est publica sciptura probare debet, se, investituram de illo castro accepisse, antequam Gastaldio evasisset, vel postquam Gastaldus esse desiit, de illo castro jure proprii feudi investitum, seu in proprium Feudum senioris voluntate commutasse, & ea Gastaldia rectum Feudum factum. Cur probatio incumbit vasallo? Est qualitas officii, seu Gastaldiæ, aut Guardiæ, ex qua beneficii qualitas præsumitur: officium est annale, ergo & beneficium, quod ei inhæret, tale censetur.

Adest alia præsumtio, quia hujusmodi Gastaldi, aut Guardiani sæpe bona senioris subripiebant, eaque jure Feudi aut proprii, aut improprii tenere vellent, aut sua allodia esse assererent 1. *f.* 10., & Rex Rotharius *in lib.* 11. *LL. longobar. tit.* 17. *Si Gastaldius, aut quilibet Actor Regis post susceptas, & commissas sibi ad gubernandum Regis curtes aut casas, aliquid per garathinx, id est donationem, ab alio quocumque factam conquisierit, sit illi stabile, si per præceptionem indulgentiæ Regis in eam fuerit confirmatum: aliquid quidquid, ut supra dictum est, post susceptam administrationem per garathinx acquisierit, hoc totum Regi adquirat, & non ad suum proprium nomen vendicet, nec ipse, nec heres ejus*. Ratio legis est, quia donatio contemplatione administrationis, seu officii facta præsumitur, nisi aliter constet. Exemplo Episcopi qui ad Episcopatum nihil habens promotus, si postea emerit prædia, de bonis ecclesiæ emisse præsumitur *cap.* 1. 3. *&* 4. *de pecul. Cler.*. Et Justinianus recte Episcopis testandi jus dedit de bonis ante ordinationem, non post, quæsitis *auth. licentiam C. de Episc. & cler.*, conf. Thomasin. *de V. & N. E. D. par.* III. *lib.* 2. *c.* 40. *& seqq.* De-

Denique, dum senior gastaldiam, vasallus feudum rectum esse asserat, etsi possideat, vasallus nisi recti feudi investituram probet, non vincet, quia eodem modo, & jure, quo possessionem obtinuit, possidere præsumitur. Nam licet juris regula sit, eum, qui possidet, aliis non possidentibus, in pari caussa, potiorem esse, sive justam, sive vitiosam possessionem habeat, onusque probandi in adversarium reiicit, *l. ult. D. de adquir. possess. l. 9. §. 4. D. de publiciana*, *l. 24. D. de R. V.* Attamen hac in re vassallus vitiosam feudi possessionem habere constat, ex specie feudi, quod possidet. Sicut uxor ex bonis mariti, officialis fisci, ex fisco adquisivisse præsumitur, *l. 51. D. de donat. inter vir. & uxor.* Nec obstat 1. *f.* 26. ubi lite inter seniorem, & vasallum orta, possessoris sacramento dirimitur, Textus de veri feudi possessione loquitur, & vasallus anno sciente Domino possedit. Sed hic textus disponit de feudo Gastaldiæ, in quo nulla veri feudi possessio cadit, idcirco occupasse præsumitur, dicam ad 1. *f.* 4. §. *item si vasallus*. Quod si probare nequeat, præscriptione xxx. an. recte defenditur, si perpetua possessione, & seniore sciente servitia uti de recto feudo præstiterit, quia voluntatis senioris mutatio de Gastaldiatu in rectum feudum præsumitur; quicquid amplius Rosent. *cap.* VI. 80. *n.* 8. exigat.

TITULUS III.

Qui successores Feudum dare teneantur.

Actum supra est de feudo improprio, & præsertim Gastaldiæ, & Guardiæ, quod vivo vasallo, etiam a seniore auferri valet. Hic docet, an, senior de feudo, suo vasallo adhuc vivente, investire aliquem possit, & quomodo hæc investitura senioris successorem obliget.

§. XI.

De Ecclesiastica expectativa.

Hic titulus duas continet partes: in prima docet, Prælati successorem non cogi adimplere investituram, quam Prædecessor de feudo contraxerat, quod alius vasallus adhuc vivens tenebat: in secunda loquitur de laico, qui simili modo infeudavit. Finge: Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa investituram illius feudi, quod alius detinebat, hac conditione Sabino fecit, ut post obitum ejus, qui possidet, habeat: antea decedit Episcopus, quam ille qui

qui feudum possidet, ejus successor hanc investituram agere, & confirmare non cogitur, *hic & 1. f. 9. & 11. f.* 35. Nam Clericus non est heres clerici defuncti, nec in jus ejus universum, sed in jus Ecclesiasticum, non titulo hereditario, sed electionis succedit. Atque hæc feudalis *expectativa* vocatur, hoc est *promissio domini de feudo in eventum, si sibi apertum fuerit alteri conferenda.* Lodov. Boehmer. *de Expect. feud.* §. 8. Quæ in feudo ecclesiastico, & seculari non improbatur, quamvis beneficia Ecclesiastica promitti non debeant, antequam vocent, ne votum captandæ mortis inducatur, & posterior ætas *gratias expectativas*, collationem ad *vacaturam*, dixit, quas Alexander III. in Concil. later. III. *can.* 8. *Ne Ecclesiastica Ministeria, seu etiam beneficia, vel Ecclesiæ alicui tribuantur, seu promittantur, antequam vacent, nec desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum. Cum enim id etiam in ipsis Gentilium legibus inveniatur prohibitum; turpe nimis est, & divini plenum animadversione judicii, si locum in Dei Ecclesia futuræ successionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipsi Gentiles homines curaverunt*, damnavit, cui Concil. Basileense, Ecclesia Gallicana & Trident. *sess.* 24. *de ref. cap.* 19. consensit, conf. Thomasin. de *V. & N. E. D. lib.* II. *par.* I. *c.* 43., Duaren. *de sacris lib. vi. c.* 1., Florens *ad cap.* 9. *&* 19. *de præben.* P. de Marca *de C. S. & I. lib. VI. c.* 9. Quomodo autem in feudo ecclesiastico valeat? ratio reddi potest, mores Longobardorum votum captandæ mortis neglexerunt. Imo feudistæ id non innotuit, cum compilatio feudalis ante Concilium Lateranense contigisset. Huc Senec. *lib.* VI. *de Benef. c.* 38., *Demades Athenis eum qui necessaria funeribus venditabat, damnavit; cum probasset magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Quæri tamen solet, an merito damnatus sit? Fortasse optavit, non ut multis venderet, sed ut care, ut parvo sibi constarent quæ venditurus esset. Cum constet negotiatio ex empto, & vendito, quare votum ejus in unam partem trahis, quum lucrum ex utraque sit? Præterea omnes licet, qui in ista negotiatione sunt, damnes, omnes enim idem volunt, idem intra se optant. Magnam hominum partem damnabis cui enim non ex alieno commodo lucrum? Miles bellum optat, in gloriam. Agricolam annonæ caritas erigit. Eloquentiæ exceptat pretium litium numerus. Medicis gravis annus in quæstu est. Institores delicatarum mercium juventus corrupta locupletat. Nulla tempestate, nullo igne lædantur tecta, jacebit opera fabrilis. Unius votum deprehensum est, omnium simile est. An tu Aruntium, & Aterium, & ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere,*

quæ

quae designatores, & libidinarios vota? illi quorum mortes optant nesciunt, hi familiarissimum quemque ex quo propter amicitiam rei plurimum est, mori cupiunt. Illorum damno nemo vivit, hos quisquis differt exhaurit. Optant ergo non tantum ut accipiant, quod turpi servitute meruerunt, sed etiam ut tributo gravi liberentur. Non est itaque dubium, quin hi magis quod damnatum est in uno optent quibus quisque morte profuturus est, vita nocet. Omnium tamen istorum vota sunt jmpunita. Denique se quisque consulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat, quid tacitus optaverit. Quam multa sunt vota, quae etiam sibi fateri pudet, quam pauca quae facere coram teste possimus. Sed non etiam quicquid reprehendendum etiam damnandum est.

Primae itaque hujus partis ratio est, quia Praelati successor non jure hereditario, sed electione, & consecratione in ejus locum subingreditur, *cap. 1. de praeben.*, nihilque juris ab antecessore habet, igitur ejus factum servare non cogitur *cap. 5. de Instit.* quem juris veteris regula juvat, ut *actiones, quae non coepissent a defuncto, vel contra defunctum, non inciperent ab heredibus, vel contra heredes, tit. C. ut action. ab her.* Etsi Justinianus abrogaverit, in clericis tamen duravit, quam Cuiac. *in l. 217. D. de U. S. aequissimam* merito vocat. Idem de precariis ad naturam feudorum accommodatis statuit Imp. Lothar. *in l. 2. lib. 11. LL. longobar. tit. 10. De precariis quoque, quae a Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se suosque successores poena gravi obligabant, ut facta ejus nequirent dissolvere; praecipimus ut nemo successor antecessoris sui poena statuta sit obligatus; sed suae providentiae sit concessum, ut si antecessor ejus res ecclesiae irrationabiliter distribuerit, ab ejusdem Ecclesiae Rectore ad jus tenendum revocetur, & in l. 4. eo., Cuja. 1. f. 1. §. si vero.*

Ab hac regula feudista excipit, primo, *nisi ille qui investituram accepit, nomine ejus feudi in possessionem missus sit, eo consensiente qui detinet.* Hujus sententia, inquit Glossa, haec est, quia forsan justa caussa primus vasallus cecidit, & secundus in feudi possessionem missus reale jus consequitur, ne duo in solidum possidere dicantur. Errat Glossa & magna Interpretum turba in hoc textu pugnat; nam hic secundus vasallus consensu primi possessoris in possessionem immittitur; quid ejus assensu opus erat, si ipse omne jus amiserat, & nihil cedere poterat, quum nihil haberet. Recte Boehmer. *de feud. Eccles. c. 111. §. 21.* intelligit, secundum hac abusiva investitura, quam missionem in possessionem feudista appellat, aliquid juris consequi, quod primo vasallo non

nocet. Nam prior vasallus fructus & commoditates percipit, & uti fructuarius consideratur. Huic opinioni & subnecto; hic possessoris consensus necessario aliquid juris novo vasallo tribuere debet, quod non fructus, non commoditas esse potest, secus refutatio censeretur, de qua textus non meminit; sed abusiva investitura, simplici detentione apud priorem vasallum relicta, existimari debet. Ex hac possessione jure quaesita Praelati successor hanc immissionem, quae est vera investitura, non simplex investiendi promissio, ratihabere cogitur, ne jus alteri quaesitum laedat. Atque sic Pistoris rationes, cui glossa placuit, destituuntur *lib.* 11. *q.* 27. *n.* 46.

Et Boehm. loc. cit. concludit, *de tali investitura abusiva loqui feudistam vel inde liquet, quod praesupponat casum quo quis investituram acceperit, h. e. expectativam, & nomine ejus expectativae scilicet in possessionem missus feudi sit, quibus verbis actualis immissio in possessionem denotari nequit, cum alias de feudo antiquus possessor decedere deberet, quod absurdum esse, alias observavi, sed potius investitura abusiva, quae fit symbolis intervenientibus, aliisque solemnibus actibus indigitatur, ad hunc effectum, ut jus in re consequatur, quod missionis in possessionem, seu traditionis appellatione denotare voluit feudista*. Effectus dominii, & juris feudi translatio, & in nostro textu antiquioris possessoris consensus requiritur, ut reprobaretur dispositio de hereditate viventis, nisi ille consenserit, de cujus bonis agitur, *l. fin. C. de pact.* Et hanc expectativam merito Boehmerus *loc. cit.* §. 20. *qualificatam* dicit, cum jus in re pariat, nec eam in Ecclesiasticis beneficiis Alex. III. vel Innocent. III. improbarunt *cap.* 8. 9. 19. *de praeben. cap.* 7. 14. & 19. *de concess. praeben.* Sed iis simplex expectativa displicuit, quae in nuda promissione consistit, ut nuper dictum est.

Secundo: *Sed si ille, qui feudum possidet, prius decesserit quam ille; qui investituram fecit: jure cogitur eam ratam habere*. Ratio est, quia obligatio jam cepit a defuncto, & in successorem transmittitur, 11. *f.* 35., & jus feudale semper exprimit, si Praelatus investitor, ante decedat, quam feudi possessor, & quod Praelati successor non obligatur; econtra igitur si, Praelato investitore vivente, apertum fuerit, adversus eum, ejusque successorem agi potest. Aut si expectativa plurimum Ecclesiae favet, cum de infeudatione alicui potentiori faciunda agatur, qui jura Ecclesiae strenue tuetur. Aut si merita suadeant. Aut si capituli consensus accessit, quia capitulum non moritur; & obligatio durat, & ipsa Ecclesia infeudasse videtur, Pistor *loc. cit. n.* 16., Rothius *loc. cit. q.* 39.

Que-

Quemadmodum si donatio, investitura, aut quilibet contractus nomine dignitatis, jurisdictionis, & loci, non personæ celebratur, successorem obligat, etsi ipse non jure hereditario, sed proprio veniat *cap.* 14. *de off. de leg.*, *cap.* 5. *de rescrip. in* VI., ubi Bonifacius VIII. statuit, quod si alicui beneficium cum clausula *usque ad beneplacitum* Pontificis concedetur, mortuo Pontifice, expirat, secus si dicatur *usque ad beneplacitum apostolicæ sedis*, quia sedes apostolica, dignitas, & jurisdictio nunquam desinit P. Gregor. *de Republ. lib.* VIII. *cap. ult. n.* 52. §. IX. de expectiva feculari idem intelligi oportet.

§. XII.

De laicali expectativa.

Secunda textus pars agit de laico, qui feudalem quoque expectativam constituit, *laici vero iisdem modis omnibus, quibus supra diximus, si aliis investituram dederint, heredes eorum, si rationibus claruerint, omnimodo eam adimplere compelluntur*. Si itaque senior feudum alienum in casum mortis possessoris, aut feloniæ alteri concedat, & ante possessorem decedat, ejus heres investituram ratam habere cogitur, quia heres defuncti personam repreſentat, & ex ejus facto lucrum sensit *& ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet*, Ulpian. in *l.* 149. *D. de R. J.*, etiamsi in investitura nulla heredis mentio occurrat *l.* 62. *D. eo.* Attamen obstat; investituram senior sub conditione egit, si mihi, vel nobis feudum fuerit apertum, si antequam feudum aperiretur, senior decedat, conditio defecisse videtur, quæ actui formam dedit, igitur ejus heres eam servare non tenetur. Respondeo, clausula *si mihi*, *vel nobis* tanti non est, ut heredem non obliget, sicut stipulatio, quæ est stricti juris, si concipiatur *spondes mihi habere licere*, hoc est futurum, ut mihi habere, & obtinere fundum illum E. C. liceat, quum præsertim in emptione venditione servaretur, M. Varro *de R. R. lib.* II., hæc tam ad heredes stipulatoris, quam promissoris transit *l.* 38. §. *ficut* 5. *D. de V. O.* ibi Duaren. & Giphan. Magis de investitura hac dicendum est, quæ non pauca ex contractu bonæ fidei assumit, Pistor *lib.* II. *q.* 26., Rothi. *loc. cit. q.* 40.

TITULUS IV.

Si de investitura feudi controversia fuerit.

SUperius de feudi adquisitione actum est, hic de feudorum controversiis, & in tres partes dividitur: in prima de investiturae controversia: in secunda de feudi qualitate: in tertia de alluvione, seu naturali clientelae accessione, atque incremento disponit.

§. XIII.

De Competenti feudorum foro.

Prima pars: *Si autem controversia inter dominum, & fidelem de feudi investitura fuerit, quid juris sit, videamus. Et si investitura facta fuerit coram paribus curtis, aut in brevi testato: recte eum, qui investitus est, cogitur dominus mittere in feudi possessionem. Si vero fuerit in possessione: & mota fuerit ei controversia, ei defensio detur propter possessionem. Si autem non fuerit in possessione, nec supradictis modis poterit probare, tunc illius erit defensio, qui investituram dicitur fecisse.* Si inter militem, & seniorem controversia de feudi investitura oritur, ut miles obtineat, paribus curtis, hoc est convasallis, & brevi testato, eam probare tenetur, qua probata, Dominus, in feudi possessionem immittere cogitur. Aut si miles probare non potuit, sed in possessione reperitur, jurare se investituram accepisse debet, & vincit. Verum si nee probat, nec possidet, Dominus jurejurando obtinebit, *princ. h. t.* Ex quo constat, novam investituram vel paribus Curiae probari, vel brevi testato; pares tres, aut duos saltem instrumento clientelari subscribi oportet 11. *f.* 2., modo senior pares habeat, secus extranei sufficiunt, 11. *f.* 32. Aut si pares sint, sed iis iuvestituram probare non potest, brevi testato indiget. Breve testatum est publicum instrumentum his tribus aut duobus Paribus subscriptum, & confirmatum, chartula, vel *pittacium* dici potest *l.* 5. *C. de erogat milit.* pittacium idem ac Epistola brevis, codicillus. Atque in Ecclesia, haec pittacia, qui ordinat. erant, ab ordinatoribus accipiebant, mensem & diem, ordinationis declarantia, Balsamon *ad can.* 17. *Apostolor.* ibi Bevereg. *Diploma instrumentum, breve regium.* Joan. a Costa *ad Cap.* v. *de jure patron.* Acta legitime investitura, senior vasallum in vacuam, hoc est liberam, nec ab alio occupatam feudi possessionem mittere cogitur, nec liberatur, si id, quod interest, praestare

ftare velit, atque si in mora erit, omnem utilitatem solvet 11. *f.* 7. *in fin.* nec datur locus pœnitentiæ, quia miles jus ex investitura, & fidelitatis juramento quæsivit 11. *f.* 26. §. *si facta*.

Si autem vasallus probare non potest, sed possidet, tantum ejus sacramento creditur, quia possessio justum titulum attribuit, & præsumit, quum possessionis commodum fuerit, adversarium ad onera petitoris compellere *l.* 24. *D. de R. V.*, 11. *f.* 33. *in fin.* Verum hæc possessio saltem annalis & bona fide, & justo titulo, sciente, & patiente Domino esse debet, quia dolus nemini favet *d.* 11. *f.* 33. ibi Gotofr., Alver. *hic n.* 6., Glos. *hic* v. *in possessione*. Ex hoc cognoscitur discrimen inter jus civile, & feudale: jure civili, actore non probante, reus absolvitur, nec juramento opus est *l.* 4. *C. de edendo*, jure feudali, si vasallus nihil probat, judex, si sibi videbitur, juramentum seniori deferet, qui cum XII. sacramentalibus juret, vel jusjurandum referat 11. *f.* 33. §. *Sacramentum* Cuja. *hic* 1. *f.* 1. *si autem*, nempe se, vel patrem suum de eo feudo investitum fuisse; nec testes adhibere tenetur, 1. *f.* 26. *in fin. mentum* Cuja. *hic* 1. *f.* 1. *si autem*, 1. *f.* 26. *in fin.*

Ex his constat, jure longobardico feudali in universa Europa recepto, orta clientelari controversia, quæ dominum concernit, Pares Curiæ judicare, quibus jurisdictio competit, ne dominus in sua caussa judicaret. Eosque vel vasallus, vel dominus eligit, licet in eligendo potior domini conditio æstimetur, nec dominus, nec Pares jurare coguntur, cum jusjurandum fidelitatis initio ab iis præstitum, clausulam *de justitia recte administranda* contineat. Si autem dominus Pares Curiæ non habeat, extraneos testes adhibebit, ac si caussa feudalis non esset. Et sola feudi qualitas jurisdictionem extra caussas feudales non tribuit, quia jurisdictio feudalis ex contractu feudali, atque ipsa investitura descendit, igitur quoties feudalis contractus non occurrat, silet. Si contentio non inter dominum, & vasallum, sed inter duos vasallos sit, dominus judicabit 1. *f.* 18. & 22. 11. *f.* 16. 39. & 55. Kuchelbecker *dissert. de jure, & modo cognoscendi de feudis imperii antiquo* §. VI. Nec refert, an vasallus ab Ecclesia, an a Prælato, an a laico feudum recognoscat. Prælatus est judex competens simul cum Paribus Curiæ in caussis feudalibus *cap.* VII. *de Foro comp.* Sede vacante Capitulum in feudalem jurisdictionem non succedit, cum hæc jure extraordinario competat, nisi feudum Episcopo, & Capitulo commune fuerit, Boehm. *de feud. Eccl. cap.* IV. §. 13. Strykii *examen juris feud. cap.* XXV. *q.* 6. & *seqq.* Hanc feudalem jurisdictionem ex primæva feudorum consuetudine ortam

ortam Conradus Salicus Imp. II. *f.* 34. Lotharius, & Fridericus Impp. confirmarunt, Joan. Schilterus *Instit. juris feud. cap.* X. *n.* 2.

Diversam *in* §. *si vero b. t.* Speciem proponit: *Si vero feudum aliquis habuerit, de quo nulla controversia est: & dixerit se investituram alterius feudi accepisse ab eodem domino, nec in possessione fuerit, nec prædictis probationibus probare poterit, licet domini esset defensio. Ex ordine tamen, quia aliunde vasallus est, remittitur domino ex æquitate defensio.* Si itaque vasallus ob eodem seniore duplex feudum possideat: de uno nulla vertitur controversia, de altero vasallus ab eo investituram accepisse inquit, si nec in possessione reperitur, nec paribus, aut brevi testato probare poterit, tunc simplici senioris assertione tota dirimitur controversia §. *si vero b. t.* quin juret, II. *f.* 58. §. 2. Ratio, est æquitas ex reverentia erga seniorem nata, quia jam constat ex alio feudo, de quo non controvertitur, esse senioris, & major reverentia illi præstanda, qui vere est senior, quam ei, de quo, an sit senior, dubitatur, II. *f.* 2. §. I. II. *f.* 33. §. I., sicut patrono, & parentibus jusjurandum calumniæ remittitur, cum reverentia his debita ita suadeat, *l.* 34. §. 4. *D. de jurejur.* Vasallus, & tota parium Curia præstare seniori obsequia coguntur.

§. XIV.

De feudi qualitate.

Secunda pars: omnis feudi qualitas respicit, an paternum, an novum, an totum, an pars, an perpetuo, an ad tempus datum fuerit, an sub conditione pignoris, an sub lege feudi teneatur, & possideatur; an guardia, an verum feudum sit. Exemplum: agnatus, inquit, feudum ad se pertinere jure successionis, quia est paternum, senior dicit esse novum: Feudista *in* §. *cum autem b. t. Cum autem quis dixerit, feudum ad se per successionem pertinere, asserendo illud esse paternum. Si fuerit in possessione medietatis, vel alicujus partis: vel cambium proprietatis nomine, illius feudi babuerit, vel aliis justis rationibus illud esse paternum probare potuerit. jure obtinebit: si vero probare non potuerit, prædicto modo, dabitur & defensio cum duodecim sacramentalibus.* Distinguit, si agnatus medietatem, aut minorem feudi partem possideat, & aliam partem dominus possideat, vel eam cum domino, aut fratre suo permutavit, accepto alodio, quod *cambium* vocat; aut aliis probationibus feudi antiquitatem probabit, vincet; secus cum XII. sacramen-

mentalibus, se partem illam ex divisione forsitan habuisse jurare debeat. Intentio vasalli est, ut in feudo ipse etsi collateralis succedat, quia in paterno feudo quilibet sive descendens, sive collateralis succedit, modo a primo adquirente descendat; sed in feudo novo collateralis non succedit. Hic vasallus reperiebatur in medietate feudi paterni, altera meditas ad alterum agnatum, quia feudum erat juris longobardorum, pertinebat, &, mortuo sine liberis agnato, in ejus medietatem successit, quia feudum fuerat paternum, quamvis senior negaret.

Dispositio hujus responsi ratione, & jure juvatur: nam qui partem quiete possidet, etiam jus in residuo habere præsumitur, ne eadem res diverso jure censeatur; modo partem illam anni spatio possederit, sciente, & non contradicente domino, ut supra dictum est, & magis pro feudo antiquo, quam novo præsumimus. Hæc tamen præsumtio tanti non æstimanda, quia non infertur, si probo partem feudi esse paternam, ergo totum feudum est paternum, sed pro altera parte, quam contendo, dabitur mihi sacramentum, ut præsumtio crescat, & mea intentio senioris actionem elidat 11. *f.* 33. §. *sacramentum*, secus si totum esset meum, tunc & singulæ partes meæ esse præsumuntur, Andr. *hic n.* 6., Alver. *hic n.* 2. Inter modos, quibus suam intentionem vasallus probare potest, feudista ponit cambium, *vel cambium proprietatis nomine illius feudi habuerit*; hoc est si dominus accipit a vasallo utile feudi dominium, & dominus ei aliam rem in directo, & utile dominio concedit, modo vasallus consensiat, quod permutare, & cambiare dicitur, & coram paribus, vel brevi testato fieri debebat, sicut in media ætate omnis venditio, & cambium scriptura, vel adhibitis testibus perfici soleret, hinc tot formulæ permutationis, & cambii, & venditionis, quas Marculfus, Bignonius, Lindenborgius, Sirmundus, Ecclesia Mindensis referunt, Lex Baivvarior. *tit. XV. l.* 8. *Commutatio, hoc est, quod cambios talem qualem emptio habeat firmitatem*. Lex Salica *tit.* 39. Quia meo consensu partem cum domino permutavi 1. *f.* 21., etsi eam nunc non habeam, jurejurando vincam.

De altera feudi qualitate hic dubitatur, an esset feudum guardiæ, an simplex, & rectum? Et *in* §. *item si vasallus h. t.* statuitur, *item si vasallus possederit castrum quod dixerit se pro feudo tenere: & contra dominum per guardiam dixerit, se ei dedisse, domini est probatio. Et si poterit probare, tunc ille, qui tenet, domino debet restituere, vel probare per pares curtis, vel per breve testatum. Postquam in guardiam suscepisset, se a domino pro feudo* inve-

investituram accepisse. Domino vero in probatione deficiente, tunc illius erit defensio, qui possidet. Si vasallus castrum, territorium, aliudve possidet, & uti rectum feudum tenere contendit, senior jure guardiæ dedisse intendit. Probatio incumbit seniori, qui si probat, vasallus restituit: nisi vasallus curiæ paribus vel brevi testato probet, se de castro illo, etsi jure Gastaldiæ fuisse investitum, tamen postea voluntate senioris illum jure proprii feudi accepisse; cui si senior non obloquitur, vasallo datur *defensio*, hoc est jurabit; quia etsi actore nihil probante, reus absolvendus, tamen judex, si sibi videbitur, ob cautelam dabit *l.* 31. *D. de jurejur.*, glos. *hic v. certis*.

Obstat 1. *f.*2. §. *fin.* in quo si Gastaldus, inquit, aliquid nomine proprii feudi possideat, ei, non domino probationem incumbere; hic vero dominus probat. Alverot. *ibi n.* 9. varias refert theses: ipse sic respondet; in *d.* §. *fin.* constabat, vasallum fuisse Gastaldum; in hoc §. *item si vasallus*, non constabat, sed dominus simpliciter id asserebat, idcirco dominus probat, 1. *f.* 23. Ratio, cur in hac specie dominus probet, quia fatetur in feudum vasallo concessisse castrum, investituram non negat, sed caussam, videlicet jure Guardiæ, vel Gastaldiæ dedisse contendit, quam probare cogitur, cum in verum feudum vasallus accepisse præsumatur. Domino probante, vasallus restituere debet, imo non restituerit, si prius jure Gastaldiæ, postea, mutata senioris voluntate, jure recti feudi accepisse probaverit, Afflict. *hic n.* 2. Eadem controversia agitur *in* §. *similiter h. t.*, si quis castrum, vel aliam rem feudalem possidet, debet restituere domino, si dominus rem illam non jure feudi, sed pignoris dedisse probat, nisi ipse possessor, se, post pignorationem rem illam nomine feudi reb eodem domino recepisse probaverit: si dominus nihil probat, vasallus possessor se defendere, hoc est jurare debet. Intelligendum, si hæc possessio saltem annalis fuerit, & magis si 30. an. possederit, & domino scienti servitia præstiterit. Ex his patet, intentata a domino actione, vasallum exceptionem proponere, quæ senioris actionem repellit, Ravenna *hic* & Alver.

§. XV.

De alluvione feudali.

Tertia pars: Agitur hic, an incrementum, quod feudo accessit, fuerit, vel non feudale? *Si quis de manso uno feudi nomine investituram acceperit, & dixeris quod omne incrementum pertineat ad eum per investituram: Si dominus reservaverit sibi aliquid in ipsa*

curte tunc oportebit fidelem incrementi investituram per pares curtis, vel per breve testatum probare. Sed si dominus in ipsa curte nihil sibi retinuit: tunc omne incrementum jure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in possessione incrementi fuerit, non oportebit eum investituram probare sed jurare. Finge: Mævius senior territorium, seu mansum Titio in feudum concessit, deinde huic feudo aliquid videlicet alluvione, vel insula juxta mansum in flumine nata accrevit: quæritur, an hoc incrementum ad vasallum, an ad Dominum pertineat? Feudista distinguit: si dominus in curte, hoc est villa aliquid, nempe locum habitationis, iter, hortum, aut viridarium, sibi reservaverit, incrementum sequitur dominum; si nihil reservavit, feudum cum omni incremento ipsi vasallo concessum præsumitur, & si dominus possidet, restituere debet. Si Dominus nihil reservavit, & vasallus est in possessione incrementi, vincet, si, absque alia probatione, juraverit. Verum si Dominus incrementum possideat, & quid reservavit, vasallus brevi testato vel paribus etiam se tueri debet. Jusjurandum vasalli erit cum XII. conjuratoribus.

Mansus est ager, qui continet XII. terræ jugera, quæ *bunnuaria*, *hobæ*, *acræ* dicuntur. Duplex est secularis, & ecclesiasticus; secularis erat fundus, unde se, & familiam suam quis tueri & alere posset, & domino censum, seu heredium referret. Ecclesiasticus diversas continebat species; alius erat apsus, alius vestitus; apsus nihil aliud ostendit, quam prædium nudum, sine indumento rustico: vestitus erat prædium rusticum suppellectili instructum, hoc est mancipiis, colonis, armentis, quæ ad terram colendam sunt necessaria, lex Romana *fundum instructum* vocat. Hic mansus vestitus in dotem parochiarum a Regibus Francorum ab omni onere immunis assignatus erat, nec aliquam Ecclesiam sine hujusmodi manso ædificari permittebant. Verum cum Caroli M. leges una cum stirpe majestatem fere amisissent, Carolo simplice, & Hugone Capeto deinde regnantibus Ecclesiarum mansus non modo oneribus, & tributis, sed & rapinis, & infeudationi militum subjici cepit, etsi infeudationis vitium ante invaluisset, Nicol. Maistre *de Eonis Eccl. lib.* III. *c.* I. *&* 2., Cujac. *hic*.

De utrisque mansis frequens in Ecclesia, & chartis occurrit mentio, Krantz. *lib.* IV. *Vandal. c.* 15. *Nec cunctatus Adolphus trecentos quoque mansos permisit Duci ut per manum ejus assigentur in dotem Ecclesiæ Aldenburgensi, & cap.* 36. Chron. Lubecense ad *an.* 1153. *Remisit quoque eo tempore Comes Holtzatiæ Duci trecentos mansos de beneficio, qui oblati sunt per manus Ducis Vicetino Episcopo in dotem Ecclesiæ Aldenborgensis.* Et ad an. 124. *Et dederunt Comites* (idest Holzatiæ) *duos*

duos mansos in villa Iussowe cum omni jure, & libertate. Imp. Ludovicus *lib.* I. *Capp.* 91. *Sancitum est unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio adscribatur, & presbyteri, in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque atriis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso, aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum.* Et *lib.* II. *capit.* 5. *lib.* V. 45. & *lib.* III. *LL. Longobar. tit.* I. 46. *Si forte in alio loco ecclesia sit constructa quæ tamen necessaria sit, & nihil in dotis habuerit, volumus ut secundum jussionem domini ac Genitoris nostri unus mansus cum* XII. *bunuariis de terra arabili detur, & mancipia duo a liberis hominibus, quæ in eadem ecclesia officium audire debent, ut sacerdotes ibi possint esse, & divinus cultus fieri; quod si hoc populus facere noluerit, destruatur.*

Locum, in quo hæc reservatio, & alluvio contigit *curtem* appellat, quæ domum, villam, territorium, jurisdictionem, Regis aulam, & locum, ex quo reditus percipitur, in barbarorum legibus significat. Lex Salica *tit.* VI. §. 3. *Si quis canem custodem domus, sive curtis, qui in die ligari solet, ne damnum faciat post solis occasum furatus fuerit vel occiderit,* Dc. *den. qui faciunt sol.* XV. Et *tit.* 36. §. 4. Lex Aleman. *tit.* X. XI. & XXXI. Et *tit.* LXXXI. pro territorio accipit, ibi, *Si enim domum intra Curtem incenderit.* Pro Regia Curte, & Fisco *lib.* II. LL. Long. *tit.* 14. I. Sed proprie apud Longobardos Curtis ostendit integram Dynastiam, seu præfecturam, aut mavis, prædium cum amplo terrarum tractu, fundis, agris, pratis, fluminibus, domiciliis, villis, pagis, instructum, & jurisdictione, quam patrimonialem dico, præditum. Et respondet Germanorum in medio ævo advocatiis, & dominiis, ad quas certi vasalli, & Ministeriales feuda in illis possidentes pertinebant. Unde apud Longobardos occurrunt *pares Curtis*, hoc est vasalli, qui in illa Curte, vel ex moribus Germanorum, in illa advocatia, & dominio, feuda possidebant, Henri. Gottlieb. Franckius *singular. de feudis Curtis, & extra Curtem.* Et nos *in prolegom.*

Ad rem redeo: apud veteres quærebatur, an accessio alluvionis ad fructuarium pertineret? negabat Paul. III. *sent.* 6. §. 21. *accessio alluvionum ad fructuarium fundum, quia fructus fundi non est, non pertinet.* Affirmabat Ulpian. in *l.* 9. §. 4. *D. de usufr. huic vicinus tractatus est, qui solet in eo, quod accessit tractari; & placuit alluvionis quoque usumfructum ad fructuarium pertinere.* Cujac. *hic* dissentionem declarat. male: recte Merilli. *ad l.* 16. *D. de servit.* Noodt *lib.* I. *de usufr. c.* 6. & Schulting. ad Paul. *loc. cit.* Paulum a Ulpiano dissentire negant. Nam dum Paulus negat

negat alluvionis acceſſionem ad fructuarium pertinere, proprietatem alluvionis, quæ eſt Domini, intelligit, ſed uſumfructum alluvionis fructuario non negat, ſicut nec Ulpianus diffitetur. Adeoque feudiſta a JCtis non diſſidet. Præſertim Germani, qui prædia vel occupata, vel propria Comitibus, ſeu vaſallis loco ſtipendii concedebant, Tacit. de M. G. c. XXVI. Carolus Spenerus *de nævis feudalis juriſprudentiæ* §. *v. n.* Hæc vero alluvio tam in alodio, quam feudo tunc procedit, cum ager feudalis non eſt limitatus, nec aſſignatus, quia in agro limitato alluvio locum non habet, ſed in occupatorio dumtaxat permittitur *l. 16. D. de adquir. rer. dom.* Nam hic ager eſt certa quadam menſura diviſus, nec minui, nec augeri, ſicut lacus poteſt *l. 12. D. eo.* & paſſim Flaccus, Hyginus, & Urbicus docent. Victis enim hoſtibus eorum agros populus Romanus Militibus limitatos aſſignabat, ſicut vetuſtæ ætatis conſuetudo erat, Georg. Buchananus *rer. ſcoticar. lib.* IV. *Pictus igitur exactis Kennetus agros pro virtute cujuſque ſuis diviſit.*

Utriuſque ratio hæc eſt: alluvio eſt accretio unius agri ex alterius decretione ſenſim a flumine facta, & intelligere non poſſumus quantum quovis temporis momento adiiciat, ſive terra, arena, lignum, aliudve fuerit. Hoc alluvionis jure gaudet, qui feudum non limitatum, nec aſſignatum, ſed arcifinium, prope flumen poſſidet. Sicut in agris ad Moſam, & Iſolam ſitis judicatum in Hollandia docet Grotius *de J. B. & P. lib.* II. *c.* 8. *n.* 12. De his limitatis agris intellexit Philippus Hiſpaniarum Rex *an.* 1559. dum alluvionum lucra ſibi vindicavit, Voet *ad tit. D. de A. R. D. n.* 15. Nec intereſt, an qui feudum poſſidet, dominus ſit, an creditor, jure pignoris, an emphyteuta jure utilis dominii, quin penſio augeatur, vel onus ſervitii in vaſallo creſcat *l.* 16. *&* 18. §. 1. *D. de pignor. act. l.* 3. *C. de alluvion.* Franc. Stypmannus *de jure maritimo par.* II. *cap.* V. *n.* 491. Apud Romanos triplex erat agrorum genus, limitatus, aſſignatus, & arcifinius. Limitatus, eſt ager ab hoſtibus devictis captus, publicus Populi Romani, privatis poſſidendus certis finibus deinde conceſſus, intra quos jus poſſeſſoris conſiſtebat. Agros enim ab hoſtibus captos, vel colonia in eos ducta, vel milites, vel privati titulo emptionis, aut conductionis a populo Romano accipiebant, vel veteribus poſſeſſoribus relinquebantur *l. 16. D. de A. R. D. l. 11. D. R. V.* Si aliqua agri portio indiviſa ſupererat, ager publicus ſive ſubceſivus dicebatur. Ager aſſignatus eſt menſura comprehenſus, ut privatorum agrorum menſuræ aguntur. Arcifinius, ſic dictus, teſte Varrone, quod fines arcendis hoſtibus idoneos habeat, nempe flumina, mon-

D 2 tes

tes, fossas, silvas, arbores, aquarum divergia, præsertim, dum Barbarorum incursio R.: Imperium diripiebat, Stypmannus *loc. cit.* Grotius *de J. B. Et P. lib.* 11. *c.* 3. §. 16. Nec etiam alluvio clientelæ accedit, si hæc antequam investitura fieret, feudo accesserit, etsi senior ignorasset, secus si scivisset *l.* 13. §. 14. *de Actio. emp.* §. 3. *Inst. de empt.* Denique incrementum, sicut principale, cui accedit, feudale censetur, atque si magnum fuerit, vasalli servitium augeri oportet, Andr. *hic n.* 10 & in *differ. de Augmento feudi dicam.*

Præterea in §. *fin. h. t.* iterum de incremento agit, cujus hæc est species: Marchio, aut Comes in suo Comitatu subfeudum, *cum omni incremento quod obveniret*, constituit, si accrescit aliquid, vivente Comite, incrementum erit subfeudatarii. Si autem Marchio, vel Comes sine herede decedat, & feudum ad Principem, a quo tenebat, revertitur, vel ad agnatum, si vivit; quod accrevit post Comitis mortem, non subfeudatarii, sed Principis, vel agnati erit, atque hæc est vera §. species. Ratio, quia extincto investitoris jure, etiam jus subfeudatarii perit, sive investitor morte, sive refutatione, aut felonia jus suum amittat 1. *f.* 5. §. *rursus*, Glos. & Alver. *ad hunc* §. Quid autem si incrementum non natura, sed arte, atque industria vasalli feudo accrescant? Si melioratio est uti domus & erit vasalli, si servitus ad feudum spectabit, 11. *f.* 8. §. *si vasallus*, ibi dicam, & in *Differt. de Meliorationibus feudi.*

§. XVI.

De Moribus.

Novissima Gentium feudalium consuetudo, & lex in hoc titulo Curiam feudalem immutavit. Lites de feudis Flandriæ, Senatores Curiæ Flandricæ, quo simul Flandriæ sunt vasalli, cognoscunt. Olim in Hollandia Pares Curiæ judicabant, hodie Curia provincialis, & si appellatur, etiam suprema Curia, salva vasallis subinfeudantibus, prima circa subinfeudationes cognitione, & prærogativa, Voet *ad tit. D. de judic. n.* 132. 133. In Hassia, Juliacensi, Montensi, & Wirtembergico Ducatibus, Palatinatu Rheni, Episcopatu Bambergensi, & Wirtzburgensi, Burggraviatu Norico, Silesia, Belgio, & Archiepiscopatibus Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, Terris Brandenburgensibus, Pomeranicis, Clivensibus, Palatinis, Megapolitanis, adhuc Pares Curiæ judicant. In Bavaria, Austria, Ducatu Magdeburgensi, Halberstadiensi,

Ter-

Terris Brunsvicensibus, Holsaticis, Anhaltinis caussæ feudales coram Tribunali dirimuntur. In Saxonia Electorali, coram Regimine, judiciis provincialibus, aut si majoris momenti sint, etiam judicio appellationum cognoscuntur, Joan. Schilter. *Inst. juris feud. cap.* x. *n.* 2. *n.* Fleischerus *Inst. jur. feud. c.* XXII. §. 7. De feudis Imperii dicam ad 1. *f.* 14.

Jure Regni Neapolitani sub Longobardis, & Nortmannis ante Monarchiæ institutionem, caussas feudales Paribus Curiæ cognitas constanter affirmo, quum tum omnino jus Longobardicum feudale servaretur. Erecta Monarchia Parium jurisdictio siluit, & si feudum esset planum, non quaternatum, Justitiarius Provinciæ cognosceret Frider. in Const. *justitiarii nomen, ibi, de feudis etiam, & rebus feudalibus ipsi cognoscant, præter quæstiones de Castris, & Baroniis, & magnis feudis, quæ in quaternionibus dobanæ nostræ scripta sunt, quæ omnia singulariter cognitioni nostræ Curiæ reservamus.* Item statuitur in Const. *justitiarii per provincias*, Const. *Præsides*. Magister autem Justitiarius Magnæ Curiæ de feudis quaternatis, *Comitatibus videlicet, Baroniis, Civitatibus castris, & magnis feudis, qui in quaternionibus dobanæ nostræ Baronum inveniuntur in scriptis*, cognoscebat, inquit, Const. *Magnæ Curiæ*, & Const. *statuimus, ut Magnæ Curiæ*. Si vero Provinciæ justitiarius de feudis quaternatis cognoscere voluisset, caussa coram fisci patrono, & procuratore regiæ Curiæ agenda erat, & definienda, postea ad Regiam Curiam transmittenda, Const. *Præsides*. Hodie si damnum, vel lucrum fisci concurrat, Regia Camera, si solius partis lucrum vertitur, M. Curia judicat. Sed omnes caussas feudales regulariter Sacrum Consilium finit, *Pragm.* III. *de Offic. Sacr. Cons.* apud Tapiam *lib.* II. *rubr.* 2. *juris Regni*, & ad Const. *statuimus*.

TITULUS V.

Quibus modis feudum amittatur.

HActenus quomodo feuda adquirantur, & retineantur, nunc quomodo amitti possint, etsi ordinis ratio lædatur: Et has amittendi caussas recenset, bellum, cucurbitationem, aggressionem, homicidium, libellum, pignus, mortem, refutationem, & devolutionem.

§. XVII.

§. XVII.

De bello, & adulterio.

Bellum: si vasallus seniorem in bello dimicantem, nec mortuum, nec lethaliter vulneratum reliquerit *prin. h. t. Si enim dominus prælium Campestre habuerit, & vasallus eum morantem in ipso prælio dimiserit non mortuum, nec ad mortem vulneratum, feudum amittere debet, &* 1. *f.* 21. §. *si quis*, 11. *f.* 24. §. 2. 11. *f.* 28. §. 1., 11. *f.* 57., & Modestinus in *l.* 3. §. *ult.* Menander in *l.* 6. §. 1. *& ult. D. de re milit.* Sive publicum, sive privatum fuerit bellum. Ratio est vasalli ingratitudo, qua sicut donatio jure civili revocatur, & manumissus in servitutem redigitur, ita vasallus feudum amittit. Non recte Afflict. *hic n.*7. sensit, si prælium campestre non immineat, vasallum dominum alibi periclitantem adjuvare non debere, cum semper hæc obligatio duret, sive periculum in prælio, sive in pace contingat, 11. *f.* 26. §. *licet*. Mozzius *tract. ex quibus caus. feud. amiss. n.* 92. Imo etiamsi ex fuga vasalli senior nullum sensisset damnum, quia hæc est mali exempli; ut Paul. in *l.* 38. §. 5. *D. de pœnis*, inquit, qui abortionis poculum dederit, etsi dolo non faciat, *quia mali exempli res est*, humilior in metallum, honestior in insulam, amissa bonorum parte, relegatur. Aut si in militia non armis, sed otio vacat, & necessitas urgeat, quia idem est non interesse bello, & inutiliter interesse 1. *f.* 21., ut qui vitiose cavet, vel satisdat, non videtur cautum *l.* 6. *D. qui satisda. cog.*

Excipitur: si vasallus inhabilis evasit, vel brachio abscisso, aut crure, aufugisset, quum ejus opera seniori non prosit, 1. *f.* 21. *in fin. ibi, si potuerit*. Si tamen clamoribus prodesse potest, tenetur, exemplo servi erga dominum, cui manu, armis, clamoribus, & objectu corporis auxilium ferre debet, ne vassallus feudo cadat, & servus in Silanianum incidat, *l.* 19. *D. ad Silan.* Secus si ipsemet aliquam corporis partem mutilasset, ne pugnaret. Hinc non immerito Augustus Equitis Romani bona hastæ subjecit, dum filiis adolescentibus, quominus armis tractandis apti forent, pollices amputavit, Sueton. *in Aug. cap.* 24. *Equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus, caussa detractandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ*. Et Menander *in l.* 4. §. 11. *D. de re milit.* exilio, & bonorum parte patrem mulctat, qui tempore belli filium suum militiæ subtrahit. Aut si bellum injustum sit, tunc dominum tueri, non vero hostem lædere debet, hoc est ditiones sui senioris ab

ab hostica invasione defendere. Verum nihil interest, an aperto marte, an insidiis bellum geratur; an si inter vasallos dubium fuerit, an senior justum, aut injustum bellum suscipiat, Duaren. *cap.* 14. *n.* 7., Sarader. *par.* VI. *c.* 6. *n.* 87. Aut, nisi vasallus fugisset, vitam amisisset, quicum ipse non magis vitæ senioris, quam propriæ consulere teneatur; & prima charitas a nobis incipit, Curt. *par.* IV. *n.* 8., etsi aliter Hadrian. *in l.* 1. §. 28. *de D. ad Silanian.* de servis rescripsisset, ut suam Domini saluti anteponere non deberent; recte, quia servus Romanis uti brutum, & gleba æstimabatur. Alias exceptiones *lib.* III. dedi, & ad II. *f.* 28. dicam.

Cucurbitatio: *Item si fidelis cucurbitaverit dominum, idest, cum uxore ejus concubuerit, vel concumber se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit; vel si cum filia, aut cum sorore domini concubuerit (hæc ita obtinent, si in domo domini maneat) jure feudum amittere censetur.* Cucurbitatio a barbara voce *corbita*, hoc est stupro, & infamia dicitur, est justa privationis clientelaris caussa §. *item si b. t.* I. *f.* 17. II. *f.* 57. videlicet, si illicite senioris uxorem cognoscat, quia uxor viri dignitatem, honorem, nobilitatem, forum, & domicilium retinet, una persona, seu corpus cum viro censetur, eique injuria illata in virum redundat, ut *libr.* III. dictum est. Aut *concubere se exercuerit*, hoc est si amatoriis litteris, illecebris, promissionibus, corruptis ancillis, osculis, quæ sunt fornicationis initia, ejus pudicitiam expugnare tentaverit, quum in maleficiis sola voluntas spectetur *l. divus D. ad l. Cornel. ad sicar.* Recte de hac adulterii gravitate scribit Philo judæus *lib. de Decalogo, eadem certe opera subvertuntur tres familiæ. Is cujus conjugium violatur, nuptialia vota perdidit, & spem prolis legitimæ, nec minus incommodi accipiunt reliquæ duæ domus adulteri, & adulteræ quandoquidem ambæ repletur dedecore, contumelia, probrisque turpissimis. Quod si numerosæ fuerint istæ familiæ, multis cognationibus, affinitatibusque implicitæ, totam civitatem accendet hoc flagitium, obambulans per ora civium. Permolestum est enim dubitare de liberis: & quoties parum integre servatur uxoris pudicitia, verus pater certe cognosci non potest. Itaque dum res in obscuro latet, adulter in subrepunt pro legitimis, alienarum familiarum sinceritatem depravans, hereditatem paternam, alioqui nihil ad se pertinentem, usurpant.*

Hujusmodi jurium læsio barbararum quoque Gentium sævitiem promovit. Rex Rotharius *lib.* I. *LL. Long.* 32. *l.* 2. sanxit, *si quis liber, vel servus cum uxore sua liberum, aut servum fornicantem inve-*

invenerit, potestatem habeat eos ambos occidendi: & si eos excide-rit, non requirantur. Imper. Guido pænam ordinariam statuit, nempe ut adultera, & adulter marito læso ad sumendam vindi-ctam traderentur. Si venundati in idem crimen incidissent, in fi-sci servitutem redigebantur. Si virgo sponte ab ingenuo corrupta esset, eam parentes exheredare poterant, & si ingenuus consensu parentum ducere vellet, pro culpa xx. sol. componet, si alterutris nuptiæ displicerent, centum solidos solvere tenebatur, quorum di-midia fisco, altera mundualdo defloratæ virginis cedebat, *lib.* I. *LL. Long. tit.* 34.

Nec refert, an mortuo seniore, vasallus rem cum ejus uxore vidua habeat, quæ omnes honores ex defuncto retinet, si vota se-cunda non petat *l.* 8. *D. de Senator.*, quia non dicitur amplius uxor senioris, in quem injuria non redundat, Scrad. *par.* IX. *c.* 2. *n.* 5., Rosent. *cap.* X. 27. *n.* 9. dissentit Schenck *hic n.* 5. Aut si sponsam sive de præsenti, sive de futuro, quia non modo matrimonium violari, sed & spes futuri matrimonii prohibetur *l.* 13. §. 3. *D. ad l. jul. de adult.* Aut sororem senioris, si in ejus domo maneat, *prin. h. t.* II. *f.* 24. §. 2. & a longobardis virgo in capillis dici solebat; quia nupta, exit a familia, & injuria non fratri, sed marito proprie illata censetur. Ego hac de re valde dubito, quia dedecus non modo maritum, sed & fratrem uxoris afficit, qui si vasallum feudo privat, æquitatem sectatur, Mozzius *tract. ex quibus cauf. feud. am. n.* 65. Aut nep-tem ex filio; sed cur non etiam neptem ex filia? Ratio, quia filia nuptiis exiit a familia, igitur ejus filia seu nepos non re-peritur in familia senioris, & feudista docet, licet Rosent. *loc. cit. n.* 37. dubitet. Aut si filiam senioris, vel nurum, hoc est filii senioris uxorem violaverit, *prin. hic*. Interpretes con-cubinam, & meretricem addunt, quod displicet, ut *lib.* III. probatum. Meretrix, quam Tertullianus *publicarum libidinum victimam* vocat, dicitur, quæ corpore quæstum facit, & sat erit, si duos cum mercede admittit, aliosque admittere parata *l.* 43 *D. de R. N.*, Juret. ad Symmach. *lib.* V. *epist.* 66. In his casibus feudum amittitur, sive ipsæ consenserint sponte, vel blan-ditiis motæ, ut de raptu sanxit Imp. in *l. un.* §. 5. *C. de raptu Virgin. l.* I. §. 5. *D. de injur.*, quia consensus blanditiis præstitus *violentia* appellatur, recte Augustin. *de moribus eccl. lib.* I. *c.* 22. *n.* 41. *Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amo-ris igne vincatur*. Has illicitas conjunctiones, exercitationes, actus, sollicitationes, tactusque impudicos feudista *hic* satis latine *ludum* dicit, & Catul. Hymen. *ludite ut lubet & brevi liberos date*, & *lib.* IV. *dictum*. §. XVIII.

§. XVIII.

De aggressione, & libello.

Aggressio: hoc est, si vasallus seniorem adoritur, inque eum irruat, sive personam, sive bona, videlicet castrum, civitatem, provinciam, vicum, etiamsi senior in eo non degat, §. *similiter h. t. Similiter si dominum assalierit, vel castrum domini sciens, dominum, vel dominam ibi esse. Item si fratrem suum occiderit, vel nepotem, id est filium fratris*, II. *f.* 24. §. *potro*. Aut aggrediatur illum locum, in quo uxor, aut filius senioris reperitur, quia eos lædit, seniorem lædere videtur, magis si pater Domini degat, Scrader. *par.* IX. *c.* 3. *n.* Assaltus contigit, dum pedibus vel equis in terra vel mare vasallus dominum invadit, & in eum committit. Impetus ad bona, & personam domini pertinet. Aggressio, si locum senioris insidiando circumdat. Ut lex Cornelia verberationem a pulsatione distinguit, pulsare est sine dolore, verberare est cum dolore cædere, *l.* 5. *D. de injur.* Lædit fidelitatis jusjurandum, quo vitam, & bona sive animi, sive corporis domini conservaturum se obligavit, II. *f.* 6. & 7. Excipitur, si errore, aut ignorantia non supina seniorem aggrediatur, Andr. *ad d.* §. *similiter*. *Homicidium*, ut si fratrem suum occidat, aut filium fratris §. *item si h. t.* II. *f.* 37. vel ut totam hereditatem obtineat, vel ut solus in feudo succedat, tunc sine dedecore in Curia manere non potest. Aut si *parricidium* in casibus legis Pompejæ committat, II. *f.* 24. §. *ult.*, Rosent. *cap.* X. 36. *n.* II. Si vero fratrem Domini interficit, feudo non cadit *d.* II. *f.* 37., nisi proditorie, quum ob proditionem in Curia Domini comparere non possit, Glos. *hic* v. *fratrem*, Alver. *ad* §. *similiter h. t.* Schenck *hic*. Cur si vassus fratrem suum occidens, feudo cadit, & si necat fratrem senioris non privatur? mihi videtur hac in re delinquere, ut feudum, vel hereditatem obtineret, magis peccat dum proprium, quam dum alienum sanguinem spargit. Ceterum nævis feudistæ id tribuendum.

Libellus: id est *si libellario nomine amplius medietate in feudum dederit* §. *aut si h. t.*, I. *f.* 13. recte tamen Cujac. & Hotom. *medietate feudi* corrigunt, quia olim etiam totum feudum alienare poterat, II. *f.* 44., postea usque ad medietatem, & si plus medietatis, invito Domino, alienasset, quod excederet, amittebat *d.* §. *aut si*, & II. *f.* 38. Et sicut vasallo per libellum feudum alienare non licet, ita & domino feudi proprietatem, nisi va-

vasallus consensiat, Imp. Conradus *lib.* III. *LL. Long. tit.* VIII. *l.* 4. *Insuper & omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium, aut precariam, aut libellum sine eorum consensu facere præsumat: illa vero, quæ tenent proprietario jure, aut per præceptum suum, sive per rectum libellum, sive per precariam, nemo eos injusto devestire audeat.* Hodie omnis commercii species in feudo vetita est II. *f.* 52. & 55. nisi Dominus consensiat. Quid sit libellus, sive contractus libellarius *lib.* III. dictum est; hic exemplum dumtaxat dabo, ex Leone Ostiens. *in chron. M. Casini lib.* I. *c.* 18. *Hic Abbas fecit libellum quibusdam hominibus de Termule, de omnibus rebus Sancti Benedicti, quas ibi possidebamus pro censu* XIV. *solidorum, & medietate totius pastionis.* Et P. Damianus *lib.* IV. *epist.* 12.

Eadem ratione, si plus medietate pro pignore feudum obligaverit §. *aut si h. t.* ibi *aut pro pignore plus medietate obligaverit, ita ut transactum permittat.* Obscuritas latet in voce *transactum*, Cujacius *distractionem* legit. Alver. exponit, hoc est dimittat apud creditorem suum, ut sua sit nomine transactionis; vel ex Baldo, debito non soluto, res penes creditorem remaneat. Andreas *transactum* intelligit negligentiam, quasi diligenter non curet, cum non debeat alienare, & distrahere; si alienat, diligenter feudum curare non dicitur. Hotoman. *transacto anno* legit, quia pignus prohibetur, quod plus anno tenebatur, ne vasallus fructibus careret, se, suosque equos alere non posset. Placet Cujacii, Alveroti, Baldi interpretatio, etsi mens Andreæ ab his non absit. Prohibetur itaque vasallo, plus medietate feudi pignorare, permissa creditori distractione, quod pignus consultum *in* II. *f.* 8. *in fi.* dicitur, quia maxime creditori consulitur. Hodie nec totum, nec pars feudi sine consensu Domini alienari potest, II. *f.* 52. & 55.

§. XIX.

De morte, & refutatione.

Morte, vel refutatione: *Rursus si fidelis minus medietate, libellario nomine feudum dederit, & sine herede decesserit, & feudum ad dominum redierit: vel postquam ad libellum dederit, vel pignori obligaverit, & domino refutaverit: tunc ille qui ab eo acceperit, nullo jure adversus dominium se tueri poterit.* Regula est, translato feudo in alium a vasallo, si postea ad seniorem, morte, aut refutatione vasalli, devolvatur, senior illud ab acceptore impune revo-

revocabit. Finge, vasallus medietatem feudi, libellario nomine Mævio dederit, vel pignori obligavit, postea vasallus sine herede decedat, aut domino refutat, Dominus a Mævio statim, secuta morte, vel refutatione, revocare poterit, §. *rursus h. t.* modo feudum fuerit novum; si antiquum, excluso seniore, ad agnatos redit. In feudo novo ratio senioris est extinctio juris vasallitici, igitur jus acceptoris perit. An acceptator contra allodiales vasalli heredes de evictione agere valeat? Distinguendum: si acceptor sciebat feudum esse alienum, vel aliis obligatum, vel venditorem sine descendentibus esse, & feudum ad seniorem post vasalli obitum devolvi, & in hac alienatione consensus domini intervenit, & acceptor specialiter evictionem stipulatus est, tunc contra allodiales heredes agere ad pretii restitutionem potest. Si ignorabat vassallum descendentibus carere, si dominus consensit, juribus nostræ Curiæ salvis, pretium obtinebit, si dominus non consensit, pretium quoque amittit, quia contra legem emit, quæ feudorum alienationem prohibet, Afflict. *hic n.* 7. Andr. & Alver. Quæsitum est, si vasallus, qui Mævio feudum alienavit, feloniam committat, qua feudo privandus est, an dominus a Mævio feudum avocabit? Maxime, quia jus vasalli felonia perit, igitur jus Mævii, seu acceptoris interire necesse est. Vasallus male versatus est in feudo, meritoque expelli, instar conductoris a fundo conducto, potest, *l.* 3. *C. de locato*. Hodie nec mors, nec refutatio expectatur, sed statim senior revocabit, excepta subinfeudatione II. *f.* 55. sive vasallus nomine libelli, pignoris, emphyteusis, aliove alienaverit.

Hinc ex hoc textu Ratio, atque exceptio deducitur. Ratio: quia vasallus suum feudum potest domino refutare, etiamsi juri suo noceat, quoties refutatio tempestive fiat, nec in fraudem alterius peragatur. Tempore belli, alterjusve imminentis periculi temere refutat, feudumque retinere compelli potest. Nec is, qui in eo feudo jus quæsitum vindicat, adversus dominum agere poterit. Natura enim feudi est, ut libere sine domini consensu refutari possit, II. *f.* 38. igitur Mævius, qui a vasallo feudum accepit, refutatione vasalli jus suum amittit, nec recuperat, nisi dominus consensiat, quia jus suum ad dominum rediit. Nec vasallus quid facere in feudo potest, quod in domini præjudicium, etiam post vasalli mortem, vergat. Quin imo si dominus alienationi consenserit, & vasallus sine herede decesserit, a Mævio, in quem alienavit, revocabit, quia Mævius sciebat, aut scire debuerat, lineæ interitu feudum ad dominum reverti, cum clausula in assensu apposita, *juribus nostræ Curiæ salvis*, Afflict. *hic n.* 1. Exceptio est: etiam jure novissimo

mo vasallus impune, & sine domini consensu feudum contractu libellario, vel emphyteusi in proximum agnatum alienat, aut investituram habuerit, clausula, ut ipse, & tui heredes, cui ipse dederit, possideant, II. *f.* 39. I. *f.* 13. §. *si vero.* De modo refutationis jure Regni Neap. *lib.* III. *Jurispr.* diximus.

§. XX.

De *feudi devolutione.*

Devolutio: cujus species proponitur *in* §. *item si b. t. Item si fuerint duo fratres, & unus investituram feudi acceperit, si postea feudum cum fratre diviserit, & ille, qui feudi partem accepit, postea plus medietate vendiderit, & sine legitimo berede decesserit, feudum ad dominum revertitur.* Et textus de feudo novo loquitur, idcirco pacto opus erat, ut frater fratri succederet. Finge, Mævius & Sabinus fratres de feudo investiti sunt, aut unus nomine utriusque investituram obtinuit, hac conditione, ut unus alteri succederet. Peracta feudi inter se divisione, Sabinus ultra medietatem suæ partis alienavit, postea sine herede feudali decedit. Quæritur, an Mævius frater, an senior succedat? Feudista hic seniorem admittit. Ratio dubitandi, quia lex vetus alienationem partis majoris dimidia vetabat *d.* §. *aut si*; dum Sabinus respectu suæ partis plus dimidia alienavit, dimidiam alienasse non videtur, quia dimidia dimidiæ respectu totius dimidia non dicitur. Sed ratio feudistæ est, quia illud, quod pro diviso possidemus, non pars, sed totum est, & pars, quæ Sabino obvenit, non pars, sed integrum feudum erat. Ex hac juris regula constat (1) hanc Sabini medietatem ad seniorem devolvi I. *f.* 21. §. 2. II. *f.* 24. §. *denique*, (2) omne feudum dividi posse, modo non sit primogenituræ, aut Ducatus, Comitatus, Marchionatus, (3) hoc est maxime *sine legitimo berede*; recte Hotom. pro *sine* reponit *etsi*: nomine *beredis* venit filius, & filius non succedit patri in feudo novo, si pater feudo ob sui culpam privatur, quum patris delictum in novo, & antiquo feudo filiis noceat, II. *f.* 26. §. *si vasallus*. Si enim pater feloniam in dominum, vel extraneum committit, & feudum est novum, exclusis descendentibus suis, nempe filiis, atque agnatis, feudum ad dominum redit. Nisi Dominus expresse filiorum, agnatorumve contemplatione clientelam concessisset, tunc delictum patris, nec filiis, nec agnatis simultanee investitis nocet. Si feudum est antiquum, distingui oportet, si feloniam in dominum, ejusque fa-

familiam commisit, exclusis omnibus delinquentis descendentibus, feudum ad dominum devolvitur. Tamdiu quidem, quamdiu delinquens, ejusque descendentes supersunt. His extinctis, clientela ad agnatos pertinet, quibus felonia vasalli nocere non poterat. Si in extraneum deliquit, exclusis descendentibus, agnati succedunt, quamvis jure in terris Saxonicis vigente, hae in re, filii admittantur, II. *f.* 24. §. *ult.* II. *f.* 37. Voet *ad lib.* 38. *D. digres. de feudis n.* 117. Fleischer. *Instit. juris feud. cap.* XXI. §. 9. & 10. & ad *d.* II. *f.* 24. prolixius dicam.

Deliquit vasallus in dominum, dum feudum, sine domini consensu alienavit, & alienatione statim adquisitum est domino, nec alter frater amplius succedere potest, *cap.* VI. *de Rescrip. in* VI. delictum unius fratri in feudo novo, non antiquo, nocet: Novum feudum unus frater ab altero fratre accipit; feudum antiquum frater non a fratre, sed a genere, pacto, & providentia recognoscit, unde delictum unius agnati altero agnato non præjudicat, II. *f.* 26. §. *Titius*, Afflict. *hic n.* 20. (4) pacisci potest, ut frater fratri in feudo novo succedat, si feudum morte vacat, secus si culpa, quia seniori aperitur, quum culpa fratris statim sit seniori apertum, & proinde alteri acquiri non potest, Alver. *hic n.* 3. Hodie omnis alienatio, sive totius, sive partis sine domini consensu prohibetur II. *f.* 52. & 55. & *d.* §. *item si* de alienatione medietatis silet.

Devolvitur & feudum, si vasallus illud, vel totum, vel partem alienat, sine domini consensu, quod in curte, vel extra curtem domini habet, in loco, ubi dominus districtum, vel honorem exercet; & ad dominum redit, §. *pen.* & *ult. h. t. Item si quis feudum habuerit in curte domini sui, non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine consensu domini sui dare, vel pignori obligare. Similiter si extra curtem detinuerit, & dominus districtum habuerit, vel alium honorem, etsi alienaverit sine domini voluntate, jure ad dominum revertitur*. A jure veteri, atque medio casus hujusmodi excipitur, si vasallus feudum in curte domini possideat, vel in loco, ubi dominus jus dicit. Nam nomine *curtis* villa, prætorium, domus regis, domus senioris continetur; & feudum in curte est, si vasallus ex camera, & cavena domini aliquid annum nempe 20. aut 40. solidos jure feudi percipit, ex cellario tot vini amphoras, quotannis, vel singulis mensibus recipit, ex quodam vectigali quandam portionem, vel prædium habet, glos. And. Alver. *hic*, Hotom. *in comment. verb. feud.* v. *curtis*. Feudum quoque in *curte* dicitur, si intra territorium senioris est; extra curtem si extra territorium concedentis constituitur, sicut Rex Pruf-

Prussiæ, in silensia quædam feuda confert, Rothi. *in pand. feud. cap.* 111. *q.* 43. *&* 44. *Districtus* nomine comprehenditur jurisdictio 11. *f.* 54. a distringendo, hoc est coercere. *Lex Long. lib.* 11. *tit.* 43. 2. *De mannitione vero, nisi de ingenuitate aut de hereditate, non sit opus observare: de ceteris vero caussis per districtionem Comitis ad mallum veniant.*

Nam post R. imperii majestatem Magistratuum jurisdictio, merum, mixtumque imperium vendi, delegari, in dotem dari, vel pignori, a privatis, & principibus cepit. Et ex magna servorum, propriorum hominum, adscriptiorum, & similium copia jurisdictio patrimonialis nata est, de qua Joan. Voet. *ad tit. D. de jurisdict. n.* 45. *Nostris ac Gentium plerarumque moribus jurisdictionem, & imperium sæpe considerari tanquam quid patrimoniale, quod rei, castro, territorio cohæret, & una cum re Principali etiam pignori obligari, ac ad universales, aut particulares Successores Ducum, Principum, Comitum, Baronum, nobilium, aliorumque similium jure successionis, legati, donationis, venditionis, permutationis, aut præscriptionis transferri potest: cujus etiam jurisdictionis, veluti rei incorporalis intuitu actio confessoria, aut negatoria, interdicta uti possidetis, aliaque retinendæ, vel recupandæ possessionis remedia, locum habent adversus eos, qui jurisdictionis terminos excedunt, vel eam exercent, quæ ipsis non competit. Dividiturque vulgo Barbaris denominationibus, in altam, mediam, & bassam, ad quas revocantur omnia, quæ jure Romano imperii, jurisdictionis, ac notionis appellatione veniebant; ita ut alta quidem, seu summa jus gladii, merumque imperium complectatur, media tutelæ dationes, mulctandi, subbastandi, annonæ curandæ, judicum eligendorum, prætorum ruralium constituendorum jus: bassa vero, seu infima caussarum pecuniariarum cognitionem, & definitionem similiaque contineat.* Et Zachar. Harmann. de feudis Bremensibus, inquit. *Ingenui Germaniæ, antiquioris fundos ad prædia avita hominibus propriis instructa possiderunt, in quos domestici coercitionibus, & castigationibus animadvertebant, quæ tandem in jurisdictionem, quæ dicitur, patrimonialem transit.* Et Gudelin. *de jure novis. lib.v.c.*13. *in fin.* Groeneweg. *ad l. un. C. ubi conveniat.* Jure Romano jurisdictio, & imperium erat personale, feudis, & territorio non cohæret. Hinc quilibet fere privatus in servos fundo adscriptos, in villis, & territoriis jurisdictione patrimonialem, de qua hic feudista, exercebat. Præter jurisdictionem, quam Principes, Comites, Duces, Marchiones titulo infeudationis, donationis, venditionis, pignoris, dotis, & similium concedebant, quæ in hoc §. tam

tam patrimonialis, quam regalis intelligi potest, idqud vetitum, ne jurisdictione, quæ plurimi tunc fiebat, frauderetur. Hodie quælibet alienatio sine domini venia prohibetur.

Ex his patet, duplicem esse ingratitudinis speciem, *delicti*, ut adulterium, homicidium, agressionem, deserere seniorem in bello; *contractus*, ut ad libellum dationem, alienationem, oppignorationem, & hæc tantum in titulo recensentur. Quamvis ingratitudo omnes amissionis caussas recolligat, a Romanis nunquam fere punita, sed a Longobardis & Italiæ moribus satis beneficii amissione coercetur, Senec. *lib.* III. *de benef. c.* 16.

TITULUS VI.

Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Dominum plebis Feudum dare non posse.

PRosequitur alios modos, quibus feuda ad seniorem devolvuntur; videlicet prohibitam rerum Ecclesiasticarum infeudationem, masculorum extintionem, & vitium corporis.

§. XXI.

De vetita titulorum Ecclesiæ infeudatione.

Inquit feudista: *Item si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa, vel dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subjecta sunt, & tituli vocantur, nullum habet vigorem, secundum hoc quod constitutum est a Papa Urbano in Sancta Synodo, hoc est illud, quod post ejus decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. Idem juris est, si Præpositus vel Abbatissa, vel alia Ecclesiastica persona, quæ antiquitus non sit solita in feudum dare: scilicet ut quod dederit, de jure non valeat.* Episcopus, Abbas, Abbatissa, vel Dominus plebis, hoc est Præpositus, seu Æconomus, qui reditus ecclesiasticos a plebeis id est colonis, & villicis ecclesiæ exigit, non possunt infeudare bona de mensa, & domanio ecclesiæ, quæ *tituli* vocantur, hoc est prædia ministris ecclesiæ adsignata, sine quibus nemo ordinari poterat, & alii debebant, sicut Urbanus Papa in Concil. Placentiæ instituit, & supra *tit.* I. dictum est. Hunc Prælatus feudista *hic dominum Plebis* vocat, hoc est Parochum Ecclesiæ, & *plebs* Ecclesia parochialis, vel Episcopalis nuncupatur; *plebanus*, hoc est qui huic Ecclesiæ præ-

præest, & gubernat, Petr. Damian. *lib.* IV. *epist.* 12. *Sunt etiam qui plebes secularibus tradunt*, & infra *plebanos* pro parocchianis accipit, sed pro Parocho, seu Prælato occurrit in diplomate Ottonis Ducis Brunsvicen. *an.* 1331. apud Augustin. de Leyser *de feudis Brusvicensibus* §. 35. ibi, *Hermannus plebanus Ecclesiæ Sancti Clementis in Luttere dimidium mansum ..... dictæ Ecclesiæ sua pecunia comparavit*. Suspicor hunc locum etiam intelligi de servitio militari, quod Episcopi, & Abbates Imperatori præstare tenebantur, idcirco milites vasallos alebant, eisque bona Ecclesiæ infeudabant, quod Urbanus II. deinceps vetuit, ne in titularibus prædiis infeudationes fierent. Quinimo Boehm. *tit. decret. de Rebus Eccl. alien.* §. 24. nomine *tituli* Ecclesias parochiales intelligit, quas Prælati sine justa caussa infeudabant, & hunc Abusum Urbanus II. impedit. Verum exceptionibus, quas Pontifex concedit, constat mensalia Ecclesiæ bona intelligere.

Neminem latet, tunc magnum in Ecclesia abusum irrepsisse, dum Prælati bona Ecclesiæ militibus, aliisque infeudarent, ut semper armatos milites potius ad gloriam, quam Ecclesiæ defensionem, & utilitatem haberent, atque ut benemeritis, favori, & sanguini prodessent, Chronic. Lubecense ad *an.* 1247. Petrus de Luna contra omnium vota de Ecclesiasticis decimis Carolum VI. Francorum Regem infeudavit, Paul. Aemil. *de Gestis franc. lib.* x. Hæc bona si Prælati infeudant, infeudatio non valet, & res ad Ecclesiam redeat. Duos casus excipit, si ea bona infeudari solita fuerint, & infeudationes ante decretum ejus factæ sint *prin. h. t.*, & supra probavi. Si opinio Boehmeri subsisteret, Pontifex non excepisset, cum undique Concilia adversus Ecclesiarum infeudationes reclamarent. Sic Petr. Damian. *lib.* IV. *epist.* 12. *Cum non modo quæ emphyteuseos sunt locata, contractu, vel jure proveniunt, sive etiam quæ libellario nomine pensitantur: sed illa quoque, quæ sub nudo beneficii vocabulo sæculares accipiunt, revocari de cetero, atque restitui Ecclesiis nullo modo possunt? Ita quippe manus diripientium diabolicæ tenaciæ glutinis inviscantur, ut quolibet modo semel acceperint, Ecclesiis reddere sua bona nullatenus acquiescant, & non modo ipsi dum vivunt, proprietario quasi jure possideant, sed in posteros sui germinis eminus possidenda transmittant. Petunt tibi seculares Ecclesiastica prædia, importunos se ingerunt, supplicantes insistunt, & non sub astipulationibus momenti, sed tantum sorte nomine beneficii, quod utique tantundem est, ac si adamantino stylo tabulis æris scriberentur.* Scio Ecclesias *titulos* in Conciliis, & monumentis appellari, Concil. Remense II. an. 813. can. 20. *ut presbyteris de minore titulo ad ma-*

majorem non liceat transmigrare. Concil. Turon. III. an. 813. can. 14. *de titulo minori ad majorem migrare nulli presbytero licitum sit, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua Episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem*; & Lupus Ferrarien. *epist.* XXIX. ibi Baluzius. Sed an Urbanus eos intelligere voluerit, suspicor, potius a communi Interpretum Schola non discedo, quæ bona Ecclesiæ mensalia divino cultui, & clericorum alimentis, & portionibus destinata, declarat, Petrus Schultzius differt. *de feudo Gratiæ cap.* III. §. 4.

§. XXII.

De successione masculorum, & devolutione.

Masculorum extinctio: si quis investituram accepit sub hac conditione, seu clausula, *ut ejus descendentes masculi*, & *femina illud habere possint*, admisso semel masculo, fæmina amplius non succedit: *Quin etiam si quis eo tenore feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi, & feminæ illud habere possint, relicto masculo, ulterius feminæ non admittuntur*. Finge, Mævius investituram habuit pro se, & descendentibus masculis, & fæminis: Mævius decessit, relicto filio mare, & fæmina, masculus, exclusa fæmina, succedit; si masculus iste sine masculo decedat, nihilominus fæmina, hoc est soror sua non admittitur, sed feudum ad dominum renit. Nam in re feudali undique ab Europæis, & extra cognita, semper in pari caussa, & sane incerta, prædium potius jure allodii, quam clientelæ teneri obtinuit. Feuda potius propria, quam impropria existimarunt, quibus substantialia, & naturalia, ut Interpretes loquuntur, integra inhærent. Patet feuda, præsumi masculina, non fæminina, nisi probetur fæminis etiam concessa, easque sicut mares succedere, quia quælibet res ordinarii juris esse intelligitur. Et quamvis viros inter clarissimos de feudorum origine dissentio incideret, in eo tamen conspirare omnibus placuit, ea militiæ aut agendæ, aut actæ, bellicique sudoris contemplatione a Principibus concessa, atque invaluisse. Et quo quis promptior, aptiorque militiæ onera subiret, eo magis feudalem Principum liberalitatem experiri poterat. Militia imbecilliori fæminarum sexui non convenit, idcirco & natura, & Gentium mores a feudis plerumque arcuerunt.

Olim, constat bona fiduciaria Dominum ita concessisse, ut penes eum facultas revocandi, uti libuerit, remaneret. Postea, ut significaretur ad vasalli posteros transire, additum est inve-

vestituræ *pro se, & heredibus dari*, quorum nomine non nisi mares intelligebat. Nec tunc feudorum divisio in fæminina, & masculina, hereditaria, aut mixta innotescere ceperat. Posteriori ætate, ne locus disceptationibus daretur, additum est, Sibi & maribus tribui, Henr. Gribnerus differt. *de feudis Imper. masculinis* §. 12. Jus tamen Longobardicum, investituram, *pro se, & heredibus, vel masculis, & fæminis*, pro maribus interpretatur. Apud Longobardiæ sapientes disputatum, an si convenerit, ut masculi, & fæminæ in feudo succederent, vasallus decedat, relicto filio, & filia, uterque succedat? ratio dubitandi est, quia masculus, & fæmina sunt *re, & verbis* conjuncti, *l.*142. *D. de U. S.* Nihilominus non modo fæmina, & masculus simul non admittuntur, sed & fæmina masculo superstitie, nunquam succedit, etiamsi masculus remotior, & fæmina proximior fuerit, 1. *f.*8. *v. filia*, 11.*f.*17. 18. 30. Ratio, quia copula &, verba, non sensum jungit, & ordinem ostendit, quasi diceret, non superstite masculo, fæmina succedat, Alver. *ad* §. *quin etiam h. t.* 2., Andr. *hic n.* 2. & Afflict. *n.*1. alia utitur ratione, *quia tenor, & conditio fuit, ut fæmina descendentes succedant: hic non est fæmina descendens ejusdem, de cujus successione agitur, sed ei soror, & collateralis, postquam filius successit: jam agitur de feudo filii & desinit esse patris, persona mutata*, cum ipsi crederent, fæmina semel exclusa, amplius non succedere. Sed non ne soror a primo adquirente descendit?

Ex his duplex nascitur regula: prima, fæmina semel exclusa, semper repelli: secunda, extante masculo, fæmina non succedit 1. *f.* 8. §. 1. 1. *f.* 24. 11. *f.* 11. 36. & 50. Curt. *par.* 111. *p.* 27. Attamen de prima regula dissentio Interpretibus occurrit, sed mihi *in lib.* 2. *jurisprud. feud.* distinctio placuit: si concessio, sive investitura simplex fuerit, fæmina semel exclusa, semper exclusa censeatur: si suspensiva, *donec masculus superest*, succedat, masculo deficiente, quam distinctionem innuit feudista *in* 11. *f.* 17. Voet *ad lib.*11. *dig. digres. de feud. n.*61. Gudelin. *par.*111. 3. *n.* 9. Cum in investitura, *pro se, & heredibus suis masculis, & fæminis* voluntas domini, & vasalli favore fæminarum, deficientibus masculis, concurrat. Et satis vox *donec* masculus superest, fæmina excludatur, ostendit, quam suspensivam, si ita loqui fas est, exclusionem inducit, Mozzius *de naturalibus feudor. n.*104. Sicut legatum Titiæ relictum, *donec nubat*, non præsens, sed in annos singulos Labeo deberi putavit, *l.* 17. *D. de annuis leg.* sic donec masculus vivit, jus fæminæ non peremptum, sed sopitum dicitur. Et nobis Vultejus, Struvius, Pistor, Schilterus, Fleischerus, aliique conveniunt. §.XXIII.

§. XXIII.

De vitio corporis.

Vitium corporis: de quo *in §. ult. h. t., Mutus feudum retinere non potest, scilicet qui nullo modo loquitur: sed si feudum fuerit magnum* (Cujac. *legit paternum*) *quo ei ablato se exhibere non valeat: tantum ei relinqui debet unde se sustinere possit. Et his omnibus casibus feudum amittitur & ad dominum revertitur*. Feudista de feudo paterno, & novo intelligi potest: si de feudo paterno, hic mutus, surdus, cecus, claudus, vel altere imperfectus talis a natura esse intelligendus, & feudum amittit, II. *f. 36.*, merito: quia feudum est beneficium militare, & qui militiae servitio vacare, consilium dare, seniorem in periculo constitutum præmonere, inter Pares Officio judicis defungi nequit, nec beneficium pertinet ad eum, qui Officium gerere non potuit, aut debet, II. *f.* 21. feudo indignus evadit, praesertim cum in Italia quilibet privatus, aut Princeps, vel dux, Marchio, aut comes defensione, armatis hominibus, ad se suaque tuenda, ardentibus bellis, indigeret. Si de feudo novo, & mutus ex accidente hic intelligitur, qui post investituram sibi factam, mutus linguam amittit, etiam feudum amittit, quia caussa ad non caussam redacta est, & condictione sine caussa repeti potest *l.* I. *D. de condict. caus.* Attamen jus feudale tam prorsus muto ex natura, quam ex accidente alimenta a feudo subministrada præbet, si feudum fuerit *magnum*, hoc est *fructuosum*, ut exponit Hotom., qui tacite Cujacium arguit; ambo tamen de feudo paterno intelligiunt, ob verbum *retinere*, quod proprium est feudi paterni. At tam *retinere*, quam *acquirere* feudo antiquo, & novo convenire possunt. Sicut in Concil. Chalcedon. *an.* 451. *act.* 11. & 12. celebrato Bassianus, & Stephanus exauctorati, seu depositi fuerunt, sed ex Ecclesiae Ephesinæ ærario ducentos aureos quovis anno, ne pauperes essent, *nutrimenti gratia*, & *consolatione* habuerunt, ut ipsummet Concilium loquitur. Modo vitium fuerit perpetum: temporale suspendit feudum, sed amitti non permittit. Cur autem ob hoc vitium corporis feudum ad seniorem, & non ad agnatos pertinet? Et quidem si feudum est novum, ad seniorem redit, quia in eo collaterales, & descendentes non succedunt, si culpam pater committat, II. *f. 26.* §. *si vasallus culpam*. Aut in specie textus descendens linea a primo adquirente non superesrat. Si est antiquum, ad agnatos, non dominum redit, Andr. *hic n.* 8. *ibi Lipar.*, Afflict. *hic* §. *mu-*

mutus n. 2. & 3. Curt. *par.* v. *n.* 12., & agnati huic muto alimenta præstare tenentur, D. Ludewig. *lib.* 11. *feud. opusc.* 2. *differ.* 12. *lit.* (99.) Conf. Vultej. *lib.* IV. *de feud. cap.* IX. *n.* 14. & Klammer. *in Promptuar. juris tit.* IV. §. 31. Prolixius *ad* II. *f.* 36. dicam.

§. XXIV.

De Moribus.

Hodie nemo infeudare potest, nisi solus Princeps ut 1. *f.* 1. dictum. De feudali feminarum successione Europæi mores dissentiunt. In feudis Ecclesiæ Fuldensis etiam hodie fæmina, si est proximior, quam masculus, succedit, conf. Fleischerus *Inst. jur. feud. cap.* v. §. 10. Feuda Imperii omnia masculina præsumuntur, si ad fæminas transeunt, a jure ordinario abhorret, Henricus Gribnerus de *feudis imperii masculinis sect.* 2. §. 3. Jure Alemannico, sicut nec Clerici, agricolæ, infamiæ notati, ita & fæminæ non succedunt, Gribner. *loc. cit.* §. 2. In Belgio, & Francia juris regula est, fæminas feudorum successionis capaces esse, nisi dictum specialiter fuerit, ut soli mares succederent, sive de feudis minoribus, sive majoribus agatur. Sicut in Ditionibus Flandriæ, Hannoniæ, Zelandiæ, Namurci, Brabantiæ, & Luxemburgi sæpissime contingit, Gudelin. *de feud. par.* III. *c.* 3. *n.* 3. Germani gens militaris dedecori reputarunt, mulieri parere, cum militiæ præesse, justitiam administrare, & comitia sub dio conscribere Principibus conveniat. Quamvis consuetudo in quibusdam Germaniæ provinciis admittat, & feuda, in quibus fæminæ succedunt, contra juris Longobardici regulam, propria existiment, Carolus spenerus *de feudalis jurisprudentiæ nævis* §. 7.

In feudis Ecclesiasticis oblatis, ut fuldensibus, Coloniensibus, Hirschfeldensibus, Monasteriensibus, Zeodicensibus, Trevirensibus, Osnaburgensibus, proximior gradu, sive mas, sive fæmina sit, succedit, & si ejusdem gradus sint, omnes admittuntur. Nec jus Longobardicum hic convenit, quod feuda oblata ignorat, & tantum data cognoscit. Sed naturalis ratio, atque æquitas fæminas ad successionem invitat, quæ non proprie ex liberalitate domini, sed offerentis arbitrio succedunt, dum earum Parentes bona sua obtulerunt, deinde ab iisdem Ecclesiis in feudum acceperunt. Nec tam crudeliter cum vasallo agendum, qui sua liberalitate originem his feudis constituit, nec in constituendo suum sanguinem spernere voluit, nec fæmina, quæ succedit, alienum adquirit, sed suum bene-

ne-

neficium recipit. Præterea hodie fæmina per substitutum domi, militiæque servit, jurisdictionem, vel civilem, vel criminalem feudo adhærentem exercere potest *cap. 4. de arbitr.* Strykius *in usus modern. Pandect. tit. de judic.* §. 9. vix ad senioris consilium evocatur, sæpius pro servitio militari pecuniam, aut armatos homines præstat, Henning. Boehmer. *de feud. Eccl. c.* XV. §. 7. & 8. Fatendum est, in feudis oblatis fæminas succedere, vel simul cum masculis, vel deficientibus masculis, sicut in investitura convenit, quam non jus Longobardicum, aut natura feudi, aut consuetudo, sed pactum, placitumque dirigit.

Jure Regni Neapolitani, antequam Rogerius monarchiam instituisset, juris Longobardici regula obtinebat *superstitibus masculis, feminas non succedere*, nisi decipiam. Nec familia Normannica de feudali successione aliquid sanxit, sed mores Longobardicos cum Neustriæ statutis, legibusve mixtos servare voluit. Svevica Stirps, nempe Frider. II. primus fæminas ad successionem, hoc pacto invitavit, ut masculus fæminæ, stirpis maximus minori, constituto fæminæ seu sorori paragio, vita & militia minori fratri præferatur, Const. ut *de successionibus*, Const. *in aliquibus*, Const. *comitibus* & prolixe in *Codice juris feudalis R. Neap. lib.* I. dicam. Denique mutus, surdus, cæcus, Clericus, moribus Europæis a feudi successione non excluduntur, modo fidelitatis jusjurandum & servitia, quæ adhuc hodie vigent, per substitutos præstent, Groenewegen *h. t.* Voet. *lib.* 38. *D. digress. de feud. n.* 64.

T I T U L U S VII.

De Natura Feudi.

HIs præmissis, naturam feudi declarare aggreditur. Auctor unicam naturalem beneficii qualitatem exponit, nempe ne feudum sine culpa amittatur. Sed præcognosci oportet, in feudo sicut in quolibet contractu, tria distingui, quæ ad substantiam, naturam, atque accidens pertinent.

§. XXV.

De substantia, natura, & accidente feudorum.

De *substantia* feudi est translatio utilis dominii, retento dominio dirigente, mutua fidelitas inter dominum, & vasallum, & si unum ex his deficit, ne feudum quidem improprium nascitur. Feudum nec concipi, nec dari potest absque fidei lege,

ge, & ubi fides abest, alia penitus diversa utilis dominii species constituitur. Omnia enim negatia, pacta, contractus, res, demta essentia, esse desinunt, cui pactis derogari non potest, cum essentia rerum, humanorumque actuum, jus publicum in rebus creatis componat, An investitura sit de substantia feudi? Christoph. Lynckerus *dissert.* 1680. *de feudo pecuniario* §. 2. affirmat, licet per æquipollens suppleri possit.

De *natura* feudi est, ut ad heredes transeat, in re immobili consistat, servitium, investituræ renovatio, facultas subinfeudandi, immissio in feudi possessionem, nec interesse præstando liberari, ascendentem descendenti non succedere, non alienetur, nisi dominus, si novum; agnati, & dominus, si antiquum fuerit, consensiant. Præsumi proprium, non improprium; antiquum, non novum, in probatione feloniæ non duos, sed quinque testes requiri: libere plerumque refutari; in generali bonorum alienatione non comprehendi; non servari jus accrescendi; ab agnato retineri posse, & hereditatem repudiari; posse in eo fine domini consensu servitutem imponi; sicut & transigere, & compromittere, quin dominus consensiat, modo seniori non noceat; non posse a domino alienari, sine vasalli consensu; solos mares legitimos & naturales in eo succedere, qui a primo adquirente descendunt; triginta annorum spatio præscribi, quo alienatum jus revocandi perit; competentem judicem esse dominum, Pares Curiæ, si caussa feudalis occurrat, secus judicem ordinarium; non præstari jusjurandum calumniæ; vasallos de feudo litigantes non posse jurisdictionem senioris, & parium prorogare; in investitura castri, civitatis, & territorii pertinentias, jus aquarum, venationis, omniumque fructuum perceptionem contineri, ut jus Longobardicum in his duobus libris passim ostendit.

Ad *accidens* clientelæ pertinet quodlibet pactum, quod in investitura apponi possit, esse, & abesse, quin ejus substantiam, attingeret, læderetque, nec credendum, nisi probetur. Finge pacto fieri valet, ut fæmina, vel frater fratri in feudo novo succedat; vasallus servitium non præstet, vel insolitum præstet. Ut sine consensu senioris alienetur, feudum soldatæ ad heredes transeat, beneficium non amittat, si servitia non præstet, præsertim filii ex secunda uxore forsitan ignobili nasciturі non succedant, & similia, quæ naturam feudi immutare extendere, coarciare, vel diminuere possunt. Modo non sit pactum turpe, vel impossibile, tunc investituram, sicut ceteros contractus, vitiat, *l.* 31. *D. de O. & A.* Mozzius *tract. de substantialibus, natural. & accident. feudorum.* Qui

Qui fubftantialia, & naturalia in jure feudali, & civili condemnit, in innumeros incidit errores, ut contra Cujacium eruditis probatum eft, & initio regulam omni plerumque ætate in clientelis veram proponit; *feudum fine culpa vafallo eripi non poteft. Natura feudi hæc eft, ut fi Princeps inveftierit Capitaneos fuos de aliquo feudo, non poteft eos deveftire fine culpa, ideft Marchiones, & Comites, & ipfos qui propro bodie appellantur Capitanei*. Etfi olim a domino, uti placuerat, revocari poterat, ficut hodie Magiftratus in Gallia a Rege conferuntur, fub formula, *quamdiu nobis placebit*. Inducta vero fucceffione, ftatutum, nemini feudum auferri, nifi jufta adfuerit cauffa II. *f.* 34. §. 2., Hotom. *hic*, & Corradus Imper. *in lib.* III. LL. Long. *tit.* 8. *l. ult.* fanxit, *Conradus Dei Gratia Romanorum Imperator Auguftus omnibus Sanctæ Dei Ecclefiæ fidelibus, noftrifque tam præfentibus, quam futuris notum effe volumus quod ad reconciliandos animos feniorum, & militum, vel ad invicem femper inveniantur concordes, & ut fideliter, & perfeveranter nobis, & fuis fenioribus ferviant devote, præcipimus, & firmiter ftatuimus, ut nullus miles Epifcoporum, Abbatum, & Abbatiffarum, Marchionum, vel Comitum, vel omnium, qui beneficium de noftris publicis beneficiis, aut Ecclefiarum prædiis nunc tenet, aut tenuerit, aut hactenus injufte perdiderit, tam de noftris majoribus valvafforibus, quam eorum militibus, SINE CERTA, & CONVICTA CULPA SUUM BENEFICIUM NON PERDAT, nifi fecundum confuetudinem anteceſſorum noftrorum, & judicium parium fuorum*.

Si itaque Imperator, vel Princeps, aut eorum Succeffores, fine cauffa non auferunt feudum, quod Comiti, Duci, vel Marchioni concefferunt, qui improprie Capitanei dicuntur, ut Cujac. & Hoto. corrigunt: nam aliud eft Dux, Comes, Marchio, aliud Capitaneus, de quo *in tit.* XIV. *h. libr.*, & fatis feudifta *in* II. *f.* 53. diftinguit. *Idem eft, fi inveftitura fi facta a Capitaneis, & majoribus valvaforibus, qui proprie bodie Capitanei appellantur. Si vero facta fuerit a minoribus, vel minimis Valvaforibus aliud erit. Tunc enim poffunt deveftiri non babita ratione Culpæ: nifi fecerint boftem Romæ, tunc enim idem eft in minimis, quod in majoribus valvaforibus: vel nifi emerint feudum: tunc enim pretium reftituendum eft fecundum antiquum rationabilem ufum Moderni* (Mediolani) *autem non ita fubtiliter cernentes, dicunt idem obfervandum in minimis, quod dictum eft in majoribus valvaforibus*. Si hujufmodi Comites, Marchiones, vel Duces fui feudi portionem, vel totum fubinfeudant, vel fuum allodium in clientelam concedunt, fubvafallis, & vafallis etiam fine cauffa eripere non poffunt, qui majores

jores valvafores dicuntur. Nec major valvafor, quod minori dedit, fine cauffa aufert. Hinc infeudationis gradus oriuntur, & quifque impune privari non poteft; merito: quia feudum eft contractus, & ex contractu quilibet obligatur, etiam Princeps, cum ex eo jus contrahentes acquirant, quo injufte non funt fpoliandi. Aut fi fponte Princeps inveftiat, & privilegium, aut Gratia dici poffet, tamen induitur obligatione contractus jurifgentium, quo Princeps tenetur. Si tamen minor valvafor minimo valvafino dederit, quia jure feudi non cenfetur, etiam fine culpa aufert: nam minor, aut minimus valvafinus nobilem non faciunt, & ei, cui feudum donatur, plebejus remanet, non naturam feudi, fed potius precarii habet. Duo excipiuntur cafus, (1) fi valvafinus *hoftem Romæ fecerit*, hoc eft, Romam cum Imperatore ad accipiendam imperii coronam a Pontifice proficifcatur; hoftem facere, eft apud exercitum effe; & id ob laborem permittitur, & infra dicam, (2) nifi emerit feudum, tunc emptor poteft pretium repetere, fi venditor revocare velit, ne duplici damno afficiatur, Cujac. 1. *f.* 3. Hotom., & Andr. *hic*. Ex noviffimo autem Italiæ jure, vel ut Cujac. corrigit, Mediolanenfium, ficut major valvafor fine cauffa feudum revocare non poteft, ita nec minor, aut minimus ab ipfis, vel ipfi, nifi convicta culpa, revocant 1. *f.* 22. 11. *f.* 10., conf. Curt. *par.* 11. §. *quarto principaliter*.

T I T U L U S VIII.

De fucceffione Feudi.

QUoniam fucceffio ad feudi naturam, aucto clientelari jure, pertinet, de fucceffione agit, & quatuor declarat, (1) vetitam vafalli de feudo difponendi facultatem, (2) fucceffionem defcendentium, (3) fucceffionem collateralium, (4) & filiarum exclufionem.

§. XXVI.

De ordinatione defuncti in feudo.

In jure feudali duo adquirendi clientelas modi recenfentur, *inveftitura*, *&* *fucceffio*: Inveftitura eft proprius, & primæus adquirendi modus; fucceffio non dicitur proprie adquifitio, quia nemo fuccedere valet, nifi feudum ab eo, cui vult fuccedere, adquifitum intelligatur, & fucceffor jam jus vindicat, in re, cui fuccedere contendit. Succeffionis nomine non quælibet, fed tantum intefta-

ta

ta continetur. Hodie omnis successio duplex est, hereditaria, & feudalis, utramque temporibus variasse constat, & prima ab altera triplici ex capite distat. (1) in feudis non promiscue heredes succedunt, sed illi tantum, quos lex, vel loci consuetudo invitat, nempe soli mares, qui & familiam conservare, & militare servitium præstare possunt, 1. *f.* 1. 8. 13. 11. *f.* 34. §. *profecto*, non adoptivi, non naturales, non extranei, non rescripto Principis legitimati, ut *libro* 11. *f.* 26. dicam. (2) Successio hereditaria est in universum jus defuncti, videlicet commoda, atque onera, non raro in pœnam, *l.* 62. *l.* 108. *D. de* R. J. *l.* 20. *D. ad l. jul. Repetund.* feudalis successio est in rem singularem, nempe feudi, non in æs alienum, nisi quod ob feudi utilitatem contractum est, 11. *f.* 45. (3) hereditas est successio in jus defuncti, successio clientelaris est in jus primi adquirentis, & aditio, cui, non ultimo possessori succeditur.

Sicut in fideicommisso familiæ relicto contingit, in quo heres fideicommissarius non heredi fiduciario, sed fideicommittenti succedit, quum bona restitui jussa, non sint heredis fiduciarii, sed ejus, qui restitui mandavit. Heres fiduciarius ad dies vitæ possedit, & jus suum morte periit, *l.* 67. *D. de leg.* 2. Henr. de Coccei *dissert. de feudo hereditario mixto ann.* 1701. §. 10 Neque ab invectis feudorum originibus inducta, sed seculo IX. & X. nata; neque in omnibus feudis admissa, sed nonnulla excipi ceperunt, ut Gastaldiæ, Guardiæ, Soldatæ, de camera, cavena 11. *f.* 10. Nec heredis mentio omnes heredum species comprehendit, sed liberos, & masculos, quos non voluntas vasalli, sed lex feudalis, natura feudi, & pactum concedentis, & investituræ tenor ad successionem vocat, quam vasalli voluntas, vel inter vivos, aut caussa mortis intervertere non potest. Hinc feudista in *princ. h. t. nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente.* Non potest igitur pater uni filiorum feudum prælegare, aut extraneum instituere, aut inæqualiter inter filios feudum dividere; nec quod individuum est, ut Marchionatus, comitatus feudum inter filios partiri, cum maximus stirpis succedere debeat, P. Greg. Synt. *lib.* VI. *c.* 18. *n.* 4.

Si quis igitur decesserit, filiis, & filiabus superstitibus: succedunt tantum filii æqualiter, vel nepotes ex filio loco sui patris. Qua de re si vasallus filiis, & filiabus superstitibus, decedat, filii tantum succedant, simul cum nepotibus, qui patrem suum repræsentant, *princ. h. t.* & 1. *f.* 1. §. 3. 11. *f.* 11. 11. *f.* 9. §. *donare*. Et si unus hereditatem repudiat, feudum accipere nequit,

quit, cum utrumque retinere, vel utrumque repudiare debeat, sive emancipati, sive sui fuerint. An exheredati? Nonnullis placet, si justa sit exheredationis caussa, non succedere. Male: Nam filius non beneficio patris, sed patroni auctoritate, quam perpetuo in clientela vindicat, feudum consequitur; non a patre, sed a majoribus suis recognoscit. Et quamvis filius feudum habere non possit, nisi hereditatem adeat, II. *f.* 45., tamen de culpa, aut dolo non meretur argui, dum ipse velit esse heres, sed nequit, cum pater exheredaverit, Hotom. & Cujac. *hic*, Curt. *par.* III. §. *expedita n. 6.* Hæc circumscripta disponendi facultas in feudo tantum ex pacto & providentia antiquo, non autem novo, aut hereditario procedit. Nam de feudo novo, aut mere hereditario vasallus consensu senioris recte testatur, sicut a contrario sensu probat II. *f.* 39., ab his filius exheredari potest. In feudo enim antiquo filiorum exheredatio non cadit, quod si filius ingratitudinem in patrem commiserit, qua paternam pietatem superaverit, exheredatio valet, si dominus consentiat, tunc curiam senioris infamat, Stryki. *Exam. juris feud. cap.* XIV. *q.* 7. Quod mihi non arridet, quum jus filii in feudo succedendi, non a patre sed a primo Adquirente dependeat. Neque feudum antiquum in legitimam filio computari potest, sed jure singulari feudum habet, & legitimam deinde in paterno allodio petit, Fleischer. *Inst. juris feud. cap.* XIV. §. 21. Aut si dispositio feudi utilitatem respiciat; aut de fructibus testetur; vel agnatorum consensus accedat, qui nascituris non nocet. Rosent. *cap.* VII. 4., Crader. *par.* VII. *c.* 2., Rothius *in pand. feud. cap.* XIV. *q.* 2. & 3., Andr. *hic*, Christin. *to.* VI. *dec. begl.* 29. Decedente itaque patre, prima succedendi caussa est liberorum, exclusis filiabus, & nepotum, qui jure repræsentationis in hac linea in infinitum usque in locum sui patris succedunt *prin. h. t.* I. *f.* I. §. 3.

Ex re nata oritur quæstio ex illis hujus textus verbis, *succedunt tantum filii æqualiter, vel nepotes ex filiis loco sui patris*, an nepos patruum excludat? Quæ in omnibus plerumque Europæ ditionibus acta est: Bartholomæus de Capua pro patruo, hoc est Roberto Neapolis Rege contra nepotem Hungariæ Regem scripsit, & prolixe *hic* Afflict. disputat. Distinguam: si fuerit feudum juris Longobardorum, & pater filios, & nepotes reliquit, nepotes jure repræsentationis in stirpes cum patruis, sicut jure civili, succedunt. Quæ repræsentatio in infinitum jure Romano, & Germanico ambulat. Si autem soli fratrum filii sine patruo concurrant, tunc in capita ad defuncti patrui hereditatem succedunt, sicut etiam in Spi-

Spirentibus Comitis Carolus V. an. 1529. sanxit, & in feudis, ut *tit.* XIX. *h. l.* dicam servari nihil prohibet. Post fratres, fratrumque filios successio in capita, servata gradus prærogativa contingit, *auth. post fratres C. de legit. hered.* Balthasar. Klammer in Promptuar. juris *tit.* IV. §. 8. *& seqq.* Gudelin. *de jure novis. lib.* II. *c.* 15. Si feudum fuerit juris francorum, nepos excludit patruum, cum patrem suum in Ducatu, Comitatu, Baronia, Marchionatu, & Principatu repræsentet.

Deficiente linea descendente, succedunt collaterales §. *hoc quoque h. t.* II. *f.* 31., II. *f.* 50. Collateralis duplici modo consideratur: vel est collateralis respectu primi acquirentis, & non succedit, quia in feudo novo frater non succedit fratri, nec alius collateralis admitti potest: vel collateralis sumitur respectu ultimi decedecentis, hoc est a primo acquirente descedens, & succedit, & tunc non collateralis, sed descendens dicitur. Finge: Rex mihi feudum concessit, est feudum novum, in quo non frater meus, sed filius meus nepos, pronepos, abnepos, & deinceps succedunt. Et transitu de me ad filium meum, evasit antiquum. Si filius meus sine filiis decedat, non frater meus succedit, sed feudum ad dominum redit. Hinc juris regula est, in feudo non alios succedere, quam qui a primo adquirente descedunt. Nec sola agnatio sat erit, sed requiritur, ut ab eo descendat, qui primo adquisivit, II. *f.* II. Sonsbec. *par.* IX. *n.* 88. Ferret. Montan. *lib.* III. *c.* 2. §. *secundo ordine*. Et quamvis jure Justinianeo sublata fuerit agnationis, & cognationis differentia, *Nov.* 118. *c.* 4., in feudis tamen jus antiquum servatur, & proinde tantum agnati, qui familiarum præsidum substinent, succedunt II. *f.* II.

Nam extranei, fæminæ, cognati, imo & agnati a primo adquirente legitime non descendentes, feudali successione non fruuntur. Excipitur feudum fæmineum, in quo consuetudine, aut pacto fæminæ, & proinde cognati succedunt, modo a primo adquirente descendunt. Nec vinculi duplicitas, seu fortius ligamem juvat, ut si frater germanus, & consanguineus concurrant, æqualiter succedunt, etsi frater germanus ex vtroque latere jungatur, quia ambo a primo adquirente descendunt. Frater uterinus in feudo a communi matre adquisito, aut a materna linea, consangineum excludit, non vero fratrem germanum, qui simul cum eo æqualiter vocatur, si feudum fuerit juris longobardici; si franci, primogenitus succedit, Rosent. *cap.* VII. 57. *n.* 4. Struv. *S. J. F. cap.* IX. 6. 2. Balthasar Klammer *in Promptuar. juris tit.* IV. §. 5. *n.* I. Nec refert, an feudum fuerit ex pacto, an hereditarium, licet in hereditario tam

filius, quam agnatus non modo heres primi acquirentis, sed & proxime defuncti, sit oportet, Andr. *in* II. *f.* 45. *n.* I. *&* 2. Pistor *lib.* II. *q.* I. *n.* 72. Vultej. *lib.* I. *c.* IX. *n.* 210. *&* 212. Denique hæc successio collateralis, sicut descendens, in infinitum usque extenditur, modo successor a primo adquirente se descendere probaverit, I. *f.* I. §. *hoc quoque*, II. *f.* 31. nec obstat noster §. ibi *usque ad septimum gradum*, qui de jure veteri intelligitur, II. *f.* 50. Curt. *par.* II. 3. *par. princ. n.* 48. Pistor *lib.* II. *q.* 19. *n.* 28. *&* 29., Duren. *c.* II. *n.* 15.

Si frater meus alienaverit partem suam feudi, vel fecerit investiri filiam suam, si moriatur sine herede masculo, nihilominus revertitur ad me, & olim observabatur usque ad quartum gradum tantum secundum quosdam: hoc ideo quia postea non vocatur feudum paternum. Alii autem dicunt usque ad septimum gradum. Finge: Mævius & Cajus fratres in paterno feudo successerunt, acta divisione, Mævius medietatem, Cajus alteram obtinuit. Mævius partem suam (licite jure veteri) alienavit, deinde sine filio masculo decessit, ejus pars ad Cajum Fratrem redit. Nam si vasallus legitime feudum alienat, primo filius, si extat, secundo agnatus, excluso seniore, revocat filius, dum revocat, vivo patre, pretium restituit, & in revocando omnes agnatos excludit. Quæro, an ut agnati, vel filii revocare possint, opus sit, ut alienationem lex prohibeat? Afflict. *hic* §. *hoc quoque n.* 14. recte distinguit: Si contra legem alienavit, vivo alienatore, revocant, si permittente lege, videlicet olim libello, vel medietate, post mortem alienatoris revocant. Nec in feudis servatur *l.* 7. *C. de restitut. milit.* quæ inquit a patre gesta, filium ad irritum revocare non posse. Aut si Mævius de sua parte filiam investivit, & sine herede masculo decedat, nihilominus, etiam exclusa filia, ad Cajum redit. Merito: quia etiam consensu senioris fæmina in præjudicium agnatorum non succedit. Filia utitur fruitur feudo, donec ejus pater vivit, ipso decedente, agnati revocant, Hotom. *hic* & Alver. *n.* 2. De revocatione *in* II. *f.* 26. §. *titius*, *&* II. *f.* 39. agam. Quare si pater refutat feudum domino, ut filiam investiat, refutatio corruit, quia agnatis nocet; neque feudum novum evadit, sed antiquum remanet. Atque hæc de feudo paterno, in quo frater fratri succedit, seu agnati invicem admittuntur. At in feudo novo frater non succedit fratri, nisi investitura expresserit, ut nuper diximus §. *ult. h. t.* I. *f.* 20. Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* XII. *n.* I. *&* 12. Gudelin. *par.* III. *c.* 2. *n.* 5. *&* 6.

Filia vero non succedit in feudo, nisi investitura fuerit facta in patre,

tre, *UT FILII, ET FILIÆ SUCCEDUNT IN FEUDUM* (*tunc enim succedit filia*, *filiis non extantibus*) *vel nisi investitæ fuerint*. *Et hæc de feudo paterno*. *In alio vero feudo*, *quod habuit initium tantum a fratribus non succedit unus alteri*, *sive una investitura*, *sive duabus ; nisi hoc fuerit dictum expressum*, *ut alter alteri succedat*. Sicut frater fratri in feudo novo non succedit, ita & filiam tam a novo, quam antiquo feudo jus feudale repellit. Si itaque vasallus filios non habeat, & filiam suam consensu domini de feudo investit, investitura valet, donec pater filiæ vivat, patre mortuo, feudum ad agnatos pertinet, & investituram revocant, nisi dictum sit, ut filii, & filiæ succederent, tunc, deficientibus masculis, etiamsi non exprimatur, ipsa succedit §. *filia vero h. t.* II. *f.* 17. I. *f.* I. §. 3. I. *f.* 6. §. I., II. *f.* 36., Thomas de Marin. *loc. cit. tit.* XI. & in laudatis textibus dicam.

§. XXVII.

De Moribus.

Nonnullis Europæ moribus sine Senioris consensu vasallus in testamento disponit. Sicut in feudis Imperii hereditariis, in Sicilia; & in Rego Neapolitano pater filiam, etsi proximiorem præterire, & masculum remotiorem instituere, potest (ut in *Codice feud. RR. Neapol. & Sicil. dicam*) in Gallia feudalis conditio instar patrimonii, in Burgundia, feudis Delphinatus, & consuetudine Biturgium obtinuit, P. Greg. *Synt. lib.* VI. *c.* 18. *n.* 3. Hinc Gudelin. *de feudis par.* III. *c.* I. *n.* II. inquit. *Si jus moribus nunc introductum respiciat*, *feuda redacta sunt ad instar reliquorum*, *quæ in patrimonio sunt ; ac vendi*, *donari*, *transferrique aliter inter vivos*, *& testamento*, *saltem certo modo*, *sicut postea dicam*, *solent*, *nec non jure heredis capi*, *non secus quam aliæ res: & quando in illis succeditur raro ex tenore investituræ rationem*, *aut formam successionis perpendimus*, *aut tanquam in beneficium primi adquirentis*, *sed quasi in bona ultimi possessoris aliquem*. *succedere censemus*.

De Gallia scribit Alteser. *de O. F. cap.* VI. *Sed hodie aliter usu venit*, *ut feuda vendi*, *& alienari omnino possint sine voluntate domini*, *quia feuda desciverunt a sui natura*, *& patrimonii jure censentur*. *Sed domino volenti debentur εἰσδεκτὰ: non assensienti integrum est προτιμήσεως. nec non eo jure*, *quo utimur feudum Ecclesiæ vendi potest*, *sed cum sua caussa: quo casu ne quid domino prin-*

principali desideraretur, quod Ecclesia sit immortalis, militiaeque inhabilis, cogitur Ecclesia prae hominem, a quo debita obsequia exhibeantur, quoque mortuo fidelitas redintegretur. In Gallia feudum, si fidelitatem, & servitia excipias, allodium censetur, & tam inter vivos, quam caussa mortis alienari potest Guliel. de Benedict. ad cap. Raynutius *de testam. vv. & uxorem nomine Adelasiam v. decis. n. 3. & seqq.* Christin. *ad LL. Municip. tit.* IV. *art.* 5. *n.*I. *& tom.*V. *decis. Belg.* 267. *n.* 5. Et prolixius in II. *f.* 50. dicam.

TITULUS IX.

Qui successores teneantur.

EGit de vasalli successoribus, nunc ad senioris successores transit, qui investituram fecit, an eam ratihabere teneantur, idcirco Cujac. tituli epigraphem legit, *qualiter heres investitoris tenetur*.

§. XXVIII.

De Laici investientis obligatione.

Et distinguit laici investientis successorem, a clerici concedentis in dignitate, personatu, aut officio successore; qua distinctione nulla melior in his libris excogitari potuit. *Si quis investitus fuerit de alieno feudo POST MORTEM EJUS, vel si quis fuerit investitus SUB CONDITIONE ALIQUA, VEL TEMPORE, QUO NULLUS ERAT INVESTITUS: Sive praemoriatur tenens feudum, sive investitor, sive investitus: investitor, & investitoris heredes tenentur investito, vel heredi ejus veniente tempore, vel conditione: licet alii dicant, si moriatur investitus antequam tenens feudum, vel ante conditionem existentem, vel ante tempus, quod heredes ejus non debeant investiri. Nam si quis fuerit investitus pure de alieno feudo, non valet habita investitura.*

Si quis laicus de suo alodio, aut jure Maevium investivit, postea de eodem feudo verbali investitura Cajum sub conditione, *si, vel quando Maevius feudi possessor sine herede, seu maribus decedat*: quae investitura de *caducitate* appellatur, & valet. Nec interest, an prius moriatur investiens, an Maevius, quia semper investiens, aut, ipso defuncto, heres sive suus, sive extraneus ad realem investituram tenetur. Recte: quia omnis obligatio, quae competit defuncto, vel contra eum, ad heredem transit, etiamsi conditio post mor-

mortem extiterit §. 4. *Inst. de V. O.* Quid enim est heres? Ipsa defuncti persona. Quid est defunctus? Persona in herede vivens, unde quod pure, vel sub conditione Defunctus promisit, heres exequi compellitur. Nam feudum comparatur stipulationi, quæ sub conditione facta, si conditio nondum evenit, spem ad heredem transmittit. Est actus viventium, non ultimæ voluntatis, contractui, non legato accedit; cum legatarius conditionalis spem legati ad heredem non transmittat *l. 42. D. de O. & A. l. un. §. 7. C. de Cad. tol.*, sed obligatio in stipulatione morte promissoris non extinguitur *l. 57. D. de V. O.* Quamvis alii, ut *hic* feudista refert, hoc est Placentini, hanc investituræ speciem reprobassent *1. f. 27.* ibi dicam. Nec omnis investitura de feudo vasalli adhuc viventis valet, sed ea tantum, quæ conditionem, vel tacite, vel expresse contineat, si feudi possessor, ejusque heredes decedant: aut, si morte vasalli possessoris, ejusque heredum Domino aperiatur: aut si vasallus possessor feloniam committat, quæ heredibus nocere posset: aut refutatione, inhabilitate, & quolibet modo feudum aperiatur, Cujac *1. f. 5.*, Alver. *hic n. 4.*, Boehmer. *de Natura, & ind. expectat. feud. cap. 1. §. 21. 22. & 23.*, dixi *lib. 3.*

§. XXIX.

De Clerici investientis obligatione.

De Clerico autem eandem investituram peragente distinguitur: si decedat, antequam mævius feudi possessor fato cedat, aut antequam conditio, vel dies extiterit, ruit investitura. Nec ejus successor Cajum in feudi possessionem, devoluto deinde feudo, immittere obligatur. Unde hic feudista, inquit, *nisi fuerit facta* (investitura) *ab aliqua Ecclesiastica persona; tunc enim si præmoriatur investitor, antequam feudum tenens, vel conditio, vel tempus existat: non obligatur successor illius. Hoc probatur per legem Lotharii de precariis, & hoc intelligendum est in vasallis, qui feudi successionem non habent.* Aliud dici oportet, si hæc investitura in Ecclesiæ utilitatem vergat, tunc successor adimplere tenetur. Exemplo mutui, quod a Prælato contractum in Ecclesiæ commodum versum est, *Nov. 120. c. 6. §. 3.* Ex qua *auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl.* Alex. III. *in cap. 1. de deposit.* Innoc. III. *in cap. 4. de fidejussor.* Hoc enim mutuum, Ecclesiæ nomine cotractum Prælatus probare cogitur, in Ecclesiæ utilitatem versum esse, secus Ecclesia non solvit. Neque ab hac probatione creditor liberatur.

tur. Quod si Prælatus simul cum Capitulo mutuum contraxit, Ecclesia exceptione non factæ versionis uti non potest *cap. 4. de fidejussor.* Et quod de mutuo diximus, ad ceteros contractus extendi posse videtur, conf. Boehm. *tit. Decr. de Deposit.* §. 32. *& seqq.* Si vero feudum quacumque devolutionis specie, ipsi Clerico aperiatur, aut, eo vivente, conditio, vel dies extiterit, investituram ipse, vel ejus successor adimplere tenetur. Ratio *in tit. 3. h. t.* jacet.

Sicut de precariis statutum est. Sane in barbarorum ætate bona Ecclesiæ præ ceteris contractibus precariæ titulo dari solebant. Liber Sextus *Capp. Franc.* 320. jubet, neminem bona Ecclesiæ invadere, diripere, vel alienare, præsumere, nisi sub *precaria* possideat. De quinquennio in quinquennium renovari oportebit, *lib.* v. *Capp. Franc.* 126. Formulas exhibet Lindeborg. in formulis solemnibus, 19. 22. 25. 27. 29. unam seligo, nempe 22. qua quis bona sua Monasterio S. Mariæ, & Petri, & Pauli donavit, deinde in precariam accepit, *Ego res proprietatis meæ, in loco qui dicitur ill. per epistolam donationis ad ipsum Monasterium vestrum delegavi. Propterea expetii a vobis, & vos petitionem meam non denegastis, ut res ipsas, quam diu advivo, sub usu beneficii vestri tenere, & usuare debeam, & alinbi ipsas res alienare pontificium* (hoc est facultatem) *non habeam. Et post meum quoque discessum cum omni re emeliorata ad ipsum Monasterium absque ulla expectata traditione, vos rectores ipsius Monasterii in eorum faciant revocare potestatem, & dominationem. Et ut in postmodum aliquod præjudicium ex hoc generare non debeam, propterea hanc precariam vobis, vel ipsi Monasterio vestro, emittendam decrevi, ut neque ego, neque ullus de heredibus meis, quamvis per longinqua spacia ipsas res repetere non debeamus. Quod qui fecerit inferat vobis, vel partibus ipsius Monasterii, suisque Rectoribus auri lib. unam, argenti pondo duo, & præsens precaria firma permaneat. Et ut aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renoventur, istam vero non sit necesse renovare, sed per semetipsam omni tempore obtineat firmitatem.*

Statuit & Imp. Lothar. *in l.* 2. *LL. long. lib.* III. 10. *De precariis, quæ a Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se suosque successores pœna gravi obligabant, ut facta ejus nequirent dissolvere, præcipimus, ut nemo successor in antecessoris sui pœna stauta sit obligatus. Sed suæ providentiæ concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo eidem Ecclesiæ ad jus tenendum revocentur.* Precaria est genus contractuum, quod vel cum Ecclesiis, vel cum privatis fieri solebat,

bat, eratque usufructus rei immobilis, quem clericus, vel laicus ab Ecclesia ad tempus, vel ad vitam acciperet; aut si quis rem suam Ecclesiæ offerret, & ab ea in usumfructum recipiebat, Chron. Laurishamens. *Præterea matrona quædam illustris Cunigund nomine res proprietatis suæ in villis Niwenheim, Strazheim, atque in Westheim Sancto Nazario tradidit, quas a præfato Archiepiscopo* (hoc est Hattone Mogantiæ Prælato) *& Abbate* (Liuthero) *cum aliis rebus Sancti Nazarii de Monasterio Sanctimonialium cognomento Rotbaba, in precariam accepit*. Et Flodoard. *in Hist. Remens. Eccl. lib.* II. *præfat.* inquit, *hujus quoque temporibus Suavegotta Regina Remensi Ecclesiæ tertiam partem Villæ Virisiaci per testamenti paginam delegasse reperitur. Quam partem villæ ipse quoque Præsul* (idest Mapinius) *Teudecbildi præfatæ Reginæ filiæ, usufructuario per precariam, salvo Ecclesiæ jure, concessit: ita dumtaxat, ut post ejus obitum absque ullo præjudicio, sicut ab eo meliorata fuisset, ad ditionem Remensis revocaretur Ecclesia*. Et passim in Annalibus exempla occurrunt; & quædam feudi species dici poterat.

TITULUS X.

De contentione inter Dominum, & fidelem, de investitura feudi.

SUpra actum est de obligatione successoris domini, hic de contentione inter vasallum, & seniorem, quæ tres partes includit: prima de probatione feudali: secunda de inopia probationis: tertia de senoris jurejurando loquitur. Fateor in his libris tam assidue tantologiam dominari, ut animum meum defatigando projiciat.

§. XXX.

De judicio feudali.

Prima pars: *Si contentio fuerit inter dominum, & fidelem, de investitura feudi, per pares Curiæ dirimatur. Alii enim testes etsi idonei sunt, admittenai non sunt*. Finge: Sabinus in suo Comitatu, vel Majores sui feuda contulerunt, ex quibus Curiam, ejusque Pares adquisiverunt. Sabinus credit unum ex his feudis legitime devolutum, & Mævium investit. Postea Sabinus in feudi possessionem immittere renuit, & mihi investituram fecisse negat. Quæritur quomodo Mævius investituram probare possit? Regula juris est, omnes clientelarum controversias paribus Curiæ, vel brevi testato quodammodo diri-

diri mendas. Si itaque vasallo dominus de investitura controversiam movet, paribus Curiæ, vel brevi testato quæstio solvatur oportet; quamvis alii testes extranei omni exceptione majores fuerint. Hoc est si quæstio de nova investitura contingat, cum vetus investitura etiam per extraneos, modo idoneos, probari possit, aut si Dominus pares non habeat, *princ. h.t.*, I.*f*.4., I.*f*.26., I.*f*.2., I.*f*.11., II.*f*.16., II.*f*.34., Imp. Conrad. *in l*.4. *lib*.III. *LL. Long. tit*. 8. *Si contentio emerserit inte seniorem, & militem, quamvis Pares adjudicaverint illum suo beneficio carere debere; & ille dixerit hoc injuste, vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior, & ille, quem culpat, cum paribus ad nostram præsentiam veniant: & ibi caussa juste determinetur. Si autem pares ejus culpati in judicio seniorum defecerint, ille, qui culpatur, suum beneficium teneat, donec ipse cum suo seniore, & paribus, ad nostram præsentiam veniat. Senior vero, & miles ejus, qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas, antequam iter accipiant, ei, cum quo litigaverint, innotescant. Hoc autem de majoribus valvasoribus observetur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante Missum nostrum, eorum caussa finiatur.* Qua Conradus appellationem, & nonnulla reservavit, Gudelin. *par.* VI. *c.* I., Freder. a Sande *ad consuetud. Gelriæ tract. de judiciis feudal. c.* I. §. I. Et eleganter Augustus Jenichen *oratione de judicio feudali*, & in *prolegom.* elegantius dixi.

Verum tunc Parium jurisdictio cognoscit, cum caussa fuerit feudalis, quæ ex nexu, & relatione feudi oriri solet, videlicet si de obsequiis, investitura, fidelitate, jurejurando, felonia, devolutione, servitio, relevio, adoha, successione, jure senioris in personam vasalli, & vicissim, alienatione, aliove clientelari contractu, & similibus, quæ ex substantia, vel feudi natura descendunt, quæstio instituatur, II.*f*.20., II.*f*.39. II.*f*.55. §.*pen.* Fleischerus *Instit. juris feud. c.* 22. §. 2. sicut Romanis speciales in quibusdam caussis magistratus, judex fiscalis de rebus fisci, quem Nerva; Prætor tutelaris de tutelis, quem Antoninus; Prætor fideicommissarius de fideicommissus, quem Claudius primum creavit. Jus quoque Romanum diversos jurisdictionis gradus cognovit, videlicet *Forum militare*, quo in caussa civili, vel criminali Miles coram suo Duce conveniretur, unde Anastasius in *l. ult.* §. 3. *C. de re milit.* hoc judicium *Ducianum* dicit, *l. pen. C. de judic.* sive miles militem, sive paganus militem in jus vocaret *l.* 6. *C. de jurisdict. om. jud. Forum studiosorum*, quo Academiæ Rectori, vel Episcopo caussas tantum civiles studiosorum cognoscendi Frider. I. Ænobardus *in Authent. habita C. Ne filius pro patre*, jus concredidit. *Forum Clerico-*

ricorum, seu privilegium Clementi Principum auctoritate concessum, ut clerici coram suis Episcopis jus suum experirentur, *cap.* 12. & 18. *de foro compet.* Et varie in utroque Codice, & Justiniani *Novellis* sancitum constat. *Forum senatorum, eorumque*, qui Clarissimi sunt, dum in caussis civilibus in Senatores, & Clarissimos in Urbe Praefectus praetorio, vel urbi, vel Magister officiorum jussu Principis, in Provinciis Praeses jurisdictionem exerceat. In criminalibus, ubi deliquerunt, conveniuntur *tit. C. ubi Senator. l.* 1. *C. ubi de Crim.* Et quod Mores hodie populorum curias, & diversas artium species distinxere.

Sic in media aetate Parium jurisdictio, annuente summae Auctoritatis imperio invaluit, & recepta est. Si tamen caussa feudalis non agatur, judex loci ordinarius cognoscet; ut si de alluvione feudali praedio adjuncta, quam allodiale vicini praedium sibi vindicat; de tributo clientelae caussa Reipublicae imposito; de pignore, deposito, mutuo, annuo reditu, aliisve contenditur: non pares curiae, nec senior, sed judex allodialis judicabit, Sande *loc. cit.* §. 2., Christin. *to.* VI. *dec. Belg.* 81. *n.* 2. & *seqq.*

§. XXXI.

De modo probandi.

Postea subdit, *inopia tamen probationum, dirimatur per religionem clientuli possessoris feudi, vel cum duodecim sacramentalibus secundum quosdam. Ceterum si dominus possideat, etiam per suum jusjurandum, cum duodecim sacramentalibus dirimatur.* Merito noster feudista *hic* docet, & distinguit. Si dominus feudum possideat, & vasallus investituram illius feudi ab eo recepisse inquit, paribus Curiae, vel brevi testato vasallus probare tenetur: si probare nequit, & ipse possideat, cum XII. sacramentalibus jurare debet. Aut si dominus in possessione reperiatur, etiam cum XII. conjuratoribus jurabat. Singulare est juris feudalis, quod actore non probante, non statim reus absolvitur, imo etsi possessor sit, debet juramento cum sacramentalibus se tueri, & praesumptiones contra se purgare, quod jure Romano aliud obtinet. Nam possessio titulum praesumit, qui etsi verus non apparet, jurejurando suspicionem diluit, quae judicis animum movere posset II. *f.* 33. §. *sacramentum*. In jure feudali duplex defensio jurata occurrit; vel vasallus solus, vel cum XII. sacramentalibus jurat. Solus, si anno, sciente domino, & tacente possederit; cum sacramentalibus, si anno non possedit, *princ. h. t.*, & I. *f.* 20. *in fin.*, II. *f.* 33. §. & *cum datur.*

 Quae-

Quælibet in media ætate controversia, aut *duello*, *ferro candente*, aut *jurejurando* dirimebatur, cum innocentiæ præsidium, aut malitiæ punitionem, superstitione quadam in his, ut & in *cruce*, *aqua calida*, vel *frigida* Eucharistiæ Sacramento, collocarent, ut *lib.* IV. *jurispr.* diximus, & Struvius *in Histor. juris cap.* IX. §. 5. *& seqq.* Nec tantum provocatus, aut in judicium, hoc est apud Comites, Scabinos, ceterosque vocatus jurabat, sed alios ad suæ innocentiæ probationem admittebat, quos *conjuratores*, *conpurgatores*, *purgatores*, *& sacramentales* nuncupari in Barbarorum legibus, & chartis constat. Hi sacramentales jurabant, se ex conscientia, & credulitate credere, se existimare verum esse, quod vasallus, aut dominus afferebat, sive Pares Curiæ, sive Assertoris propinqui hujusmodi sacramentales essent. Jusjurandum vasalli, aut domini de scientia, jusjurandum sacramentalium de credulitate erat, religionis, & probitatis comprobandæ caussa adhibitum. Nec numerum constitutum controversia, sed modo tres quatuor, quinque, duodecim, viginti, modo plures requirebat, Gudelin. *de feud. par.* VI. *c.* 4. *n.* 3.

In jure feudali vasallus cum XII. sacramentalibus jurat, quorum sex consanguinei, & sex extranei esse possunt; Dominus, si lubet, cum parentibus, aut cum vasallis aut cum parentibus vasalli, etiam mixtis extraneis, jurare poterit, Montan. *de feudis lib.* V. *c.* 5. *in fin.* Lex Alemannica *tit.* VI. §. 7. *ista sacramenta debent esse jurata, ut illi conjuratores manus suas super capsam ponant, & ille solus, cui caussa requiritur verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet, vel illæ reliquiæ ad illas manus, comprehensas habet ut de illa caussa, unde interpellatus est, culpabilis non sit. Titulo* 53. duodecim sacramentalium meminit; Lex Baivvarior. *tit.* 3. unum, & tres in caussis levioribus, *tit.* 6. sex in vindicando agro, vel prato. Lex Frisionum *tit.* 1. §. 3. in eo, qui *litum* hoc est hominem, qui ingenuitatem suam pretio manciparet, occidisse negat, tres juratores. Lex Baivvar. *tit.* 7. §. 15. in caussa divortii 12. sacramentales, & similia requirit.

§. XXXII.

De probatione Gastaldiæ.

Excipit noster feudista. *Nisi clientulus sit Castaldus, vel actor domini, tunc enim tantum suæ, idest domini religioni statur, nisi ha-*

habeat testes pares idoneos. Nam aliquando malignando multa bona auferuntur domino, hoc modo. Et hoc colligitur per legem, quæ est in titulo, de acquisitione actorum Regis in Lombardia. Idem dicendum est de Guardia. Hoc est, si dominus cum vasallo de investitura feudi contendat, & vasallus in possessione feudi fuerit, controversia jurejurando vasalli cum XII. sacramentalibus dirimitur. Si vero dominus possideat, & vasallus in probatione deficiat, jurejurando dominus cum XII. sacram. obtinebit. Sed si Castaldus, vel actor domini contendat sibi de feudo investituram esse actam, solius domini jurejurando, etiam non adhibitis sacramentalibus, credendum, nisi Castaldus per pares Curiæ se investituram accepisse probaverit. Castaldus hic intelligitur rei dominicæ conservator, defensor, administrator, sive hoc munus a Rege, sive a privato susceperit. Sæpe non bona fide administrabat, cum vel res domini usurparet, vel a debitis reditibus, & lucris eximeret. Et si Castaldus in rei usurpatæ possessione existat, nihilominus, ne perjurio locus daretur, si in probatione deficiat, controversia non ejus jurejurando, sed alia legitima probatione definienda est.

Merito feudista affert constitutionem Lotharii *in lib.* II. *LL. Long. tit.* 17. *l.* 2. *Concedimus & Gastaldiis nostris, curtes nostras providentibus ut si proprio eorum pretio res emerint, aut quolibet justo contractu adquisierint, sicut lex illas res ad nostram partem concedit, ita nos eas illis concedimus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint.* Rex Rotharius *eodem tit. l.* I. *Si Gastaldius, aut quislibet actor Regis, post susceptas, & commissas sibi ad gubernandum curtes, aut casas Regis, aliquid per garathinx, id est donationem, ab alio quocumque factum conquisierit, sit illi stabile, si per præceptionem indulgentiæ Regis in eum fuerit confirmatum: alioquin quidquid, ut supra dictum est, post susceptam administrationem per garathinx adquisierit, hoc totum Regi adquirat, & non ad suum proprium nomen vindicat, nec ipse, nec heres ejus.* Et Rex Luitprand. *lib.* I. *LL. Long.* 34. *l.* I. *Si quis Gastaldius, aut actor Regis, Curtem Regiam habens ad gubernandum, ex ipsa Curte alicui sine jussione Regis casam tributarium, terram, sylvam, vites, vel pratum ausus fuerit donare, aut si amplius, quam jussio Regis fuerit, dare præsumpserit, vel querere neglexerit, quod per fraudem ablatum est, omne quidquid contra jussionem Regiam facere ausus fuerit, in duplum octogild* (hoc est octo capita) *componat sicut qui rem regiam futurus fuerit.* Post alia, legis rationem reddit, *quod multas fraudes a Gastaldiis, vel actoribus nostris factas invenimus, unde jam multas fatigationes habuimus; nam quod a nostris decessori-*

soribus cuicumque datum est, stabili ordine volumus permanere, sicut & illud, quod nos dedimus, aut in antea dederimus.

TITULUS XI.

De pignori dato feudo quid juris sit.

ANdreas, Alverotus, Afflictus, & Cujacius, hunc titulum superiori attexunt, ceteri sejungunt.

§. XXXIII.

De Gastaldiæ controversia.

Similis Gastaldiæ controversia aliahic proponitur quæstio. *Similiter si quis voluerit dicere de pignore sibi dato se investitum esse, non credatur suo juramento, sed testibus idoneis paribus domus, vel Curiæ.* Nempe si creditor debitoris pignus possideat, illudque jure feudi possidere certat, jurata dumtaxat religio non prodest, sed paribus Curiæ, vel brevi testato investituram probere tenetur. Finge, Seniori Titius pecuniam dedit, senior suum allodium pignori obligaverit: senior debitum solvens, suum allodium petebat. Titius illud possidens, non jure pignoris, sed feudi possidere asserebat, aut postea ab eodem seniore fuisse investitum, idcirco restituere nollet, ut II. *f.* 33. Ratio est, quia initium possessionis est vitiosum, cum jure pignoris possidere cepisset, & clere rem nomine pignoris traditam fuisse constiterit. Verum si origo possessionis fuisset feudalis, & anno possiderit, jurejurando obtinebit, I. *f.* 26., aut post pignoris constitutionem, triginta annis jure feudi habuerit, tunc hanc præscriptione se tuebitur II. *f.* 26. §. *si quis per triginta.*

§. XXXIV.

De conditione Gastaldiæ.

Præterea in §. *ult. h. t.* inquit, *insuper sciendum, feudum Guardiæ, & Castaldiæ, quacumque hora vult, auferri posse a domino scilicet post annum.* Joan. Gonnius *Commentatione de feudo Gastaldiæ*, & Christoph. Lorber *Instit. juris feudalis German. & Longobar. lib. II. tit.v.* §. 125. probare conantur, Gastaldos, simplices fuisse vel Regis, vel privatorum in Longobardico Italiæ Regno administratores, atque

que actores, & feudum Gastaldiæ nihil aliud esse quam munus, quo quis prædio, vel villæ, ad æconomiam gerendam, & jurisdictionem, forte prædio cohærentem, excercendam, præficitur. Quod munus nihil differt ab eo jure, quo hodie munera plerumque concedi videmus. Nec obstat si in jure feudali feudum gastaldiæ, vel guardiæ passim occurrat, quia vox *feudum* abusive sumitur, & ambigua est, & sæpius rem quamcumque, vel jus, cum libertate revocandi concessum ostendit. Generalem fateri oportet in Italia fuisse consuetudinem, qua Reges, Comites, Duces, & Marchiones, prædiorum, aliarumve rerum administrationibus Gastaldos tanquam mandatarios præficiebant. Attamen propter administrationis laborem, mercedem, quam consuetudinum Compilator *feudum Gastaldiæ* dicit, jure feudi, etsi improprii constituebant. Nec ratio suadet, cur vox *feudum* in istis libris pro simplici administrationis munere accipiatur, cum in ea ætate qualibet res, vel jus in feudum dari soleret. Nec refert si non investitura, sed simplex mandatum interveniat, nam feudista feudum improprium appellat. Hujus natura hæc est, ut post annum a seniore revocari possit, quod primævæ feudorum rationi apprime convenit & satis *tit.* 2. dictum est. Exemplo Magistratus Romani a pluribus Barbarorum moribus in media ætate retento, Ekkehardus junior *de casibus Monasterio S. Galli cap.* 15. ibi, *fit itaque in annum decanus noster: & quia quotannis MORE ROMANO officia apud nos mutari solent.*

TITULUS XII.

De contentione inter me, & Dominum de portione feudi fratris mei defuncti.

HIc titulus olim præcedentis pars erat, quem postea Glossographus divisit.

§. XXXV.

De controversia feudi paterni.

Si contentio fuerit inter me, & dominum de portione feudi fratris mei defuncti, dicendo paternum esse & sic me debere succedere illi vero minime tanquam habuerim partem meam, sive possideo, sive alienavi, dabitur jusjurandum, scilicet patrem meum jure investitum fuisse, licet non possideam portionem fratris mei

mei. Si vero nullam partem habuero illius feudi, nec mihi nec domino dabitur jusjurandum, nisi propter supradictam rationem domino; non ut ego propter hoc aliud meum feudum amittam. Si tamen vasallus poterit probare paternum fuisse sive possideat, sive non, obtinebit. Alioqui nisi probet paternum fuisse, nisi possideat dominus abtinebit.

In quo hæc proponitur species. Mævius, & Sabinus æqualiter feudo paterno successerunt, acta divisione, quisque portionem suam habuit; Sabinus sine herede decedit. Inter Mævium, & seniorem contentio oritur; Mævius vindicat portionem sui fratris, tanquam agnatus, & feudum esse paternum asserit: Senior novum contendit, & proinde ad devolutionem agit. Feudista distinguit: Si Mævius fratris sui portionem possidet, aut alteri alienavit, obtinebit; si patrem suum, vel alium ascendentem jure investitum fuisse juraverit. Aut nullam possidet partem; tunc nec Mævio, nec seniori dabitur jusjurandum, & senior vincet, nisi Mævius brevi testato, aut paribus Curiæ probaverit, atque omni probatione deficiente, dominus jurabit 11. *f.* 33. §. *sacramentum*: Nam si Mævius brevi testato, aut paribus Curiæ probet sive possideat, sive non, vincet; si his probationibus deficiat, nisi possideat, obtinere nequit. Neque tamen hæc contentio nocebit vasallo in altero feudo quod ab eodem seniore recognoscit.

Hic probandi, atque obtinendi modus rationi innititur. Dum enim Mævius partem Sabini fratris possidet, totum feudum jure possidere præsumitur, cum possidentis melior existimetur conditio, & si juret, obtinere necesse est, ex regula, possidenti defensio detur 1.*f.*4. §.1. 11.*f.*58. §.4. Aut eam *partem alienavit*. Verum vox *alienavit* nos vexat, quum Mævius possidere non dicatur. Glossa accipit, pro *locavit*, & recte Mævius tunc possidet. Andr. pro vera alienatione senioris consensu facta intelligit, & pretium loco rei successit: & qui pretium habet, ipsam rem habere videtur, quod in rebus universalibus, uti est hereditas, & feudum, procedit, *l.* 22. *D. de petit. hered.* Merito: nam qui per alium possidet, ipse possidere videtur; & qui consensu domini alienavit, pretium eodem consensu senioris habet. Hinc non recte Interpretes, inter quos Cujac. pro *permutavit*, domino, a quo aliam rem recepit, capiunt. Cum feudista inter *possidere*, & *alienare* distinguit; qui rem permutatam tenet, possessor appellatur, quia una res alteri succedens, eadem res semper remaneat, ac si priorem possideret. Denique hæc Mævii possessio annalis, sicut in aliis textus feudalis locis intelligitur.

At-

Attamen huic communi interpretum consensui obnititur Franc. Sonsbec. *par.* XV. *n.* 45., qui textum non de contentione veteris, vel novi feudi intelligit, quasi agnatus antiquum, dominus novum assereret. Sed qua Dominus dederat defuncto novum, postea ejus medietatem libelli nomine suo fratri alienavit, vel jure feudi dedit. Mortuo fratre vero vasallo, dominus feudum tanquam novum vindicat, quia sine liberis decesseret: frater agnatus illam partem vindicare sibi, quia feudum antiquum esse contendit. Atque ex hac specie feudista respondet; cui, ut consentiret, textum ibi *habuerint partem* meam, legit *medium*, emendat. Non suadet? nam senior Mævio successionem negat, quia partem suam habuerit, si frater ei ad libellum dedisset, partem habere non diceretur; nec correctio juvat, secus senioris ratio nimis inepta fuisset, hoc est, ideo Mævius nihil a defuncto. Fratre obtinere debeat, quia ejus feudi partem jure libelli habuit; quæ ratio quidem claudicat.

TITULUS XII.

De alienatione feudi.

Liberam, atque in quibusdam casibus circumscriptam de feudo disponendi facultatem aggreditur, quæ in Italia propter diversas Curiarum, & urbium consuetudines, diversas mutationes recepit.

§. XXXV.

De facultate vasalli in feudo.

Vasallus in clientela utile fruitur dominio, interdicta possessoria, actionem, exceptionem, confessoriam, negatoriam, de damno infecto, aquæ pluviæ arcendæ, novi operis nunciationem, interdictum quod vi, aut clam exercet. Atque antiquitus sine senioris voluntate totum, vel partem alienare poterat, quia pars dominii, & fructus, potestas alienandi censetur, 1. *f.* 5. 11. *f.* 44., Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 57., Sande *ad Consuetud. Gelriæ tit.* 2. *c.* 1., Christin. *to.* VI. *dec. Belg.* 63. Nec tamen jus certum in Italia, sed diversæ locorum consuetudines modo totum, modo partem, modo statutam alienandi speciem vasallo permittebant, Sonsbec. *par.* XII. *n.* 70.

Nam vasallo duplex jus in feudo competit, *in re*, & *ad rem*: in re est dominium utile, seu feudalis ususfructus, qui jus perci-

 pien-

piendi omnes ex feudo fructus, & utilitates complectitur. Eoque facultatem subinfeudandi, servitutem adquirendi, & imponendi ad tempus servitutem, refutandi, & transigendi, salva feudi substantia, & pactis, 1. *f.* 4., §. 5. 11. *f.* 8. §. 1. 11. *f.* 26. §. *beneficium* 11. *f.* 34. §. 2. 11. *f.* 55. adquirit. Jus ad rem concedit vasallo actionem, qua ad possessionis traditionem, vel de evictione dominum compellit, cogit, & dominum ex obligatione, seu personali actione ut fidem vasallo ex feudali contractu debitam observet, 11. *f.* 26. §. *dominus*, 11. *f.* 33. §. 1. 11. *f.* 47. Jus tamen feudum alienandi non penes vasallum, sed utrumque residet: vasallus feudum alienare nequit, nisi dominus consensiat, & dominus directum dominium distrahere prohibetur, nisi vasallus consensiat, 1. *f.* 5. 11. *f.* 9. & 55. Alienatio & dominii translationem, ejusque diminutionem, & obligationem continet, ut 11. *f.* 55. dicam.

§. XXXVI.

De prohibita feudi alienatione in Ecclesiam.

Hic titulus antiquum jus, & certam alienandi speciem exhibet. Clientulus initio propemodum beneficiorum, totum feudum, vel partem, vel medietatem alienare, hoc est ad libellum dare poterat, quin senior consentiret, & si ultra medietatem alienaret, illam partem amitteret. Nec Ecclesiæ, sed privato dumtaxat alienare permittitur, quia datio ad libellum nunquam ad dominum rediret, cum Ecclesia sit immortale corpus, non moritur, recipit, & nunquam restituit; & senioris conditio deterior evaderet, sicut ipsamet Ecclesia justitiæ cultrix fatetur. Sic feudista h. t. statuit. *Si clientulus voluerit partem suam feudi alienare, idest medium sine domini voluntate poterit hoc facere; ulterius progredi non potest, secundum justum, & verum usum; alioquin & feudum amittit, & non valebit, quod actum est. Quod dictum est alienare, intelligas de libello, (huic consuetudini derogatum est per legem lotharii.) Mediolanenses vero irrationabiliter considerantes dicunt clientulum etiam alienare posse in totum, & sine domini voluntate. Inde potest præsumi si clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui Ecclesiæ, non valet: ideo scilicet, quia nunquam reversurum sit ad dominum, CUM ECCLESIA NON DESINAT ESSE HERES. Quod observandum est, & in privata ex natura perpetui libelli. Ecclesia enim cultrix, & auctrix justitiæ non patitur contra justitiam aliquid fieri in se,* vel

vel in alterum. Privatus vero sæpe obviat justitiæ: Etenim nec Alexander III. nec D. Thomas Cantuariensis, ne alii celeberrimi in controversiis de Ecclesiastica libertate Christi Heroes Henrici II. Angliæ Regis capitulum illud damnarunt, nempe *feudum Regis non esse dandum Ecclesiæ in perpetuum sine Regis licentia*: Unde *amortizatio* cum dominiis Europæ propemodum nata, in nonnullis citius, in aliis sero adprobata, cujus rationes P. Gregor. *de Republ. lib.* III. *c.* 7. *n.* 40., Bodin. *de Republ. lib.* V. *c.* 2. atque a Romanis Imperatoribus primum inducta, dabunt, Ludov. Servinus apud Hospinian. *lib.* IV. *de Monach. c.* 20. *Verum quæ caussa est, cur in Galliis, & in aliis multis regionibus Clericis prædia sine licentia Principis habere non liceat? Hujus rei ratio est, quod cum prædia fere omnia, vel feudorum Dominus, vel iis, qui censuales appellantur, pensiones, & tributa debeant, quæ ex mutatione possessorum illis pendi solent, extinguerentur: nec censui censendo fundi amplius ulli essent, id est nec emerentur, nec venderentur, si Ecclesiastici eos acquirerent. Etenim Ecclesiæ, Collegia, & Civitates, quibus olim res templorum, id est ædificiorum idolis sacratorum ab Ethnicis oblatas Imperatores tribuerunt. Denique corpora omnia, & Universitates manus mortuæ vocantur: quia legionibus similes sunt, ex quibus, licet multi decedant, tamen cum in eorum locum alii subjiciantur, eadem existimantur, ut idem populus, idem Magistratus, qui ab hinc centum annis fuerunt, quamvis ex illis nemo superstit*. Et ex Alfeno Varo in *l.* 76. *D. de judic.* constat. In Regno Neapolitano ante Monarchiam invaluit, & hodie ex rescripto Ferdinandi IV. servatur. In Gallia, Hispania, Belgia, Venetiis, Anglia, & alibi viget.

Qua Principis licentia, sive inter vivos, sive caussa mortis allodium, vel feudum quis Ecclesiæ, aut Collegio relinquere vellet, indigebat, ut Romulfus Remensis Ecclesiæ Præsul, plura voluntate Regis eidem Ecclesiæ donavit, teste Flodoard. *lib.* II. *c.* 4. *Cujus adhuc testamenti pagina in archivo Remensis Ecclesiæ reservatur, cum auctoritate Childeberti Regis: qua petitus idem Rex a præfato Præsule per Sonnatium Diaconum virum venerabilem hoc testamentum confirmare decrevit: scilicet ut terras, vineas, & mancipia, quæ ad Ecclesiam præcipue Remensem, vel ad cetera loca SS. prædictus Pontifex delegaverat, si quis heredibus ipsius injuste usurpare præsumptisset, omnimodis ea recipiendi Sacerdotes eorundem locorum liberam valerent habere potestatem.*

Nec tantum Supremi Principis consensus expetebatur, sed et Senioris, & vasalli voluntate opus erat. Principis consensus: quia Prin-

Princeps vetat, ne quis bona sua, sive jure optumo maxumo possessa, sive clientelari nexui subjecta, Ecclesiis, Collegiisque alienaret. Senioris voluntas: cujus interest cognoscere, an ille, qui suum feudum, seu rem suam sub lege fidei ab eo datam habeat, servire, pacta servare, vel spem devolutionis præstare possit: Vasalli assensus: quum ipse illi Seniori, & non alteri servitia præstare, & fidelitatem jurare promisit. Sic Theobaldus Comes Blesensis, qui se, & sua S. Noberto Archiepiscopo Magdeburgensi, obtulit, apud Surium *to.* VI. *in junio p. m.* 121. *Didicerat enim Principem illum amplissimas habere possessiones, & castra quamplurima, nec cuncta facile posse MANCIPARI ALICUI RELIGIONI, tum propter Regni munitionem, tum propter MULTORUM NOBILIUM, qui ejus Principis BENEFICIARII ERANT, destructionem.*

Ordericus Vital. *lib.* V. *H. E. ad an.* 1074. aliam feudi concessionem Ecclesiæ factam consensu Senioris refert; *Gulielmus Miles cognomento Pantol, consulente venerabili Mainerio Abbate amico suo, & CONCEDENTE ROGERIO COMITE DOMINO SUO, dedit S. Ebrulfo Ecclesias de Norum, quarum una constructa est in honore S. Petri, & altera in honore S. Cirici martyris. Tunc etiam dedit totam decimam de Norum, propriumque plesseicium*, (hoc est, domum suburbanam) *& partem Silvæ a ponte Ogereti, partemque suam unius terræ, quæ Molenx dicitur & alterius, quæ ultra torrentem sita est, & vulgo Ruptices dicitur, Ipse postremum totum FEUDUM Gulielmi de Maloi* (*in quo fere* XXX. *acræ* (hoc est, mensuræ) *terræ sunt*) *concessit*. Quamvis Eugenius III. capta ab Infidelibus Edessa, & imminente Hierosolymis, atque Antiochiæ periculo, sacrum bellum indixerit, scriptis ad Ludovicum VII. Francorum Regem, & universos in Galliis Fideles litteris, cuique, si allodia, pecuniamque non haberent, feuda jure pignoris Ecclesiis dare ob belli necessitatem, sine domini consensu, concesserit, Epist. ad Ludovicum, quam Otto Frisigens. *lib.* III. *c.* 34. refert, ubi SS. Pontifex, inquit, *liceat eis etiam terras, sive ceteras possessiones* (*postquam commoniti propinqui* (en retractus) *sive Domini ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare, aut noluerint, aut non valuerint*) *Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, vel aliis quoque fidelibus libere sine ulla reclamatione impignorare.*

Constanter igitur jus in Europa viguit, feuda in Ecclesias, aliudve Collegium alienari non posse, nisi Dominus consentiret, ne servitia, & devolutio impedirentur. In Ecclesiam itaque jure Libellatico, aliove feudum dari non potest; sed tantum in extraneum, & concedens si sine herede decedat, feudum sine omni onere seniori aperitur, quia resoluto jure datoris, jus acceptoris perit

perit §. *essi clientulus h. t.*, II. *f.* 8. §. I. II. *f.* 9. Primus vero Imp. Lotharius in Italia omnem feudorum vetuit alienationem quolibet contractu celebratam. Huic constitutioni, quæ futuris, non præteritis alienationibus consuluit, suam Frider. I. Imp. addit, qua & futuras, & præteritas prohibuit, & delevit, II. *f.* 52. & 55. Quod si senioris consensus intervenit, defuncto alienatore sine filiis, nihilominus penes eum, qui libellum accepit, remanet; quia Domini consensus contractum extendit, & in persona ejus, cui in libellum datum est, pro liberis suis dedisse, sicut principale feudum, præsumitur. Aut si proximo agnato vasallus feudum vel in totum, vel partem refutaverit, etsi Dominus non consensit, refutatio valet, §. *fratri vero h. t.*, quia hæc non est alienatio, aut libellatio, sed refutatio II. *f.* 39., modo proximiori, non remotiori agnato refutetur, secus alienationis naturam excipit. Denique in §. *ult. h. t.* inquit, in feudis regalibus successionem non cognosci, quam postea usus invenit, ut *in tit. seq.* dicam.

TITULUS XIV.

De feudo Marchiæ, vel Ducatus, vel Comitatus.

Superiori titulo de feudo regali meminit, in hoc iterum declarat, & in tres partes dividit. Prima de regalis feudi investitura: secunda de subfeudi successione: tertia de duobus fratribus de feudo novo investitis quomodo suceedant, agit.

§. XXXVII.

De feudi regalis investitura, & successione.

Prima pars: feudista §. *ult.* antecedentis tituli, inquit, *item in feudo Comitatus, vel Marchiæ, vel aliarum dignitatum non est successio secundum rationabilem usum: sed hodie hoc est usurpatum.* Et *princ. h. t.* subdit, *de Marchia, vel Ducatu, vel Comitatu, vel aliqua legali* (lego regali) *dignitate si quis investitus fuerit per beneficium ab Imperatore: ille tantum debet habere, heres enim non succedit ullo modo, nisi ab Imperatore per investituram adquisierit.*

Ante Barbararum Gentium migrationes nulla feudorum vestigia in Europæis Ditionibus apparent. Primum Franci Magnæ Germaniæ populi feudalibus titulis, nempe *Ducibus, Comitibus, Marchio-*

chionibus, & *Baronibus*, originem præstiterunt, quum eorum Dux Chlodevæus, fugato Romanorum Præfecto, Syagrio, & cæso Alarico Wisigothorum Rege, victisque Alemannis, imperium in Galliis sibi constituit, provincias, civitates, & territoria Ducibus, & Comitibus administrare cepit. Aliis jura fiscalia, reditus, pecuniasque concessit, sed omnes sub lege fidelitatis, & precario titulo investivit. Nulla successio, nulla filiorum, heredumque contemplatio adhuc invecta erat, nisi specialis Principis licentia intercederet, qua filius patri in Comitatu succedere posset. Eorum opera magis in bello, quam in pace, magis in publicis Placitis, quam in provinciarum, Civitatum, & territoriorum administratione valebat. Postea Principum liberalitate, & politico quodam Imperii arcano Comitibus, & Ducibus successio in feudis concessa obtinuit, ut *tit.* XIX. *h. l.* dicam, & prolixe *in prolegom.*

In Italiam primus Alboinus Longobardorum Rex feuda induxit, initio precaria, a voluntate Regis dependentia, deinde successionem adquisierunt. Hinc merito feudista *hic* statuit, Comitis, aut Ducis, vel Marchionis filium non posse patri in Comitatu, Ducatu, vel Marchionatu succedere, *nisi ab Imperatore per investituram adquisierit*, & ad veram hujusmodi feudorum originem respicit, quæ in Italia præsertim initio Longobardici imperii servata est. Nam non modo feudum Comitatus, Ducatus, & Marchionatus, sed etiam quodlibet beneficium a privato concessum olim instar precarii, postea instar ususfructus, qui morte fructuarii expirat, nec heredes recognoscit, sed a successione abhorret. Sæpissime Principes, quin & Privati industriam, rei militaris peritiam, in pace consilium, & prudentiam, in bello fortitudinem vasalli seligebant, quæ hominis Dotes successionem effugiunt, quum merita, sicut & pœnæ, inter personalia jura recenseantur. Morte itaque Ducis, vel Comitis, feudum evadit caducum, nec eorum heres successionem sperare poterit, nisi ab Imperatore tanquam de novo feudo investituram impetraverit. Neque ante successionem, divisio in feudum antiquum, & novum cognita erat.

Consuetudine in media ætate, labente recti regiminis ratione, receptum, ut regales Dignitates, videlicet Ducatus, Comitatus, Marchionatus, Baroniæ, & Principatus successionem admitterent. Imperatoris itaque, aut Regis Italiæ licentia, Comitum heres investituram Civitatum, provinciarum, & territoriorum Italiæ accipere debebat; ut in his feudis succedere posset, ut assidue Principis liberalitas ad recte beateque populos regendum, & in fidelitate erga se, & Principis personam & jura continendum invitaret, irritaret, & promoveret. Assidua quo-

quoque vasallorum petitio jus filiorum, & descendentium prius incertum, certum peperit. Nec amplius in arbitrio concedentis erat, an investire, vel non, vellet, sed cogeretur, nisi justa de caussa recusaret. Sic Albertus Krantzius *lib.* x. *Saxoniae c.* 37. & 33. celeberrimam de Ducatu Slewichcensi controversia coram Sigismundo Imperatore deinde diremtam describit, in qua ratio occurrit, *Nam feudum omnium gentium unanimi consensu ad filios pertinere post patrem, modo id legitime postuletur a domino, nec subsint amittendi caussa graviores. Paratos esse Duces, nullis in Regem criminibus obnoxios, nec paternam luentes culpam, a Rege feudum humiliter postulare.*

Postea introductum est in his regalibus dignitatibus successionem admittere, sed an Comitum, vel Ducum usurpatione? an Principum liberalitate? Feudista §. *ult. tit. anteced. Sed hodie hoc est usurpatum.* Plures Interpretes abusum, seu veram usurpationem intelligunt. Sed non ego: sententia feudistæ est, assidua Principum in Comitum, & Ducum heredes confirmatione, liberalitate, & indulgentia, contigisse, ut hæc feuda successores haberent, & quidem in infinitum, modo a primo Adquirente descenderent. Nec dividi, sicut cetera beneficia, possunt, sed in iis maximus stirpis succedit, unde *jus primogenituræ*, quod in universa Europa propemodum receptum, de quo in II, *f.* 55. dicam.

§. XXXVIII.

De feudo Capitanei.

Hæc de feudis regalibus: in aliis vero feudis, quæ non immediate a supremo Principe recognoscuntur, sed a Capitaneis, aut majoribus valvasoribus, vel minoribus quis tenet, primo linea descendens succedit, quæ si deficiat, transversalis subingreditur, modo a primo adquirente proveniat; utraque in infinitum se porrigit, nec duplex proprie, sed una dici potest. *Si Capitanei, vel valvasores majores, vel minores investiti fuerint de beneficio: filii vel nepotes ex parte filiorum succedunt. Si vero unus ex his filiis, vel nepotibus sine descendentibus masculini sexus heredibus mortuus fuerit, prædicti fratres, vel nepotes per investituram patris, & avi in beneficium succedunt. Et similiter intelligendum est in consobrinis.* I. *f.* I. §. 2. I. *f.* 8. Capitaneus hic, est qui a Marchione, Comite, vel Duce feudum cognoscit, non raro major valvasor, vel regni valvasor vocatur, II. *f.* 10., I. *f.* 7. & 14.

Ex his suspicari possimus, feudorum successionem prius in feudis,

dis, quæ privati concedebant, invaluisse, quam quæ supremi Principes elargiri solerent. Cum Principum ratio in feudis privatorum vix elucere videatur. Principes precario jure investiebant, ut Comitum, Ducum, & Marchionum animos allicerent, & ab iis dependerent. Privati, ut liberalitatem exercendo, vasallos adquirent.

§. XXXIX.

De feudo fratris.

Ad alia se confert feudista: *Si duo fratres simul investiti fuerint de beneficio novo, & non de paterno: si unus eorum sine descendentibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit, non frater: nisi pactum fuerit in investitura, quod frater fratri succedat. Per pactum enim frater succedit, non dominus. Et quod diximus de fratribus, ut unus alii succedat per pactum: idem dicendum est de filiabus, si hoc pactum conciliet: & sic per pactum filiæ succedunt*. Hæc tamen successio non in omni feudo, sed paterno dumtaxat obtinet. Etenim si duos fratres de novo beneficio Titius investivit, & unus ex his sine filio masculo decedat, alter frater non succedit, sed Titius senior excipit; nisi dictum fuerit, ut alter alteri succederet, & tunc succedit, non jure accrescendi, quod jus clientelare vix cognoscit, sed pacto investituræ, quod universam successionem, & naturam clientelæ regit; sicut pacto fieri potest, ut etiam fæmina vasalla evaderet, §. *si duo b. t.*, 1. *f.* 1. §. 2. 1. *f.* 8. 11. *f.* 11. 11 *f.* 12. 11. *f.* 18.. Nam, ut quis succedat, ex liberis, sive posteris ejus, qui primum feudum adquisivit, descendere oportet, Gudelin. *de feud. par.* III. *c.* 2. *n.* 4. & 5. Sonsbec. *par.* IX. *n.* 80.

T I T U L U S XV.

An maritus succedat uxori in beneficio.

Vetusto Quiritum jure, uxor, celebratis confarreatione, & coemptione nuptiis, in manum viri, hoc est potestatem conveniebat, inter eos mutua erat successio. Verum cum hic nuptiarum ritus exolescere cepisset, aut raro exerceri, supervenit Prætoris edictum, *unde vir*, & *uxor*, quo omnibus lineis deficientibus, vir uxori intestatæ, & vicissim, succedebat, Noodt *lib.* II. *probab. c.* 9. Heinec. *antiquit. lib.* 1. 10. 6.

§. XL.

§. XL.

De abrogato in feudis Pratoris edicto.

Hoc Prætoris edictum ab omnibus exulat clientelis, & maritus uxori sine filio, aut alio descendente decedenti non succedit *princ. h. t. Si fæmina habens beneficium (& maritum) moriatur: nullo modo succedit in beneficium maritus, nisi specialiter investitus fuerit, &* 11. *f.* 13., & valet *cap.* 85. *extraord. Si maritus de feudo suæ uxoris investiatur, ea absente, nisi nominatim quasi gerendo uxoris negotium investiatur: sibi acquiris feudum ea sciente, vel jubente. Si vero uterque insimul investiatur, pro parte sibi proficiunt: nisi cum iam dicta distinctione factum fuerit. Et dicimus etiam, ut si unus ante alterum sine herede decesserit, quod alterius pars domino adquiratur.* Sive uxor habet feudum antiquum, & sine heredibus decedit, sive feudum novum obtinet, & etiam illiberis decedit, semper ad seniorem devolvitur.

Nam maritus non descendit a primo acquirente, nec in investitura vocatus est, igitur uti extraneus consideratur. Nisi specialiter in investitura senioris invitatus, tunc non virtute successionis, sed investitura, senioris voluntate, atque expresso pacto celebrata, feudum adquirit.

Exemplum præstat Lorber *Inst. juris feud. lib.* III. *tit.* 5. §. 353. ubi Philippus Coloniensis Ecclesiæ Prælatus *an.* 1188. *indict.* VII. hoc pactitium feudum concedit. *Scire volumus omnes in Christo renatos, quod castrum Scadecke, & advocatiam in Bacheracbe a manu domini Palatini Comitis Conradi, cum aliis, quæ illic a nobis in beneficio tenuit, ipso rogante, & hæc nobis resignante suscepimus: Et in eodem momento ipsi, & ejus jugali dominæ Irmengardi, ejusque filiæ Agneti jure feudali concessimus, accepto ab ipsis duabus hominio statuentes, ut, dum vixerint, hoc pariter possideant. Et si unus, aut duo decesserint, quicumque illorum superstes fuerit, sine omni contradictione idem beneficium habeat.*

Aut nisi feudum fuerit mere hereditarium, hoc est *pro se omnibus, & quibuscunque heredibus, vel saltem pro quibuscumque heredibus*, concessum, cum naturam allodii fere undique vindicet, Henr. Baltha. Rothius *dissert. de feudo hereditar.* §. 9. Exceptis his duobus casibus, nec vir uxori, & vicissim, in feudo succedit, Ardizo *in sum. cap.* 137. *par.* 3., Scrad. *par.* VII. *c.* 7. *n.* 24., Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 247. Nec lex, vel consuetudo valet, ut, uxore sine liberis defuncta, maritus dotale feudum sibi adquireret, quia seniori noceret, Zasi. *par.* VIII. *c.* 70. Nec refert, an maritus *Provasalli* munus susceperit. In media ætate si quis minus ad servitia, sive militaria, sive aulica, sive paganica capax investiretur, *provasallo* in-

indigebat, ut per eum servitia præstaret. Hinc Clericus, fæmina, uxor, pupillus, minor, surdus, mutus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, Universitas, Collegium, Ecclesia per maritum & substitutum, tanquam Provasallum servitia, investituram, vel novam, vel veteris renovationem, & fidelitatem præstant, & accipiunt. Hodie moribus Europæis vix Provasalli usus obtinet, si Ecclesias, & Universitates excipias, ut infra dicam.

Quamvis in Italia Longobardi conjugum successionem in allodiis admiserint; nam maritus erat Mundwaldus, seu tutor uxoris suæ, atque eo nomine uxori succedebat, *lib.* II. *Leg. Long. tit.* 14. *l.* 29. *quocumque ex quacumque natione legitimam uxorem acceperit, si eam mori contigerit sine filiis amborum eorum, vir uxori suæ succedat, & omnia bona sua percipiat.* Cui lex Wisigothorum *lib.* IV. *tit.* 2. *l.* II. consentit, *maritus, & uxor tunc sibi hereditario jure succedant, quando nulla affinitas usque ad septimum gradum de propinquis eorum, vel parentibus inveniri poterit.* Sicut moribus belgicis uxor viro, & vicissim, in hereditate, & feudo his moribus ad allodii naturam redacto, succedit, Gudelin. *de feudis par.* III. *c.* 5. *n.* 12. Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* II., §. 267. Andr. *hic n.* 2. In Germania vero licet Conjuges dominium in omnes res nuptiis adquirant, feuda tamen semper hoc conjugale condominium abhorrent, unde uxor marito, & vicissim, in feudo non succedit, conf. Voet *ad tit. D. de R. N. n.* 65. Constante matrimonio, uxor naturalem feudi possessionem, maritus civilem, seu juris feudalis exercitium, hoc est fructuum perceptionem habere potest.

§. XLI.

De Senatusconsulto Orphiciano.

Nec tantum Prætoris edictum, *unde vir, & uxor*, in feudali Italia non obtinuit, sed jure stricto, nec SCtum Orphicianum, *Et si ipsa fæmina filios dimiserit: dicunt quidam filios non debere succedere in beneficium matris, nisi specialiter sit dictum, vel investiti fuerint, quia secundum usum Regni ad beneficium vocantur paternum, non maternum. Sed secundum æquitatem dicamus filios debere succedere.* Quia filii, aut filiæ sunt cognati, non agnati. In feudo agnati filios vasallæ, & agnatis deficientibus, senior excludunt. Postea severos mores æquitas perdomuit, & filios, non autem filias, seniori prætulit, atque ad feudum maternum invitavit §. *& si ipsa h. t.* Verum muliebre feudum a fæminino distingui oportet: fæmininum, seu fæmineum dicitur illud, quod primo mulier adquisivit II. *f.* 30., & in hoc fæminæ, deficientibus masculis, etiam sine speciali pacto

cto succedunt. Nam hæc feudi species suam originem a fæmina capit, cum ipsa de novo investituram acciperet: Verosimile igitur est, Concedentem, atque Adquirentem voluisse, ut illam qualitatem, quæ huic feudo originem dedit, retineret. Sed prolixius in 11.*f.*30. exponam. Feudum muliebre est, quod initio a masculis adquisitum fuit, postea ad fæminas pacto, privilegio, gratia senioris, vel more regionis transiit 11. *f.* 17. 11. *f.* 30., & tunc filii, filiæque potius ad paternum, quam maternum feudum succedere dicuntur, quia in omni successione, & feudo semper primus acquirens inspicitur. Dubitatum autem est, an textus noster de feudo muliebri, an fæmineo intelligatur? Cujac. de muliebre accipit; Pistor de fæmineo, cui ad hæreo; si verba textus perpendamus.

Verba textus huc collimant, (1) quibusdam placuisse, filios non succedere in feudo, quod eorum mater habuit, nisi dictum esset. Hæc in investitura expressio, ut filii succederent, in feudo paterno, est prorsus inutilis, quia filii ex pacto antecessorum ad paternam clientelam invitantur, igitur jam investiti sunt atque adventitio pacto non indigent. (2) Feudista pro ratione addit, quia *secundum usum regni ad beneficium vocantur paternum, & non maternum*. Hoc est, usus regni Longorbardici jus succedendi feudis paternis, non maternis concredidit, unde filii in feudo materno succedere non possunt; & feudista semper de feudi paterni successione loquitur. Nam in nostro textu quærebatur, an feudum fæminæ concessum, quia non est paternum, sed maternum, sine speciali pacto etiam ad successorem transeat? & inspecta æquitate, affirmat, Pistor *lib.* 11. *q.* 34. *n.* 26., Duaren. *cap.* x. *n.* 4., Vultej. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 4., subdit & feudista. *Hoc dicimus de Capitaneis, & de majoribus valvasoribus, & de minoribus: de minimis autem, & de iis, qui beneficium tenent a majoribus valvasoribus, sic servetur, sicut inferius dicemus*. Quæ verba ad proxima nuper dicta referuntur, hoc est, quod filius succedat matri in fæmineo feudo dicendum etiam in feudis, quæ Capitanei, majores valvasores, & minores tenent, in quibus filii succedunt; sed in feudo quod minimus valvasor tenet, filii non succedunt, quia illud, uti lubet, dominus revocare potest 1.*f.*7. jure tamen novo succedunt, ut *d.* 1.*f.*7. declaravi.

TITULUS XVI.

De feudis datis minimis valvasoribus quid juris sit.

Hic titulus olim specialis non erat, sed præcedenti nectebatur; & postquam de feudis majorum, & minorum valvasorum egit, nunc de feudo minimorum valvasorum dicit. Minimus valva-

for est, qui a minore valvasore feudum tenet, & subfeudum recte vocari potest. *Si minores valvasores beneficium tollere voluerint minimis valvasoribus, licet eis facere; excepto si beneficium vendiderint eis. Si vero pretium de beneficio acceperint, tunc aut pretium reddant, aut beneficium dimittant.* Minor valvasor senior, quandocumque voluerit, etiam sine culpa, pretio tamen restituto, auferre ab eo valet: excipit, nisi minor valvasor, seu dominus vendiderit minimo valvasori, quia contractus emptionis conventionibus majus robur, quam ceteri communicant, *l. 6. C. de Act. emp.* Afflic. *hic n. 3.* Idque jure veteri invaluit, quo vasallus alienare totum feudum poterat. Cujacius *hic* non de vera venditione, sed de pretio honoris caussa dato intelligit. Sed hodie hic titulus exolescit, quia clientela, cujuscumque fuerit speciei, sine felonia auferri non potest, nisi aliter pacta suadeant, *ut* 1. *f.* 7. enucleavi.

TITULUS XVII.
Quibus modis feudum amittatur.

Ex praecedentis tituli occasione, imo olim priori titulo adhaerebat, hic quatuor amittendi feudi caussas recenset; *si seniorem in bello dimiserit; si ejus uxorem adulterio polluerit; si scienter eum aggressus fuerit; & si ejus arcanum revelavit.* Nec refert, an ipsa, an alius nomine, ejusque mandato committat; nam qui mandat scelus, & qui exequitur, ambo eadem tenentur paena *l. 15. D. ad l. Cornel. de sicar. l. 5. C. de accusat.* Sive consilio, sive jussu perpetret, A. Matth. de Crim. *in proleg. cap.* 1. *n.* 12. *& seqq.*, S. Aug. *lib.* 11. *de Morib. Manichaeor. c.* 17. 57., *quia nihil interest, utrum ipse scelus admittas, an propter te ab alio admitti velis.*

§. XLII.
De secreto non revelando.

De primis tribus *in tit.* 5. occupavi, de quarta dumtaxat dicam. Verba textus, *si Capitanei, vel majores valvasores qui hodie vocantur Capitanei (licet improprie dicentur minores) seniores in bello dimiserint, vel si credentiam ad eorum damnum scientes manifestaverint, si valvasores seniorum uxores adulteraverint, si scienter seniores assalierint, vel similes culpas commiserint, beneficio carere debent.* Et lib. III. Capp. francor. LXXI. convenit, *quicumque ex his, qui beneficium Principis habent, parem suum contra hostes com-*

communes in exercitu pergentem dimiserit, & cum eo ire, vel stare noluerit, HONOREM SUUM, ET BENEFICIUM *perdat*.

Si Vasallus secreta sui senioris scienter prodit, cum contra fidelitatis jusjurandum agat, II. *f.* 6. II. *f.* 7. II. *f.* 24. §. 2., sive facto, sive literis, sive signo arcana revelet. Nec tantum scientia opus est, sed animus domino nocendi, aut in corpore, honore, aut bonis requiritur, atque ex ea revelatione damnum sensisset, quamvis nonnulli solam secreti revelationem admittant, etiamsi damnum seniori non acciderit, quibus obnititur textus *in* II. *f.* 7. ibi *nec sit ei damno de secreto suo*, qui damni illationem exigit. Quin imo si animo nocendi caruerit, etsi damnum attulisset, nihilominus a feudo non cadit, quia sola voluntas crimina distinguit, & cudit, *l.* 53. *D. de furt.* Hinc si vasallus seniorem laudare vellet, & fortuito secreta prodidit, & domino nocuit, feudo non privatur. Ipse tamen vasallus probare debet, an nocendi, vel non, animum habuerit, quia rei illicitæ vacabat; nisi aliter conjecturæ suadeant, Rosent. *cap.* x. 30. Zasi. *par.* x. 45. Christin. *to.* VI. *dec. Belg.* 75. *n.* 25. vel nisi supina ignorantia adfuerit, quæ dolo æquiparatur, *l. 6. D. de juris, & fact. ignor.*

Eandem privationis caussam Fridericus noster in Const. *Domini lib.* III. 19. admisit. *Domini a vasallis suis assecurari debent, videlicet de vita, membris, & captione corporis sui, & terreno honore*, CONSILIUM QUOD EIS CREDIDERINT, NULLI REVELENS, *& si aliquod sinistrum de eis audierint, quod per se, vel per alium disturbarenon possunt, eis, aut alias pro parte eorum, per se, vel per alios, quam citius potuerunt, nunciare curabunt*. In fine feudista addit, propter alias *similes* caussas vasallum a feudo cadere, quia similis culpa similem exigit pœnam, quod religioni Parium, aut ordinarii, aut arbitri relinquitur. Naturalium enim rerum fodina inexhausti usus est, novas assidue ex suo sinu caussas, formasque deducit, componit, emergit.

TITULUS XVIII.

Apud quem, vel quos controversia feudi definiatur.

QUoniam omnis quæstio feudi privatione digna in jure cognoscenda est, & dubitari potest, quisnam sit judex competens, recte forum hic competens ostendit. Jure feudali forum competens quadruplex est, curia ipsius senioris, curia parium, quos partes eligunt, curia omnium parium, & Curia judicis ordinarii. Sæpius quoque arbiter cognoscit, licet curiam non habeat, II. *f.* 46. Vultej. *lib.* II. *c.* 2. Freder. a Sande *tract.* III. *de judic. feudal. c.* I. Et passim diximus.

§. XLIII.

§. XLIII.

De controversia regalis feudi, et origine jurisdictionis feudalis.

Si itaque contentio erit de Ducatu, Comitatu, vel Marchionatu, quia hæc feuda regalia ab Imperatore, & quolibet supremo Principe recognoscuntur, coram eo, adhibito parium consilio, dirimatur, *princ. h. t. si contentio fuerit de beneficio inter Capinaneos coram Imperatore definiri debet*. II. *f.* 34. quia Imperator tanquam senior inter suos Capitaneos, seu duces, & regales vasallos cognoscit.

Sed primum quæro, undenam jurisdictio feudalis nata sit? Eleganter Georg. Ludovic. Boehmerus *Exercitatione an.* 1746. *de judice feudorum extra curtem* §. VII. describit. *Cum omnis jurisdictio sit pars imperii: nulla est jurisdictio, nisi quæ jure imperii, vel ex jure ab Imperante indulto exerceatur. Jurisdictionem feudalem itaque ex CONTRACTU feudali repetere, idem foret, ac conventioni privatæ eam vim tribuere, ut per eam imperii jus in alterum trasferri possit. Omnis jurisdictio feudalis, sive ad INDOLEM JURISDICTIONIS, sive ad ORIGINES FEUDORUM, animum adversas, ab imperio est. FRANCORUM Imperatores vetustissimi beneficiorum largitores, in vasallos, quos subditorum numero simul habebant, vi imperii jurisdictionem exercebant; eandemque ab Augusto demandatam, seniores, Duces, Comites, si quæ liberis hominibus beneficia concedebant, quilibet in suos vassos explicabat. Unde in francorum imperio vix alii in vasallorum numero occurrunt, quam Regni francici, in quo beneficia accipiebant subditi, Regum vel mediatam jurisdictionem agnoscentes: quod adeo verum fuerat, ut in imperii Francici divisiones illud a.* IↃCCCVI. *inter Carolum Pippinum, & Ludovicum, filios Caroli M. Imp. &* Pippinum, *Ludovicum, & Carolum, Ludovici Pii Imp. filios a.* IↃCCCXXXVII. „ Nominatim caveretur, „ ut homines uniuscujusque eorum acciperent beneficia, unusquis„ que in regno Domini sui, & non alterius, ne quando per hoc, „ si aliter fuerit, scandalum aliquod possit accidere „. *Quum itaque non nisi ipsi Imperatores, vel qui eorum nomine per Ducatus, Comitatus, pagosve jura dicebant, beneficia indulgerent ipsa Domini directi conditio, ut jurisdictio juncta cum nexu beneficiario esset, effecisse videtur.*

Eadem fuit feudorum in Regno LONGOBARDICO, eademque jurisdictionis, cum illis junctæ ratio, quibus rebus effectum est, ut jurisdictio feudalis in propriam speciem abiens jure, legeque Domini feudi redderetur propria, I. *f.* 18. II. *f.* 16. 39. 47. & 55. §. *ult.*

ult. Constitutio simul ex prisco quo nonnisi aequalis cum reo sortis homines judicii in sententia ferenda suffragia ferebant, Germanorum more parium Curia judicio. Jure GERMANICO jurisdictionis judicis provincialis, & domini directi hi semper limites ponuntur, ut illi de allodiis, sub ejus districtu sitis, huic de feudis, ab eodem recognitis, nulla prorsus situs feudorum ratione habita, cognitio tribuatur. Non alium vero feudi dominum, quam jurisdictione alioquin praeditum, intelligi posse, ipsa feudorum ejus avi ratio loquitur, quum vix alii quam quibus ob terrarum defensionem, in quibus tanquam Dynastae, Comites, Duces potestatem, & jurisdictionem exercebant, servitiis feudalibus opus erat, feuda largirentur.

UNDE & in jure feudali NORMANNICO quod Germanici juris reliquias servat, discrimen est inter dominum feudi, cui servitia militaria, & inter eum, cui viliora servitia militaria, & inter eum, cui viliora servitia exhibentur: illi data, huic negata in vasallos jurisdictio, Cod. leg. Normann. Cap. XXX. §. 8. „ Justiciationem habet dominus super omnia feuda, quae tenentur de do„ minis. Et C. III. jurisdictio feudalis est illa, quam habet „ quis ratione feudi sui: unde ad ipsum pertinet inscribere de „ querelis ex feudo procreatis, etiam super omnibus aliis querelis, „ quas contra residentes feodi procreantur: Exceptis tamen illis, „ quae specialiter pertinent ad Ducatum. Ex C. IV. sciendum „ est, quod nullus tenens feudorum suum per vile servicium, po„ test habere curiam super tenentes de eodem „.

Jurisdictio igitur feudalis consuetudine primum recepta, deinde Universalis fere Europae legibus confirmata, me putante, non modo ex expressa Imperatoris, & Regis auctoritate, ut Boehmerus asserit, sed & tacita descendit. Imo ex indole feudalis contractus, & juramenti fidelitatis praestatione suos fontes etiam recognoscit, licet Boehmerus immerito dissentiat? Quasi Dominus dixerit, do tibi feudum, hac conditione, si mihi servies, & ego jurisdictionem in caussis feudalibus in te exerceam. Quae jurisdictio cum meri mixtique imperii nihil contineat, Principum jurisdictioni, & Magistratuum potestati nocere non poterat. Sicut patrimonialis jurisdictio in servos adscriptitios, colonos, similesque obtinuit, quin Imperatoris, Principum, Ducum, & Comitum potestas laederetur. Merito Heinec. *Exercit.* VI. *de orig. atque indole jurisdict. patrim.* §. 17. *Ex quo quidem intelligitur, dominis, seu nobilibus olim in rusticos liberrimam comperiisse potestatem coercendi, litesque eorum sine figura, strepitusque judicii dirimendi: sed eos hoc jure non gavisos tanquam judices,*

sed

sed tanquam patresfamilias, adeoque hanc potestatem magis œconomicam vel herilem, quam judicialem fuisse. Dixi *in prolegom.*

Exemplum describit Otto a S. Blasio in chron. cap. VI. *edit Murator.* ibi, *Anno Dominicæ incarnationis MCLIV. Henricus Dux Saxoniæ, filius avunculi Friderici Regis, filius Henrici ex filia Imperatoris Lothariii, Ducatum Noricum sui juris hereditate paterna affectans, cum Henrico filio Leopaldi patruo Friderici Regis, qui eundem Ducatum beneficii loco a Rege Cunrado acceperat, toto nisu contendit. Henrico non minore ambitione sibi resistente. Quorum litem Fridericus Rex sedare cupiens, utrumque enim linea consanguinitatis tangebat, CONSILIO PRINCIPUM taliter definitum est. Ut Marchiam Orientalis, quæ prius Ducatui Norico jure beneficii subjacuit a Ducatu sejuncta, per se subsistens, nulloque respectu juris Duci Bavariæ subjacens, Ducatus jure, & nomine constaret, hocque Henricus filius Leopaldi Principis jure, & Ducis nomine, & honore sublimatus, contentus esset: Ducatu Norico Henrico Duci Saxoniæ cedente. Ad hæc utroque consensiente, lite decisa, Dux Orientalis deinceps dictus est. Sicque Henricus Fratruelis Welfonis Ducatus Bavariæ, & Saxoniæ potitus hereditatem paternam consequitur.*

Quod si controversia esset inter Imperatorem, & suos vasallos, pares Curiæ judicabunt, Curt. *par.* VII. 2. Gudelin. *de feud. par.* VI. *c.* I. *n.* 7. Aut contentio est inter alios vasallos, qui non sunt Capitanei, hoc est Duces, Marchiones, Comites, Barones, & proinde non immediate Imperatori, aut Principi supremo subjecti, tunc Pares Curtis senioris judicabunt, §. *si vero h. t. Si vero fuerit contentio inter minores valvasores, & majores de beneficio: in judicio parium definiatur, vel per judicem curtis*, quia, Andr. *hic n.* I. inquit, dum pares cognoscunt, ipse dominus cognoscere videtur. Sed rectius Lipar. ibi animadvertit *d.* §. *si vero* hodie corrigi a II. *f.* 55. §. *præterea si inter*, ut, orta inter minores, & majores valvasores controversia, non pares Curiæ, sed Dominus judex erit. Quod si inter dominum, & vasallos contendatur, tunc pares cognoscere oportet; nam aliud est Curia Parium, aliud Curia senioris, Curt. *loc. cit. n.* 3. Dum tamen Pares cognoscunt, dominus, aut ejus Vicarius, quem feudista *hic judicem curtis* vocat, adesse solet, qui cum paribus judicat II. *f.* 15., II. *f.* 46.

Neque promiscue feudalis jurisdictio, vel coram domino, vel paribus, vel simul, constituitur, sed quoties caussa fuerit clientelaris, hoc est, quæ vel substantiam, vel naturam, vel accidens beneficii attingat. Nempe si controversia de feudi adquisitione, devolutione, jure senioris in feudo, reverentia a vasallo ei debita, ser-

vi-

vitiis, famosa actione non instituenda, feudi revocatione, consolidatione utilis cum directo dominio, obligatione, felonia, alienatione investitura, expectativa feudali, successione, parte feudi, vel toto, agatur; ut & jus Longobardicum, & Populorum mores servant. *Et tit. x.* §. 30. *h. l.*

Hæc Parium, aut seniónis jurisdictio etiam competit, quoties de feudi alienatione agitur §. *si aliquis h. t. Si aliquis de Capitaneis vel de majoribus valvasoribus, vel de minoribus suum beneficium sive totum, sive partem alienaverit, sive ipse, vel heres ejus sine herede decesserit: quia beneficium senioribus aperitur, totum quod fecit, revocari debet*. Ubi species fingitur: si capitaneus, hoc est, Comes, Marchio, Dux feudum ab Imperatore cognoscens, aut major, minorve valvasor sine senioris consensu totum feudum, aut partem alienavit, deinde sine herede, hoc est filio, & descendente, vel filius ejus etiam sine herede decedat, feudum seniori aperitur. Hic §. ex jure antiquo intelligitur, quo totum, vel partem feudi, inconsulto domino, alienare poterat. Sed alienatore sine herede mortuo, dominus, nisi consensisset in alienatione, revocabat, quia resoluto jure alienatoris, jus acceptoris seu emtoris perit; quum tamdiu apud emptorem durare debeat, quamdiu apud venditorem durasset. Hodie vero statim ac vasallus feudum alienat, statim ad dominum, non spectata alienantis morte, redit, modo non relinquat agnatos, qui, excluso domino, ipsi revocare possunt, si feudum fuerit paternum; si novum, ad dominum, exclusit filiis vasalli, revertitur 1. *f.* 8. §. *hoc quoque*, 1. *f.* §. *fuerint*, Alver. *in* 11. *f.* 24. §. *fin. n.* 16.. Confer. Camer. *in* 11. *f.* 55. §. *praeterea ducatus p.* 96.. Andr. hic.

TITULUS XIX.

Constitutiones feudales Domini Lotharii Imperatoris quas ante januam Beati Petri in Civitate Romana observandas condidit.

TRansit ad Lothari constitutionem, quam in plures titulos divídit. Nos primum de feudalis successionis origine, in *prolegom.* sedulo enucleata, dicamus oportet, cum occasio invitet.

§. XLIV.
De Origine feudalis successionis.

Feuda, sive stipendiaria prædia ad pauciores annos, aut preca-

 rio

rio jure, vel ad dies vitæ concessa fuisse Orientalis, atque Occidentalis Francia, undique & monumenta testantur. Cum Principes habilitatem, virtutem, atque experientiam vasalli, domi, militiæque apprime cognitam seligerent. Nec filius patris jura vindicare, nec titulum Comitis, Ducis, vel Marchionis sperare, nec paternum re, vel nomine honorem retinere poterat. Sed simul cum patris morte divitiarum copia, bellica potestas, militaris clypeus, & splendor domus expirabat. Nunquam enim vetusta Barbarorum ætas feuda perpetua, sed annalia, vel precaria, vel fructuaria existimavit.

Sub Carolingicorum Regum stirpe Servatus Lupus Ferrariensis Abbas *Epist.* cxix. ad Aeneam Parisiensem Episcopum refert exemplum feudi, quod ad vitam tunc durabat: *me vero Monasterium ingredientem tristis excepit nuncius, ostendens Hildegarium vestrum; qui neptem meam habeat in conjugium, decessisse. Unde de proprio affectu, & propinquorum utriusque lineæ impulsu, asserentium me apud vos plurimum posse, sanctitati vestræ has litteras destinavi, supplicans, ut filio ipsius super quo postulavit, concedere dignemini beneficium. Tutorem vero qui & moribus vestris congruat, & militare obsequium exigat, laudabili prudentia statuatis*. Parisiensem rogat Episcopum, pro filio Hildegarii ut eidem, in regia aula, patris beneficium dare dignaretur, ibi Baluzius.

Quænam Barbarorum periodus feudis successionem communicavit? vix ab eruditis docetur. Sex ego animadverto, quæ successioni occasionem præstiterunt, senioris *liberalitatem*, *Comitum potentiam*, *pactum*, *pretii solutionem*, *legem & consuetudinem*. Sæpe Principis, Comitum, Ducum, aut omnino Privatorum liberalitas ad patris beneficium, filios paterna præsertim virtute, industria, & peritia imbutos invitabat. Baluzi. *to.* I. *Capp. p.* 23. 24. §. 17. refert Chlotarii II. in Concil. Parisiensi *v. an.* 615. edictum quod, inquit, *& qua unus de fidelibus, & leodibus suam fidem servando domino legitimo, interregno faciente visus est perdidisse, generaliter absque aliquo incommodo de rebus sibi juste debitis præcipimus revestiri*. Hic fidelis a leode distinguitur: fidelis idem ac beneficiarius, vasallus, cliens, Burchard. de *Casibus Monasterii S. Galli cap.* VIII. *In hac pestilentia fideles hujus Ecclesiæ inter se possessiones nostras dividebant, Ministeriales optimos mansus curiarum nostrarum eligebant, Cellarii Ecclesiæ jura villicationis in modum beneficiorum habere contendebant*.

Leodes, idem ac homo serviens, ex quo *laudesamium*, scilicet servitium, quod leodes domino præstat, ut *litimonium*, quod litus, hoc

hoc est servus dedititius domino debet. Non raro Leodes etiam prædia sub lege fidei a Rege tenebant, quos promiscue vasallos appellari constat, & pro *vasallis*, sive *fidelibus*, qui feuda possident, præcipue Greg. Turon. *Hist. lib.* IX. *c.* 20. usurpat. In *lib.* IV. *LL. Wisigoth. l.* 5. *tit.* V. filius si quid ex Regis liberalitate, vel patronorum beneficiis adquirit, non patri, vel matri, sed sibi cedit, deinde additur, *quod si inter leudes quicumque nec regiis beneficiis aliquid fuerit consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de suo labore aliquid adquisierit: si communis illi victus cum patre est, tertia pars exinde ad patrem perveniat: duas autem filius, qui laboravit, obtineat*. Et Justus Christ. Willerdingius *dissert. an.* 1705. *de incongrua Applicat. juris Longobar. ad feuda German.* §. 5.

In libro III. Capp. RR. Franc. extat lex Caroli M. cap. VIII. ibi, *ut nulli alteri sacramentum fidelitatis promittatur, nisi nobis, & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem, & sui senioris: exceptis his sacramentis, quæ juste secundum legem ab altero dabantur. Et infantes, qui antea non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modo fidelitatem repromittant*. Imperator de feudis disponit, & duplex jusjurandum distinguit, unum ipsi, alterum a vasallis suo seniori præstandum constituit. Excipit infantes, qui dum in feuda succedunt, jurare non cogantur. Frustra excepisset, nisi infantes suis patribus, voluntate tamem senioris, in feuda non succederent. Sub Carolo itaque Magno adhuc jus successionis incertum, vagum, tenue, & a seniorum consensu dependens servabatur. Et patet etiam, Francos, antequam imperium in Italia constituissent, leges de feudis promulgasse, licet successio explorata non esset.

Greg. Turon. *lib.* IX. *c.* 7. *Ennodius cum ducatum urbis Turonicæ, atque Pictavæ ministraret, adhuc & vici juliensis, atque Bevarnæ urbium Principatum accipit. Sed euntibus comitibus Turonicæ, aut Pictavæ urbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt eum a se removeri. Ille vero ubi se remotum de his sentit, ad civitates superius memeratas properat. Sed dum in illis commoraretur, mandatum accepit, ut se ab eisdm removeret: & sic accepto otio, ad domum suam reversus, privati operis curam gerit*. Et *lib.* V. *c.* 48. *Post obitum vero Chariberti cum in Sigiberti sortem Civitas illa venisset, transeunte &, ad Chilpericum, omnia, quæ inique aggregaverat, a fidelibus nominati Regis direpta sunt. Pervadente igitur Chilperico Rege, per Theodobertum filium urbem Turonicam, cum jam ego Turonos advenissem, mihi a Theodoberto strenue commen-*

mendebatur, *ut scilicet* *COMITATU*, *QUEM PRIUS HABUERAT*, *POTIRETUR*. Et *lib. v. c.* 47. Alteler. *de Ducibus lib.* 1. *c.* 5., Matth. *de Nobilit. lib.* 1. *c.* 10.

Non raro Comes, Marchio, vel Dux cum filiis decedens ad eos Principis benignitate feuda transmittebat, Carolus Calvus apud Miræum in *annot. Belg. an.* 877., *Si Comes de regno obierit*, *cujus filius nobiscum filius noster ordinet*, *de his*, *qui eidem Comiti familiares*, *&* *propinquiores fuerunt*, *qui cum ministerialibus ipsius Comitatus*, *&* *cum Episcopo*, *in cujus parochia fuerit ipse Comitatus ipsum Comitatum provideant*, *sive regant*, *usque dum nobis renunciatur*, *ut filium illius*, *qui nobiscum erit*, *de honoribus illius honoremus*. Apud Longobardos citius hereditaria invaluit successio, Paul. *lib.* IV. *c.* 40., *mortuo Gisulfo Forojuliensi Duce*, *Taso*, *&* *Cacco filii ejus eundem ducatum regendum susceperunt*.. Et *lib.* VI. *c.* 39. *defuncto itaque Gisulfo Beneventanorum Duce*, *Samnitum populus Romoaldum ejus filium ad regendum se sublimavit*. Omnis itaque successio a Principum liberalitate, Reipublicæ commodo, vel Comitis, Ducis & Marchionis merito, aut pretii solutione apud omnes, qui feuda cognoverunt, se propagavit; sicut ex historia deprehendi.

Nam in Barbarorum regimine tanta erat Magistratuum depressio, Comitum, Marchionum, & Ducum auctoritas, ingens adquirendi, seu potius rapiendi cupiditas, imbecillis Regum Majestas, ut nihil nisi perturbata Reipublicæ forma, publici, privatique juris contemptus videretur. Rex, aut quilibet Dynasta provinciis, & civitatibus Duces, & Comites præficiebant, precario titulo, nec ad heredes transmittere poterant. Sed hujusmodi Ducum, & Comitum rapacitas, defectio, & potestas ad filios heredesque, etiam sine Principis consensu transire permittebant. Etiam ante Carolum M. in diversis Europæ Ditionibus feuda hereditariæ successionis visuntur. Ioannes Trithemius *in Chronica Ducum Bavariæ* de Griffone Bavariæ Duce scribit, *Griffo iste Bavariam ingressus*, *Ducatum*, *sibi jure hereditario vindicare cupiens*, *Tassilonem Ducem ejecit*: *sed Pippinus Rex frater*, *Ducatum Tassiloni restituit*, *&* *Griffonem in Franciam Duxit*, *dans ei duodecim civitates more Comitum*. Et passim alia exempla præstat.

§. XLV.
De lege Conradi Salici.

Primus inter Germanos Imperatores Conradus salicus, legem de

de feudorum successione promulgavit, de quo Cuspinianus *de Cæsaribus*, scribit, *Hic enim Conradus Orientalis Franciæ, quæ hodie franconia appellatur, Dux, prosapiam a Conrado Francorum, & Lotharingiæ Duce, de familia, quæ vulgo patria lingua Gorblingen cognominatur, duxit: qui Ottonis magni Imperatoris, ex filia Luitgarda gener fuit: In campo Liicii ante Augustam ab Hunnis interemptus, ut superius annotavimus. Maternam autem originem in Francorum Principes Clodoveos ex antiqua Trojanorum stirpe descendentes, referebat. Conradus enim Wormaciæ, & Lotharingiæ Dux ex Luitgarda conjuge Ottonem genuit filium Comitem Franconiæ: ex quo Cuno Comes nascitur, cujus tres erant filii, Sigefridus Eberhardus, & Hermannus Franconiæ Comites: sed Hermannus ex Adelheide e Francia Orientali orta genuit hunc nostrum Conradum Franconiæ Ducem, & Imperatorem.*

Hic Conradus, qui Germaniam opibus, pace, & nova Regni Burgundiæ accessione locupletavit, & Italiam civilibus bellis agitatam, armis, & legibus constituit, corona Romæ a Joanne XX. Papa accepta, deinde in Campis Roncaliæ de successione filiorum legem promulgavit an. MXXXVII. ut Muratorius corrigit, & in *lib.* III. *LL. Long. tit.* VIII. 4. extat. In qua postquam nullum vasallum, vel Episcopi, Abbatis, Abbatissæ, Marchionis, Comitis, vel alterius, aut Imperatoris feudum amittere, nisi culpa, de successione sic statuit, *Præcipimus etiam, ut cum aliquis Miles, sive de majoribus, sive de minoribus, de hoc seculo migraverit, filius ejus beneficium habeat. Si vero filium non habuerit, & Aviaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat. Servato usu majorum Walvassorum in dandis equis, & armis suis senioribus. Si forte Aviaticum ex filio non reliquerit, & fratrem legitimum ex parte patris habuerit, si seniorem offensum habuit, & sibi vult satisfacere, & Miles ejus effici, beneficium, quod patris sui fuit, habeat.* Ut legit Muratorius, hujusque legis meminit Sigonius de *Regno Italiæ lib.* VIII. *ad an.* 1026. Samuel Schurzfleischius *dissert. de Conrado Imp.* feudista in 1. *f.* 1. *cum vero Conradus*. Et de nostro Conrado inquit Wippo *militum vero animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini posterum auferri sustinuit.*

Dum clientela successionem ignorabat, morte, immo anno, vel plus, minusve, vasalli ad seniorem redibat. Postea inductum ad unum ex vasalli filiis transire, quem dominus optaret. En incertitudo successionis! Tandem ad omnes vasalli filios pertineret, & ex hac Conradi lege, ad nepotes ex filiis, quos *aviaticos* dicit, extendit, invitavit & fratres consanguineos ad feudi successionem, quod

quod communis parens adquisivit. Usus ad liberos mares in infinitum extendit, atque paulatim successio crevit. Verum Conradus filios ad successionem patris tunc admittit, cum seniori satisfecerint, si eum læserint, ut infra ex Gunthero dicam. Hinc merito Joan. Wolfangus Teſtor *differt. de feudis Imperii propriis cap.* III. §. 15. inquit, *Tempore Conradi, & multo post feuda in universum nondum fuerint hereditaria, sed ut ab initio ad dies vitæ tantum concessa. Quod vero primitus feuda ad dies vitæ tantum concessa fuerint, probatur ex textu in* 1. *f.* 1. §. 1. *Ex quo patet, quod apud Longobardos feuda primo pro lubitu poterant auferri: postea ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum, ut usque ad vitam fidelis producerentur. Tandem ut ad filios pervenirent, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare. Si igitur apud Longobardos feuda ab initio ad dies vitæ tantum concessa fuere, sequitur quod & nostra feuda eodem modo primitus data fuerint.*

§. XLVI.

De lege Lotharii.

Recepta undique fere est Conradi II. Constitutio: nam universales Europæ Annales post Conradum feuda hereditariæ successionis assidue describunt, etsi in nonnullis pacto opus fuisset, ut clientela successionem haberent. Idque in præsertim feudis, quæ personæ Ecclesiasticæ de bonis Ecclesiæ conferebant, contigisse suspicamur, ut de feudis fuldensibus, inquit, Christoph. Lorber *Instit. juris feud. Germanici, & Longobar. lib.* 1. *tit.* 12. §. 66. *in notis*. Postea Lotharius II. confirmavit, & extendit: Defuncto enim Honorio III. Pontifice an. 1130. Innocentius II. successit, cui Petrus Leonis Cardinalis restitit, & Anacleti nomen assumpsit. Innocentius extinguendi schismatis studio, Lotharium ab Alemannia evocavit, Lotharius Romam profectus *an.* 1133. vel ut Falco Beneventanus *an.* 1136. & Gualvaneus de Flamma *in Manipulo* Florum *cap.* 167. (qui *ad an.* 1343. vixit) coronam a manibus Pontificis accepit, & ante januam D. Petri hanc constitutionem promulgavit, quam feudista ad titulum usque xxIv. describit.

Coronationi Barones Italiæ, & Regni Neapolitani, & Siculi interfuerunt, quorum votis leges edidit, *constituit tempore Eugenii Papæ ante januam Beati Petri Apostoli in civitate Romana, per laudamentum sapientum Mediolani, atque Papiæ, seu Cremo-*

monæ, & Mantuæ, & Veronæ, quæ vulgo Berne vocatur, & Tarvisii, & Paduæ, atque Vincentiæ, Parmæ, Lucæ, Pisæ, & Syponti, & Marchionum, atque Ducum, vel Capitaneorum, atque valvasorum majorum. Ubi duplex error occurrit, cum pro *Eugenii* legi oportet *Innocentii*; alter error est Andreæ, qui pro *Syponti* perperam *Sienæ* legit. Nam Andreas capere non potuit, quomodo Regni Sapientes Lotharii comitiis interesse vellent, cum Regnum Rogerii virtus ab utroque imperio subtraxisset. Sed non advertit, adventu Lotharii totum fere regnum, relicto Rogerio, Imperatori cessisse, Falco Benevent. *in chron. ad an.* 1137. rem enarrat, *Præfatus autem Imperator flumen Piscariæ adveniens, Pascha Domini ibi celebravit, Inde flumen illud transiens, Civitatem Termulensem, & illius Provinciæ Comites obtinuit; & inde amoto exercitu, & Civitatem Sipontum, & Montem Sancti Angeli VIII. die intrante Mensis Maii comprehendit. Tantus itaque terror totam invasit Apulam, quod universus populus usque ad civitatem Barium ad ejus imperium alligatus est.* Eadem Aventinus *lib.* VI. *Annal. Bojorum* narrat, *Henricus Bojorum Dux gener ejus per Tusciam profectus, eam ab Imperatore in fidem accepit. Romam pervenit, Pontificem Maximum secum duxit, Albam expugnat, Salernum imperata facere cogit, Barii cum Pont. max. Imperatori Lothario occurrit. Inde conjunctis copiis, Rogerius tota Italia pellitur. Reginaldus porro Regno imponitur.* Suspicor pro *ante januam beati Petri Apostoli*, legendum, *ante januam, seu ædem Constantinianam*, nam templum D. Petri Analectus tenebat, si Aventino fides *loc. cit.* Et Sigonius *de Regno Italiæ lib.* 4. *ad an.* 1134. Totum fere regnum adquisivit. Non mirum si Syponti sapientes in eo cœtu adfuerint, cum Sypontina civitas Lothario se dedisset, & plures Regni Barones simul cum Roberto Capuæ Principe, & Rainulfo Avellini Comite a Rogerio defecissent, & Lotharium secuti essent. Patet & error Molinei, Hotomanni, & Camil. Peregrini, qui hujus Legis auctorem, non Lotharium II., sed primum constituunt, Cujac. I. *f.* 17. V. Cl. Franc. de Andr. *disput. feud. cap.* 11. §. 3., P. Jannon. *H. C. R. N. lib.* XI. *c.* I.

In his Comitiis primo sanxit; *Si quis miles mortuus fuerit sine filio masculo, & nepotem reliquerit, in beneficium avi in patris vicem succedit. Et si heredem* (hoc est filium, vel nepotem masculum) *& fratrem reliquerit, in beneficium patris ipse* (nempe filius, qui patruo præfertur) *succedit. Et si filius fratris mortuus fuerit, frater patris in beneficium sui defuncti succedat.* Si vasallus, decedat, ei filius succedat, si non extat, nepos ex dicto filio; aut

aut si alium, & fratrem suum relinquat: filius tantum succedit, excluso fratre; verum si hic filius sine filiis & successoribus moritur, succedit frater defuncti, hoc est patruus. Lotharius loquitur de feudo antiquo, & primus legem Conradi confirmans, ad patruum successionem extendit.

Prima successionis ratio est descendentium; his deficientibus, obtinet collateralis, etiam per transversalem lineam ascendens, uti est patruus: secus est in ascendente per lineam directam, quia ascendentes in linea directa, videlicet pater filio, non succedunt II. *f.* 50. In linea descendente jure civili in allodiis, jure feudali in feudis datur repræsentatio usque in infinitum, hoc est cum filiis nepotes non in capita succedunt, sed in stirpem, hoc est illam portionem accipientes, quam pater, si in vivis existeret, accepisset, eaque æqualiter inter se dividunt I. *f.* 8. II. *f.* 50., II. *f.* II., quia feudum acquirens suo sanguini, qui in omnibus descendentibus durat, præsumitur. Hæc repræsentatio in feudis juris longobardici, & juris francorum, & regalibus, ut Comitatu, Ducatu, Marchionatu procedit, non in senioratu, vel majoratu in quibus tantum maximus familiæ stirpis succedit. Nisi primogenitura senioratui adhæreat, ut non de tota familia senior, majorve, sed de linea primogeniti senioratum obtineat. Struv. *S. J. F. cap.* IX. 5., Rothi. *in Pand. feud. cap.* XV. *q.* 34. & 35. Quod repræsentationis jus apud francos, Wisigothos, & Longobardos in hac linea valuit; & apud Francos a Childeberto, qui 558. obiit, invaluisse primum videtur. In Geldris, & Zutphaniensibus olim ignotum, & *an.* 1540., vel ut aliis arridet, 1560. introductum, primum in allodiis, deinde in feudis. Sed moribus in feudis Arthesiæ, Flandriæ, & Hannoniæ nec in linea collaterali, nec descendenti admissum est, Lex. Wisigoth. *lib.* IV. *tit.* 2. §. I., LL. Long. *lib.* II. *tit.* 14. 18., Andr. de Barulo *in Comm. ad LL. Long. c.* 14. Pontan. *Hist. Gelr. lib.* 14., Sande *ad Consuetud. Geldriæ tit.* III. §. I. *n.* II.

§. XLVI.

De jure repræsentationis in linea collaterali.

Nunc de jure repræsentationis in linea collaterali: & hoc ultra fratrum filios non datur, in ascendente omnino ignotum est, *Nov.* 118. *c.* 3., & proximior remotiorem excludit *auth. defuncto C. ad Tertyll.* Jure feudali cum nihil statuatur, jus civile sectamur. Si itaque defuncto plures fratres supersint, omnes in capita succedunt; si cum ipsis filii fratrum defunctorum concurrant, hi una cum ipsis ad

ad feudi succeſſionem, non in capita, ſed ſtirpes admittuntur, 11. *f.* 11. ſive feudum hereditarium, ſive mixtum, ſive ex pacto, & providentia fuerit, Duaren. *cap.* XI. *n.* 13., Sonsbec. *par.* IX. *n.* 98., Weſenbec. *cap.* VI. *n.* 16. Quod ſi vaſallus non fratres, ſed tantum fratrum filios, & patruum relinquat, etſi omnes æquali gradu diſtent, nihilominus fratrum filii patruum excludunt, ſicut & in allodio *auth. poſt fratres autem C. de legit. hered.* Quamvis Imp. Otto I. an. 942. in Comitiis Weſtphaliæ Stelenſibus æqualiter cum patruis nepotes ad hereditatem avi admitti ſtatuiſſet, Chronicon Magnum Belgicum, *anno ejuſdem Ottonis quarto Orta eſt diſſentio inter Principes de varietate legis, utrum avis ſuperſtitibus, filii filiorum poſt patres defunctos adire hereditatem, an exheredatis fratruelibus (fratrum mortuorum liberis) hereditas ad viventes patruos redire deberet? Ubi ex Ottonis Regis omniumque Principum ſententia, cognitio veritatis commiſſa gladiatorio judicio fuit, ceſſitque victoria his, qui cenſebant, mortuorum patrum filios venire ad hereditatem cum patruis debere.* Et Sigebert. Gemblac. *in Chronographia ad an.* 942.

Aliud eſt, ſi fratrum filii patruo, ſeu patris fratri ſuccedere volunt, una tunc cum patruis ſuccedunt. Finge: Mævius moritur, nullis relictis deſcendentibus, ſed fratre Titio, & ex præmortuo fratre Cajo filiis, ſive reſpectu Titii, nepotibus; nepotes ſimul cum patruo in allodiis, non feudis ſuccedunt, *Nov.* 118. *c.* 4., 11. *f.* 11. Nam feuda, pro ſe & deſcendentibus cuique dari ſolent, igitur excludi collaterales oportet non ultimi poſſeſſoris, ſed primi adquirentis. Ultra fratrum filios regula eſt, agnatus proximior remotiorem excludit, quum omnis deſinat in allodiis repræſentatio. In feudis communiter placuit, non primi acquirentis, ſed ultimo defuncti proximitatem conſiderari, modo a primo adquirente deſcendat, 11. *f.* 50. *v. dummodo*, ſecus inconveniens oriretur. Exemplum: Mævius feudum adquiſivit, relictis duobus filiis, Titio, & Cajo, decedit: Clientela ad Titium integra ex diviſione pervenit, qui & ipſe natis duobus filiis primo, & ſecundo, qui primi acquirentis ſunt nepotes, deceſſit: ſecundus feudum obtinuit; primus filium, & ex eo nepotem genuit. Si ſecundus feudi poſſeſſor ſine herede feudali moritur, nullis ex Mævio primo adquirente relictis deſcendentibus, ſed tantum primo, qui eſt filius Titii, & Cajo, qui eſt filius Mævii, Cajus quidem reſpecto primi adquirentis proximior eſt, quam primus, & ipſe ſuccedere deberet; quod abſurdum, ſed primus ſuccedit, ſeu ille, qui ex eo genitus eſt, Roſent. *cap.* VII. 57. *n.* 10., Vultej. *lib.* I.

c. IX. *n.* 233. Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* III. *par.* I. *c.* 2. §. I. *n.* 14. Rothi. *loc. cit. q.* 17., Scrad. *par.* VII. *c.* 7. *n.* 19., quod & Hispani ad majoratus successionem extendunt, Molin. de *primogen. lib.* III. *c.* 9.

Successio tamen collateralis feudalis differt ab ea, quam jus Romanum requirit: Successio juris Romani gradus proximitatem, fratribus, eorumque filiis non existentibus, successio juris feudalis proximitatem, & lineam considerat. Si quis sine descendentibus decedit, prima generatio est patris, quæ primam lineam, secunda generatio est avi, quæ secundam lineam, tertia generatio est proavi, quæ tertiam lineam, quarta generatio est abavi, & deinceps, quæ quartam lineam constituit. In successione feudali stipes, sive primus adquirens, est communis; a quo descendentes in pluries lineas dividuntur. Prima linea est eorum, qui a patre meo, secunda illorum, qui a meo avo, tertia istorum qui a meo proavo descendunt. In successione collaterali primo respicitur linea patris, ex qua proximior succedit; si nemo ex ea vivit, ad lineam avi recurritur, nec de una linea ad aliam transire permittitur, nisi prior pereat, ut in II. *f.* 50. dicam. Denique tam in lege Conradi, quam Lotharii linea Collateralis improprie accipitur, cum descendens dici possit, & utraque lex de feudo antiquo disponit.

Disputatum acriter quoque est, tam in allodio, quam feudo, an filii fratrum, qui soli sunt, in capita, an in stirpes succedant? Mævius videlicet decedit ex Cajo fratre præmortuo, tribus relictis nepotibus, & ex altero fratre Sejo præmortuo, relictis quinque nepotibus, an Mævii feudum, vel alode, in duas, an octo partes dividatur oportet. Accursius ab Azone, a quibus primum, ni fallor, disputari cepit, dissensit: Accursius in stirpes; Azo in Capita admittit. Carolus v. an. 1529. in Comitis spirensibus in Germania Azonis sententiam edicto confirmavit, Vultej. *lib.* I. *c.* IX. *n.* 126., Rothi. *loc. cit. q.* 15., juri & rationi innititur. Nam Cajus in *lib.* II. *Inst. tit.* 8. §. 6., inquit, si quis decedat, & ex uno fratre duos, ex altero quatuor masculos dimiserit; omnes fratrum filii patruo suo ab intestato succedunt, non in stirpes, sed in capita: ita ut illi duo ex uno fratre, ut recte legit Schultig., duas accipiant portiones, & illi quatuor ex alio in quatuor portiones succedant; & Ulpian. *in l.* 2. §. 2. *D. de suis, & legit.* Et quia in jure feudali hac de re nihil immutatum est, jure romano utimur, quicquid ceteri reclament, Duaren. *cap.* VIII. *n.* 10., Cujac. & Charond. ad Ulpian. *tit.* 26. §. 4., Myn-

Mynſing. *cent.* III. *obſer.* 95., Gudelin. de *jure noviſſ. lib.* II. *c.* 15. Giphan. *tract. de jure feud. cap.* XII. *n.* 54. diſſen. Contius *lib. ſingul. de Hereditatibus*.

Occurrit & alia quæſtio, an in Succeſſione feudali graduum computatio ex jure civili, an canonico faciunda? Hotom. *in diſput. feud. cap.* XIX. & II. *f.* 31., Piſtor. *lib.* II. *q.* 19. *n.* 8., aliique ex jure canonico repetunt: quibus Rothi. *loc. cit. q.* 8., Struv. *S. J. F. cap.* IX. 7. *n.* 9., Freder. a Sande *loc. cit.* §. 6. *n.* 5., Cujac. *in* I. *f.* I. §. & *quia.*, Duaren. *cap.* XI. *n.* 14., Vultej. *lib.* I. *c.* IX. *n.* 236. aliique obnituntur. Et recte: feudiſta enim *in* II. *f.* 37. inquit, in computatione graduum ordinem ſervari, qui in *legibus* continetur: nomine *legum*, non canonicas, ſed civiles intelligit, ut *ex* I. *f.* I. §. 4. ibi, *quod ſecundum uſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum ultra fratres & patrueles non progreditur in ſucceſſione feudali jure antiquo*. E I. *f.* 8. §. I. teſtatur non progredi ultra quartum gradum; ſed patrueles jure canonico non ſunt in quarto gradu, ſed jure civili. Præterea primi feudorum in Italia Conditores, & Sapientes omnia ad jus civile tunc in Bononienſi Academia præclaris viris enucleatum, reducere curabant, omniaque Italiæ ſtatuta, & municipales leges abſentia Imperatoris, & jurium regalium uſurpatione natas legibus Romanis illuſtrare conebantur. Quare potius ad jus Romanum, quam canonicum tunc varium, & non ſatis cultum, clientelarum ſucceſſionem accommodare adigerentur. Præſertim, cum gradum computatio jure canonico ad matrimonia regenda, non ſucceſſionem diſtinguendam inducta eſſet. Quin imo jure feudali una eſt ſucceſſio nempe deſcendens, altera collateralis improprie fingitur: & in linea deſcendente jus civile a canonico non diſtat.

T I T U L U S XX.

De beneficio Fratris, & qualiter Frater in beneficium Fratris ſuccedat.

HIc titulus eſt pars conſtitutionis Lotharii nuper laudatæ; & regulam continet, videlicet.

§. XLVII.

De probibita fratris ſucceſſione.

In feudo novo frater non ſuccedit fratri, I. *f.* 8. *in fin.* quia nemo in

in clientela succedere valet, nisi qui a primo acquirente descendat. Frater non descendit a fratre, igitur in feudo fratris non succedit, etiamsi agnatione se attingant. Descendens ascendenti succedit, non collateralis collaterali II.*f.* II., II.*f.* 50., & antiquo sermone servato, in collaterali linea successio, sed improprie, nominatur. Unde Imper. hic, inquit, si quis beneficium adquisivit, & sine filio masculo decedat, & fratrem relinquat, frater ei non succedit, *si quis adquisierit beneficium. Et sine filio masculo mortus fuerit, & fratrem reliquerit, frater non succedit fratri, sed dominus habeat.* Sonsbec. *par.* IX. *n.* 88. Thom. de Marin. *de Gener. feud. tit.* XII. Vultej. *lib.* I. *c.* IX. *n.* 214. Giphan. *de feud. disp.* V. *n.* 42., & feudum domino aperitur.

§. XLVIII.

De casibus, in quibus frater fratri succedit.

Ab hac regula excipit. *Nisi per investituram a domino ordinatum fuerit, ut frater succedat fratri, si mortuus fuerit sine herede masculo, vel succedat frater fratri morienti sine filio, vel nisi beneficium de communibus bonis fuerit emptum. Vel utriusque nomine, domino sciente: si simul steterint: vel in hostem Regis adquisierint.* (1) Si in investitura senior expressit, ut fratri sine herede, hoc est linea descendente decedenti frater succederet, tunc quod non potest ratio feudi, ratio & pactum contrahentium valet, quum nihil tam humanæ fidei, quam pacta servari, conveniat, II.*f.* I2. I.*f.* 8. *in fin.* (2) Si communi pecunia feudum, domino sciente, emerint, secus si senior ignorat. Ratio, quia senior invitus illum vasallum recipere non cogitur, quem voluerit, etiamsi melior fuerit, quum quoties senior invitus est, toties ejus conditio diminuitur, sicut usurarius contra voluntatem proprietarii deteriorem rem, etsi in meliorem, commutare nequit *l. fin. D. usu, & habit.* Attamen, ut in hac feudi specie, frater fratri succedat, tria requiruntur, pecunia sit communis, simul habitent, & dominus sciat, *princ. h. t.* ibi, *si insimul steterint*, Alver. *h. t. n.* 3. Tom. de Marin. *loc. cit. n.* I2. Andr. *in* II. *f.* 40. *n.* 7. Voet *ad lib.* 38. *D. digr. de feud. n.* 58. quicquid Zasius opponat, quia communis habitatio mutuum pro seniore auxilium præstat.

(3) Si communibus armis, & equis in exercitu Imperatoris, aut alterius domini procincti pugnantes adquisiverunt II. *f.* I2. *in fin.* modo consensus domini intervenit, & Rex Rothar. in *lib.*

lib. II. *LL. Long. tit.* 14. *l.* 11. sanxit, *si fratres post mortem patris in casa communi remanserint & unus ex ipsis in obsequio regis, aut cum judice aliquas res adquisierit, habeat in antea sibi absque portione fratris, & quae foris in exercitu adquisierit, commune sit cum fratribus, quos in communi casa dimiserit*, Zasi. *par.* VIII. *n.* 17. Giphan. *tract. jur. feud. disp.* v. *n.* 44. Obstat feudista *in* II. *f.* 12. ubi in feudo communibus armis, atque expensis adquisito fratri fratrem non succedere declarat; sed quod expensum est, restituere debet. Respondeo, *d.* II. *f.* 12. intelligi, si dominus conditionem fratrum ignorat, rationem addit, *ne forte invitus dominus alium quam quem voluerit sibi acquirat vasallum*, licet quamdiu vivant, fructus fuerint communes. Nostrum textum exponi, dum dominus cognoscit, Vultej. *lib.* I. *c.* IX. 219. (4) Si fratres simul habitarent, & feudum aliquis eorum de propriis bonis, nomine tamen utriusque, sciente domino, adquisivit, quae ultima nostri textus exceptio est.

Interpretes addunt, si senior duobus fratribus in solidum concessisset, si unus sine filiis decedit, excluso seniore, alter succedit, non jure successionis, aut proprio, sed non decrescendi, hoc est, quod superstiti nihil juris decrescat. Aut si feudum dividi non possit, ut est jurisdictio, juspatronatus, jus piscandi, venandi, servitus realis, & similia: si frater sine herede decedit, sua portio ratione individui ad fratrem redit, seu a fratre non discedit; sed frater illam partem a domino redimere debet, quia propter vacantem dominus totum feudum revocaret. Excipitur, si dominus contemplatione unius forte militis strenui, & bellicosi alteri fratri concessisset; aut si portio vacans pinguior est; tunc totum feudum seniori aperitur, & fratri aestimationem solvet, Zasi. *par.* VIII. *n.* 39., Thom. de Marin. *loc. cit. n.* 16., Vultej. *lib.* I. *c.* IX. *n.* 219.

T I T U L U S XXI.
De feudo sine culpa non amittendo.

PRosequitur Lotharius de clientelis sua constitutione, quam Glossographi in has rubricas diviserunt, disponere. Et duo sancit.

§. XLIX.
De justa feudi privatione.

Vasallum a suo feudo non cadere, nisi cognita caussa; quae caus-

caussæ cognitio per *laudamentum*, hoc est adprobationem, & judicium Parium facienda est. Videlicet si suo seniori servire noluerit, aut feudum sine ejus voluntate vendiderit, aut cum ejus uxore concubuerit, domino vivente, vel in pugna dimiserit; vel cum eo non laboraverit, dum potuerat. Ex his caussis convictus coram Paribus, feudo privatur. Secus, si propria auctoritate, & sine caussæ cognitione, senior velit feudo expoliare, Miles condictione caussa data, illud repetere potest.

Primo igitur miles feudo non privandus, nisi caussa cognita; *sancimus, ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat: Si ex culpis iis, vel caussis convictus non fuerit, quas milites usi sunt nominare quando fidelitatem faciunt. Dominis suis; vel per laudamentum parium suorum; vel si dominis suis deservire noluerint, tunc condictio caussa data proponitur ad repetendum feudum ex quo non servit domino. Nam si steterit viginti annis, & ultra, quod non servierit domino: nisi necesse fuerit domino, feudum non amittit*, inquit Lotharius & Cujac. legit. Nec culpa, sive in omittendo, sive in committendo consistat, nec dolus præsumitur, nisi probetur *cap. ult. de præsumt.*, nec statim ac vasallus deliquit, feudo cadit, sed sententia judicis opus est, I. *f.* 22. §. *sancimus*, & Conradus, & Henricus in suis constitutionibus, quas *lib.* V. feudor. Cujac. refert, statuerunt. Nisi ipso jure privaretur, tunc sententia non indigemus; forsitan quia sic in investitura conventum, vel lex jubet *cap.* I. *de homicid. in* VI. Sane dum vasallus culpam committit, ipso jure a feudi dominio cadit, sed non a possessione, quæ factum continet. Ut si quis beneficium curatum possideat, deinde aliud adquirit, & possessionem adprehendit, collator non poterit in corporalem primi beneficii possessionem aliquem titulo institutionis immittere *cap.* 28. *de præbend. in* VI. Judex competens in felonia vasalli sunt Pares curiæ, quorum judicium Lothorius *laudamentum*, & Fider. II. in *Const. si vasallus lib.* III. 19. *exguardium* vocat. Culpa est, si vasallus transgreditur ea officia, quibus milites, dum feuda recipiunt, vel nominatim, vel ex natura fidelitatis nata, se obligant. Nam formula jurisjurandi plures obligationes erga seniorem imponit; cetera pacto, & conditione tempore infeudationis, si velit, servare obligatur. Aut si legitime vocatus, servitium non præstitit II. *f.* 55. §. *firmiter*, II. *f.* 28. §. I. nec justa caussa fuit, cur servire recusaverit; si non est vocatus, aut ab homine, aut a jure, etiamsi diu servitium non exhibuerit, tamen feudo non cadit *prin. a. t. d.* §. I. & II. *f.* 37. §. *ult.*, Hanneton. *lib.* III. *c.* XI. Curt. *par.* IV. *n.* 61. Narrat &

Chron.

Chron. Roddagshufen. de Henrico Leone Imp. qui Ulricum Halbekftadium Antiftitem feudo privavit, *Imperatorem eo offenderat, quod tributum Cæfari expeditionem Italicam fufcipienti debitum non perfoluiffet. Qua eadem culpa tenebatur Hartvicus Bremenfis Archiepifcopus, qui juffus Cæfarem in Italiam fubfequi, neque hoc fecerat, neque de fumptibus ei providerat. Uterque igitur de majeftate damnatus, & prædia eorum, ac poffeffiones Fifco imperiali applicatæ funt.*

Enarrat & alias cauffas, quibus vaffus feudo cadit, fi illud inconfulto feniore alienat, *fi quis miles beneficium fuum vendiderit totum fine voluntate, vel juffu domini fui: ut proprium, beneficium amittat, decernimus, dominus vero habeat: vel fi concubuerit cum uxore domini fui, domino vivente: vel fi in pugna fuum dominum dimiferit & cum eo non laboraverit, fi potuerit.* Quod primo Lotharius nofter prohibuerit. Aut fi cum ejus uxore concumbat, fed *vivente feniore*, quin imo, etiam *mortuo*, quoties vidua maneat; quia femper in primo matrimonio vivere videtur, cum nihil ex eo amittat *l. 13. C. de dignit.*, & vafallus tam vivo, quam mortuo feniori honorem fervare tenetur. Si tamen hæc ad fecunda vota tranfit, quia pofterioris mariti conditionem fequitur, fi vafallus eam cognofcat, feudum non amittit, Duaren. *cap.* XIV. *n.* II. Sonsbec. *par.* XII. *n. 16.*, quid fi matrem fenioris polluerit? feudiftæ nihil ftatuunt, & pænis favere non debemus *l. 42. D. de pænis.* Alias cauffas fupra expofuimus.

Denique fenior duplicem actionem habet, criminalem, & civilem: Criminali, fi vafallus damnetur, & dominus feudum repetit; civili, quæ dicitur condictio cauffa dati, vel dati ob cauffam, vel cauffa non fecuta, hoc eft fi fub ea conditione, & cauffa, vel expreffa, vel tacita dedit quam vafallus, cum non fervaffet, merito hac actione dominus beneficium petit, *princ. h. t. l. 9. D. de condict. cauf.*, quam nonnulli condictionem ob ingratitudinem appellant. Nam feudum eft contractus, & dum vafallus fidem non fervat, fervitia non præftat, illud amittit, idcirco dominus aliqua uti debet actione, ut a manibus vafalli repetat. Hanc actionem feudifta, & Imperator hic ex jure civili condictionem ob caufam datorum dixerunt, qua dominium, & poffeffio a vafallo aufertur, five vafallus feudum poffideat, five alteri fubinfeudaverit, dominus hac actione etiam a fubfeudatario repetit, Vultej. *lib. 1. c. 1. n. 31.*, Struv. *S. J. F. cap.* VIII. 4. *n.* 2. *& cap. ult.* §. 2. *n.* 5., Roth. *in Pand. feud. cap.* XXIV. *q.* 8. Nec tantum condictio ex cauffa feniori ad repetendum competit, fed & rei vindicatio, dum fententia parium vafal-

sallus feudum amisit; actio publiciana, dum a separato quolibet possessore repetit, Scrad. *par.* IX. 2. *sect.* 9. *n.* 22.

TITULUS XXII.

Quo tempore miles investituram petere debeat.

LOtharius tria hic constituit, tempus petendi investituram, prohibitam clientelæ alienationem, & nullus miles sine culpa, & caussæ cognitione feudo privetur.

§. I.

De tempore petendi investituram.

Sancimus, ut nemo miles ultra annum, & mensem vadat, ut investituram beneficii sui a filio, vel successore domini sui petat, vel post mortem domini sui, vel patris sui, vel alterius, cui succedere debet, nisi justa caussa intervenerit, quare non petierit; veluti mortis, vel capitales inimicitiæ, vel infantia, vel justa obsentia: & si, ut supra dictum est, non petierit, damnetur. Feudi erectio est verus contractus, qui ultro, citroque jura, & obligationes inter seniorem, & vasallum producit; atque ut hujusmodi jurium, & obligationum, utrimque competentium agnitio salva, & integra servaretur, investituræ renovatio sapienter inducta est; præsertim, cum vel mutato seniore, vel vasallo, diminui, aut interverti, vel auferri facile potuerint. Vasallus, ut assidue cognosceret, illud quod possidet, non suum, sed senioris esse; & post ejus mortem, sui heredes non aliter quam seniori fidem pollicendo, feudum adire debeant, Boehmer. *tract. de Renovat. invest. cap.* V. §. 102., & eleganter Freder. a Sande *ad consuetud. Gelr. tract.* 2. *tit.* 1. *c.* 2. *n.* 9. inquit, *homagium offerens concessionis pariter renovationem petere debet, quamvis primus beneficiarius pro se, suisque posteris concessionem obtinuerit. Est enim hæc novæ concessionis postulatio quasi beneficii agnitio, ac reverentiæ erga dominum præstatio, est item signum, successionem amplectentis, unde Galli hunc actum, relevium vocant, quasi videlicet feudum illo actu levetur, quod prius quodammodo jacebat, quemadmodum hereditas jacens dicitur, quæ necdum est adita, vel agnita.* Origo itaque renovationis investituræ est [1] ne feudi inducatur oblivio, ne nexus, quo quolibet imperium vivit, aboleatur, [2] juratæ promissionis, quæ per-

personalis est, necessaria repetitio [3] ne bona jure feudi concessa, & vasalli obligatio manumissa censeantur, cum facile tractu temporis, & diuturna consuetudine jura, obligationes, subjectiones, atque imperia pereant.

Renovatio faciunda, dum morte, vel naturali, vel civili senioris, aut vasalli persona mutatur *princ. h. t.* Et sanxit Fridericus I *an.*1183. *in fæderis Italiæ tabulis* apud Sigonium *de Regno Italiæ lib.* XIV. ibi, *cum autem nos Imperator decesserimus, aut regnum filio nostro tradiderimus, simili modo a filio nostro, aut ejus successore investituram recipientis*. Curt. *par.* IV. *n.* 45. Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli n.* 2. Tempus eam petendi est annus, & mensis, sicut hic statuitur. Verum *in* II. *f.* 24., II. *f.* 40. II. *f.* 52., II. *f.* 56. §. *præterea si quis*, annus, & dies occurrit. Cujacius, & Hotoman. ut textus componerent, in hoc tit. *intra annum, & diem*, non vero *mensem* corrigunt. Communis e contra opinio militem vasallum, a vasallo pagano distinguit: Miles vasallus annum, & mensem, paganus annum & diem habet, Duaren. *cap.* XIV. *n.* 2. Wesenbec. *cap.* VIII. *n.* 3. Rosent. *cap.* VI. 30. *n.* 7. Nec Cujacii correctio, neque hæc opinio ratione firmatur.

Quare non immerito Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 102. scribit. *Verosimile mihi est, ut maxime annus, & dies jure definitus esset, tempus tamen illud non tam stricte in judiciis, si forte casus incidisset, observatum fuisse: sed si vasallus post lapsum anni, & diem venisset intra spacium dierum viginti novem, moram adbibitam celeri quadam satisfactione, pro purgata habitam fuisse. Quod ut credam, valde me movet particula. ULTRA in d. c.* I. *quo temp. mil. posita, quasi dicat textus, etiamsi feudi renovatio intra spacium anni, & diei de jure sit petenda; tamen si vasallus tempus illud labi passus sit, nec renovationem petierit, providebit ne ultra annum & mensem eam rem differat, quo etiam mense elapso in judicio ex benignitate nihil amplius ei debeatur, sed propter moram intra spacium dierum viginti novem non purgatam, feudo suo judiciali sententia, & determinatione cadat, nisi forte justam aliquam caussam babeat, quominus petierit. Ita in anno, & die est rigor, in anno & mense est æquitas: annus, & dies est juris, annus & mensis est usus: annus & dies est investituræ, & feudi petendi; annus & mensis est feudi amittendi. Neque enim videbatur omnino ex æquo & bono esse, feudum protinus amitti, si cessatum esset ultra annum & diem tempore exiguo, sicut nec e contrario ex æquo, & bono esse videbatur, si vasallus* diu-

diutius cessasset, ipsius contumaciam esse impunitam. Hec conciliandi ratio confirmatur per d. c. 1. quo temp. mil. in illis verbis UT SUPRA DICTUM EST, NON PETIERIT, DAMNETUR., quasi dicat Obertus, etiamsi vasallus ipso jure feudo cadat, si intra spacium anni, & diei renovationem feudi non petierit, propterea tamen non protinus damnabitur, sed tum demum si ultra annum, & mensem cessaverit. Alia conciliatio placet Rothio *loc. cit. cap.* XVII. *q.* 12. ut hic dies, non naturalis, & mathematicus intelligatur, sed juridicus, qui secundum locorum statuta concedi solet, sub quo quatuor, aut sex septimanæ comprehenduntur, sicut in Saxonia sub nomine diei hic sex hebdomadæ veniunt, Scrader. *par.* VI. *c.* 2. *n.* 77.

§. LI.

De caussis excusationum.

Ab hac regula Imp. quatuor casus excipit, *mortis*, *capitalis inimicitiæ*, *infantiæ*, & *justæ absentiæ*, in quibus si investituræ renovationem non petit, feudum non amittit, II. *f.* 52. *fin. Mortis*, nempe si vasallus intra annum, & diem, non petita investitura, decedat; ejus successori etiam annus, & dies competit, qui non a tempore, quo dominus feudi decessit, ducitur, sed a tempore scientiæ, quum successor non nomine mortui vasalli, sed suo petere teneatur. Quod in feudo antiquo omnes sentiunt: in feudo tamen novo nonnulli negant. Finge, pater feudum adquisivit de novo, illius senior decessit, pater etiam, qui a successore sui senioris renovationem petere debebat, in nono mense decessit; successor filius non integrum annum, & diem habet, sed solum illud tempus, quod patri suo supererat, Curt. *par.* IV. *n.* 51., Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti n.* 44.; quia filius ex providentia, & facto patris in feudo succedit, cui hoc tempus currit non a die mortis patris, sed a die, quo se hereditati immiscuit. In feudo autem antiquo filius, non facto patris, sed primi adquirentis persona vocatur. Attamen Scrad. *par.* VI. *c.* 2. *n.* 71., Sonsbec. *par.* XI. *n.* 12., Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 132. Struv. *S. J. E. cap.* X. *q. n.* 5. tam in feudo paterno, quam novo admittunt, videlicet semper integrum annum, a tempore quo vasallus obiit, ducendum, successori concedendum; quia textus feudalis nihil distinguat.

Inimicitia Capitalis inter seniorem, & vasallum orta, sicut si do-

si dominus de capitali crimine suum procuratorem accusat, procurator ad agendum cogi non debet, quia nova est caussa, seu iidem homines non videntur esse, nunc videlicet inimici, quia antea amici *l.* 8. *in fin. l.* 14. *D. de Procurat.* Seniorem adire timeat, etiamsi senior literas salvi conductus confirmet, quia capitalibus inimicis non credendum *cap.* 4. *ut lite non contest.* An procuratorem vasallus mittere cogatur? Interpretes *in hoc tit.*, & Vultej. *loc. cit. n.* 120. negant, non recte: nam procuratoris inventio fuit, *ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt vel non possunt, per alios possint vel agere vel conveniri*, inquit *l.* 1. §.2. *D. de procurat.*. Nec detentus videtur, qui procuratorem constituere potest, præsertim cum investituræ renovatio nemini noceat, Sylvan. *de feudi recognit. q.* 47. *n.* 2. Nisi investituræ tenor vasallum obliget, ut ipsemet investituram peteret. Verum si procuratorem non mittit, dum juste impeditur, non amittit feudum, quia hac in re procuratoris constitutio ad *urbanitatem*, non *necessitatem* pertinet, Afflict. *hic n.* 24. Extincta capitali inimicitia, vasallo integer annus & dies competit, quia primum tempus non consideratur, in quo petere non poterat; nam tempus, agere non valenti, non currit *l.* 3. *C. de restit. milit.*

Impubes, *seu infans* excusatur, etiamsi tutorem habeat, qui renovationem petere non cogitur II. *f.* 26. §. *si quis decesserit*, II. *f.* 55. §. *præterea si quis*. Et si pater decedat, superstitibus pupillo, & majore filiis, & feudum fuerit juris longobardici, in quo omnes æqualiter succedunt, tunc nec pupillus, nec major investituram petere tenentur, quia ætas sui fratris pupillaris, suumque privilegium fratri majori prodest. Exemplo servitutis, de qua Paul. *in l.* 10. *D. quemadm. serv. amit.* ibi, *si communem fundum ego, & pupillus haberemus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo*. Nam servitus, & obligatio petendi investituram est res individua. Si esset dividua, restitutio minoris majori non prodesset, atque *l. un. C. si in communi* intelligitur. Pubertas jure feudali sicut & civili ad annum XIV. in fæminis ad XII. & moribus etiam ad an XIV. durat: minorennitas est XXV. an., quoties jure feudali nihil statutum est, jus romanum sectamur II. *f.* I., etsi Mores, Europæ inconstantes sint. In Electoribus imperii ex A. B. majorennitas est an. XVIII., in Regibus Hispaniæ an. XX., in Bohemia pro fæminis an. XV., pro maribus an. XVIII., si sint de Equitum stemmate an. XXI., jure austriaco an. XXII., jure Saxonico, & Bavarico an. XXI. jure Neapolitano an. XVIII., Rothi. *loc. cit. cap.* VII. *q.* 32. Ex qua legum

diversitate quisque judicabit, quis minor, quis major sit, quis restitutionem petere, quis ab ea repelli possit? confer. Curt. par. 1 v. *n.* 46.

Denique justa excusationis caussa est *absentia*, quæ vel senioris, vel vasalli esse potest. Senior si longe abest, vasallus eum requirere, & adire non tenetur, nisi procuratorem reliquisset, a quo vasallus petere cogitur. Quemadmodum si quis minores usuras stipuletur, & si statuta die non solvantur, in posterum currere desinant, & a die cessationis, majores usuræ præstentur. Excusatur promissor a majoribus usuris, si post mortem creditoris non sit, cui ad diem minores usuras solveret *l.* 9. §. 1. *D. de Usur.* Vel vasallus juste abest, & etiam excusatur, nec procuratorem relinquere cogitur *l.* 26. §. *fin. D. ex quib. caus. maj.* Glos. *hic*, & communiter placuit. Plures & aliæ caussæ inveniri possunt, ut excommunicatio senioris, justa ignorantia, proscriptio, aliave Parium religioni relinquenda, quibus merito vasallus excusatur.

§. LII.

De vetita Domini facultate.

In secunda parte Lotharius prohibet domino conferre alteri feudum sui vasalli, nisi ipse vasallus consensiat, §. *si quis h. t. Si quis fecerit investituram, vel cambium de beneficio sui militis sine illius consensu, cujus est beneficium, pro non facto habeatur.* Secus investitura corruit. Quod intelligitur, si investitura pure fiat; nam sub conditione, quando vasallus possessor sine herede legitimo decedat, valet, eamque senior ejusque heres, excepto Prælati ecclesiastici successore, implere tenetur, ut supra probatum est. Dominus igitur jus sui vasalli alienare non potest. An si suum directum dominium alienare, permutare, vendere velit, vasalli consensus requiratur? dicam *in* 11. *f.* 34. §. *ex eadem* conf. hic Andr. interim & Cujac. 1. *f.* 22.

§. LIII.

De sententia Parium.

In tertia demum parte statuit, nullum vassorum suo beneficio privari, nisi sententia Parium interveniat §. *sancimus h. t. Sancimus, ut nemo miles adimatur de possessione sui beneficii, nisi convicta culpa, quæ sit laudanda per judicium parium suorum, sicut*

supra

supra diximus. Si autem dixerit miles, quod sui pares inique judicassent, miles in possessione maneat per sex hebdomadas; & ad nostram veniat præsentiam cum illis, qui laudamentum, atque judicium fecerint, & ante nos definiemus. Generalis juris regula est, omne feudum ipso jure non amitti, sed sententia indigere. Excipitur illud delictum, & ingratitudo notoria, quæ nulla targiversatione celari potest, omni populo, aut majori ejus parti innotescit. Videlicet si vasallus castrum, aut civitatem senioris oppugnet, vel crimen læsæ majestatis divinæ, aut humanæ committat; aut leges contra Ecclesiæ libertatem, a qua feudum tenet, condiderit *cap.* 53. *de sent. excom.* si feudum ad certum tempus detur, quo elapso, statim amittitur; aut vasalli incapacitas accedat, ut si clericus, aut monachus evadat; si sine consensu senioris feudum alienaverit. Aliter si legitimo tempore investituram non petiit, tunc sententia Parium opus est, Andr. *hic*, Curt. *par.* IV. *n.* 155. Capyc. *in* 11. *f.* 55. §. *callidis pag.* 45., Sylvan. *de feud. recognit. q.* 22., Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 114. Tantum hæc: nisi dominus Feloniam, vel contractus, vel delicti remiserit, quum quisque juri suo renunciare valeat, senior hic devolutioni renunciat. Si est Prælatus, qui solus infeudavit, solus remittit, secus si infeudatio ad ipsum, & Capitulum spectat, tunc utriusque consensus exposcitur. Aut si senior de injuria, & felonia sibi illata non condoluit, ejus heres contra vasallum ad feudi privationem agere non potest, exemplo donationis *cap. fin. de donat.* Nec dominus si feloniam vasalli non vindicavit, contra ejus heredem ad feudi devolutionem agere permittitur, quia noxa caput sequitur, nec actio ad pœnam ad heredes transit *l.* 1. *in fin. D. de privat. delict.*, nec injuriarum actio heredi, aut in heredem competit *l.*10. §. 2. *Si quis caution.*; Glos. *in* 11. *f.* 55. §. *insuper*, Alvet. *in* 11. *f.* 24. §. *porro n.* 3., quicquid paucis placet.

Si autem Pares Curiæ inique judicaverint, appellatur, non ad seniorem, quum idem tribunal, & eandem ordinariam jurisdictionem componant; sed ad Imperatorem, & reus sex hebdomadas habet, ut coram eo compareat, & interim sarcinulas colligat, nec a feudi possessione expellendus, donec hoc tempus, & appellatio duret, §. *ult. h. t. Si autem dixerit miles, quod sui pares inique judicassent, miles in possessione maneat per sex hebdomadas, & ad nostram veniat præsentiam cum illis, qui laudamentum, atque judicium fecerunt & ante nos definiemus*, & Conrad. Imp. in const. apud Cujac. *lib.*V. *feud.*, Montan. *lib.* V. *c.* 6. Freder. a Sande *tract. de judiciis feud. c.* 6. *n.* 1. Simulque exhibere se debent, qui sententiam tulerunt,

lerunt, ut caussa coram Imperatore, improbata, confirmata, aut diminuta Parium sententia, definiatur. Hæc tamen intelliguntur de feudis regalibus, quæ immediate ab Imperatore tenentur. Nam in ceteris inferiorum Dominorum feudis appellatio gradatim, non omisso medio, faciunda est, sicut jus Romanum jubet, cui in re appellationum jus feudale consensit. Supremus Princeps in feudis, vel subfeudis, quæ Barones, Comites, vel privati vel de rebus suis, vel feudis conferunt, jurisdictionem non habet, Cujac. 1. *f.* 23. Alver. *hic n.* 4., Intrigl. *cent.* 11. *art.* 44. *n.* 83. Displicet communis Interpretum schola, quæ docet, a sententia Prælati clientelæ senioris ad secularem judicem appellari; quum hujusmodi judicium ex bonis ecclesiæ fiat; nisi Prælatus ab Imperatore, vel comite feudum recognosceret, quod vel totum, vel partem alteri infeudavit, subvasallus judicio ejus gravatus ad mediatum seniorem appellare potest.

TITULUS XXIII.

De contensione inter Dominum, & vasallum de investitura feudi.

POstrema Lotharianæ Constitutionis pars hic refertur, & jus continet, quo contentio vasallum inter & seniorem orta de investitura dirimi potest. *Si quis miles in possessione sui beneficii fuerit, & dominus investituram negaverit: miles affirmet per jusjurandum, si potuerit, quod suum sit beneficium per investituram domini sui: & si dominus possederit, & miles sic dixerit, quod investitus fuerit a domino suo, & dominus negaverit: adhibeantur pares illius, & per ipsos inveniatur veritas: & si pares non fuerint veritas inveniatur per dominum, quia non est bonum, ut veritas denegetur.* Et duo complectitur: Primum est. Vasallus feudum possidet, dominus contra eum agit, ut illud restituat, & investituram intervenisse negat. Vasallus obtinet, si investituram jurejurando probaverint *princ. h. t.* quod Hotomanno displicuit: non recte; nam possessio possessorem tuetur, & omni probatione deficiente, legitime possidere præsumit, &, ut omnis suspicio adimatur, vasallus jurare debet. Tanta erat majorum nostrorum religio, sive culti, sive barbari essent, ut maximum fidei pondus jurijurando adnecterent. De Secundo Romanorum Rege scribit, Dionys. Alicarnens. lib. 11. *Primus omnium hominum fidei publicæ templum sacravit, assignatus ex ærario sacrificiis, quemadmodum diis cæte-*

cæteris. Publicus enim Civitatis mos in fide hominibus constanter servanda, privatorum etiam hominum mores ad idem studium progressu temporis erat conformaturus. Adeo certe venerabilis, & inviolabilis ea res est habita, & sua cuique fides pro sanctissimo jurejurando, & longe firmissimo testimonio fuerit. Et quoties alter cum altero contractum fecisset sine testibus, si qua exorta esset controversia, eam alterius litigantium fides dirimebat, nec contentionis studium longius progredi sinebat. Quum & magistratus, & judices in dubiis caussis plerumque ex alterutrius partis fide, ac sacramento faciebant arbitrium. Sæpe sola possessio non juvat, nisi alia occurrat præsumtio, & indicia, nempe anno possedisse, quin ab alio deturbaretur II. *f.* 33. §. *sacramentum*. In jure feudali quandoque jusjurandum datur possidenti, quandoque petenti, quandoque neutri, & tunc alicui datur, cum aliquid ei faveat, quod judicem moveat; & si sola possessio reperitur, jusjurandum possidenti dare solet, Blanc. *de feud. lib.* IV. *c.* 1. *n.* 129. Nec paribus, vel brevi testato probare vasallus poterat, idcirco jurare cogitur.

Secundum est: si Dominus possidet feudum, & vasallus illud petat, dum a se investituram actam esse contendit; si paribus, vel brevi testato probare nequit, Dominus possessor jurejurando obtinebit §. *& si dominus*. Hoc jusjurandum ex parte vasalli, vel senioris cum XII. sacramentalibus præstatur, inter quos computatur reus, qui jusjurandum præstat; tactis evangeliis, *& sic juret si illum deus adjuvet & sancti, quorum reliquiæ ibi* (hoc est in ecclesia) *sunt, ut inde veritatem dicat*; inquit *l.* 22. *&* 5. *ll. Long. lib.* II. *tit.* 56.

TITULUS XXIV.

Quemadmodum Feudum ad filiam pertineat.

HActenus Lotharii constitutio; nunc feudista, qui in hoc titulo docet. *Si quis sine filio masculo mortuus fuerit & reliquerit filiam, filia non habeat beneficium patris, nisi a domino redemerit. Si autem dominus ei dare voluerit propter servitium, & amorem patris, non revocetur ab ullo ex parentibus suis, neque damnetur.* Si quis sine filio masculo decedat, & filiam relinquat, filia in beneficio patris non succedit, nisi a domino redemerit. Aut si dominus amore, merito, & servitio defuncti, feudum sibi apertum filiæ concesserit, nec Parentes senioris eam concessionem revocare valent. In-

Interpretes certant, an de novo, an antiquo beneficio feudista intelligatur: Andreas, Alverotus, Baldus, & Ravennas de feudo novo; Hotomannus, & Cujacius de feudo antiquo accipiunt. Placet Andreas: etenim si feudum fuisset antiquum, in quo agnati dumtaxat succedunt, Dominus, deficiente vasalli linea descendente, non poterat filiam investire, & agnatos defuncti præterire, qui in investitura vocati jus quæsitum vindicant. Investitura senioris in filiam acta, idem est, ac alienatio, sed senior, superstitibus investitis, & primi adquirentis agnatis, utile feudi dominium alienare vetatur. Non igitur, præteritis agnatis, filiam investire poterat, nisi agnati consensissent, quia fraudari non videntur, qui sciunt, & consensiunt. Si non consensiunt, feudum, non dato pretio, recuperabunt 11. *f.* 26. §. *sitius*, 11. *f.* 39. Ardizo *in sum. cap.* 137. §. *& quod in fin.* Nimium infirma est Sonsbecii conjectura, qui in *par.* IX. *n.* 124. hoc casu putat agnatos extitisse, sed non a primo adquirente descendentes, qui casus cum primo confunditur.

§. LIV.

De relevio, & Origine.

Quoniam hoc feudum erat novum, & seniori devolutum voluit defuncti filiam contemplari, dum ad successionem vocavit, modo pecuniam ei solveret, seu redimeret. Non quia tempore successionis jure feudali successor vasalli aliquid seniori solvere deberet, cum nunquam in Italia feudali hæc consuetudo occurrat, sed ut filia a jure successorio expulsa, succedere potuisset; & mera senioris gratia filiæ redemptionem concessit. Moribus deinde in Europa invaluit, successorem præsertim in linea collaterali aliquid seniori solvere tanquam pro ingressu feudi, quod *laudimium*, *relevium*, *relevationem*, *relevamentum* dixerunt, quasi seniorem laudaret, seu novus successor recognosceret; & caducum feudum relevaret. Successores Marchiti, Geldrici, Montfortici, & Kuickani quindecim aureos solvunt, & sex pro Curiæ Ministris. In Curia Trajectensi tres scutatos: in curia Monasteriensi quinque florenos aureos, & unum pro Ministris: in Curia Brabantica, feuda, quorum reditus quindecim aut ultra aurei Rhenenses sunt, novendecim aureos rhenenses præstant, si vero feudi fructus ad quindecim aureos non ascendunt, laudimium erit unius anni fructus: In feudis Transisulanicis successor optimum unum ex defuncti mobilibus,

bus, vel tres libras soluit: In Curiis Hollandicis, feuda, quæ subfeuda, & jurisdictionem annexam habent, vel quorum reditus 300. carolenorum, vel pluris æstimantur, 22. carolenos, & unum sestertium solvunt: In Curiis Mechlinensibus, si fructus sunt quinque librarum Brabanticarum, vel pluris, tredecim equit, quorum singuli 30. stuferis æstimantur. In nonnullis investituris pactum constat, ut vel equus instructus, vel calcaria, vel par chirothecarum, falco, canis venaticus, poculum argenteum, aliudve honoris caussa solvatur. His juribus senior super feudo hypotecam vindicat.

Nec præterire licet Andegavensium mores apud Balutium *to.* VII. *miscell. p.* 343. *an.* 1246. sub Ludovico Francorum Rege. *Quicumque etiam, sive mater, sive aliquis amicorum, habeat custodiam fæminæ, quæ sit heres, debet præstare securitatem domino, a quo tenebit in capite, quod maritata non erit, nisi de licentia ipsius domini, & sine assensu amicorum. Et si relicta nobilis, vel alterius feodati se maritet, maritus suus facit homagium domino, & solvit racbatum: racbatum est valor terræ unius anni. Dominus autem non beret racbatum de patre ad filium, nec de fratre ad fratrem. Et omnes alii, qui tenent ballum debent homagium domino, & debent solvere racbatum* (hoc est relevium). *Ille aut qui tenet ballum, si terra debet ad ipsum devenire, non habet custodiam puerorum, imo proximior post ipsum, & habent pueri beneficium de terra patris, & matris suæ secundum valorem terræ, & secundum statum suum. Et quicumque tenet ballum, debet facere racbatum, solvere debita, & tenere ballum in eodem statu. Est autem ætas heredis masculi faciendi homagium domino, & habendi terram suam quam cito idem heres ingressus fuerit vicesimum primum annum. De ballis, & racbatis Cenomaniæ dicunt idem barones Cenomaniæ, hoc excepto, quod vidua perdit ballum terræ moventis ex parte patris puerorum in Cenomania, quam cito se maritat, & ille qui ballum habet, facit homagium domino, & solvit racbatum, nisi sit frater defuncti. Sciendum est tamen quod feritas Bernardi, & Castellaniæ feritatis aliam habet consuetudinem quantum ad racbata. Quia vero super ætate fæminarum certa consuetudo non inveniebatur, statuimus, & ordinavimus assensu baronum, & militum prædictorum, quod fæmina non maritata postquam quintudecimum annum compleverit, habeatur legitimæ ætatis ad faciendum homagium domino, & ad habendam terram suam.* Verum hæc consuetudo, cum feudali nomothesiæ reclamet, de casu ad casum, persona ad personam, Curia ad Curiam porrigenda non est, Freder.

O a San-

a Sande *ad Consuetud. Gelr. tract.* II. *c.* 3., Vultej. *lib.* I. *c.* VII. *n.* 84. Struv. *S. j. f. cap.* X. 12., Cujac. I. *f.* 25.

In Longobardicis infeudationibus nunquam aliquod occurrit tributum , quod vasallus domino solvere cogeretur . In ceteris Europæ Regionibus , præsertim Scotiæ , Angliæ , Galliæ sæpissime leguntur diplomata ; quæ vasallum ad relevii solutionem obligant . Non raro Senioris remitti liberalitate , unde *feudum absque relevatione* . Relevare , idem est ac feudum jam vasalli morte caducum , voluntate domini , soluto pretio , quod *relevium* , *relevamentum* , *relevagium* vocatur , a Domino accipere , seu immitti . Qua de re *alteragium absque relevatione obtentum* , est altare ecclesiæ jure beneficii habere ; quod si vacare contingat , illud habere ex mera altaris patroni liberalitate , quin aliquid pretii exolveret . Vetusta Barbarorum politia Ecclesias , quin & altaria in feudum concedere solebat , quod Sanctissimis Prælatis displicebat , ut Joan. Filesacus *de Ecclesiæ Gallicanæ quærelis* probat . Quæ labes e Republica ad Ecclesias descendit , dum Ecclesiastici Decanatus , Archidiaconatus , & alia jurisdictionis Ecclesiasticæ ministeria sub certo reditu ad firmam locarent , sicut Principibus moris erat forenses locare ballivas , idque Alexander III. *in c.* I. *&* 2. *Ne Prælati voces suas* prohibuit , Alteser. *lib.* IV. *dissert. c.* 10.

T I T U L U S XXV.

Quibus modis feudum constitui potest .

TAntum de senioris liberalitate , qui de feudo sibi devoluto defuncti filiam investivit . Nunc de modis , quibus beneficium adquiritur .

§. LV.

De Adquisitione feudi .

Et regulam a vera feudorum origine ortam proponit , nempe nullum feudum adquiri posse , nisi investitura precedat , aut illud , quod investituræ vicem occupat , tunc verum feudum nascitur , ut si *Dominus alicui coram paribus Curiæ dixerit , vade in possessionem illius feudi , & teneas illum pro feudo ; licet non intercessisset investitura , tamen tale est , ac si intercessisset : quia ille ejus voluntate possessionem feudi nactus est feudi nomine , inquit textus in* II. *f.* 33. His verbis coram paribus Curiæ prolatis investitu-

ſtituram interveniſſe contendimus, cum aſſidue in jure feudali occurrat, inveſtituram non niſi ſuperſtitibus Curiæ paribus fieri poſſe. Adeſt Domini voluntas, vaſalli poſſeſſio, fructuum perceptio, amplius cliens perturbari, ejuſque fruitio interverti non poteſt.

At ſi non coram Paribus Curiæ, ipſe dominus Titio rem aliquam feudi nomine poſſidere, & nanciſci permiſerit, dum Titius vivit, quaſi feudi nomine retinet, poſt mortem, ejus heres non ſuccedit *princ. h. t. Sciendum eſt feudum ſine inveſtitura nullo modo conſtitui poſſe, etiamſi domino jubente, quis alicujus rei nomine feudi poſſeſſionem nanciſcatur, & teneat: licet tamen poſſeſſionem taliter adeptam, dum vixerit, quaſi feudi nomine retinere: herede ejus in hoc jure nullo modo ei ſuccedente.* Etenim verum feudum non naſcitur, cum inveſtitura non præceſſit, quæ neceſſario coram Paribus Curiæ fieri debet, qui ſi abſunt, expectandi ſunt, ſi nimis non abſint, modo de novi feudi inveſtitura agatur; in veteris beneficii renovatione etiam extranei intereſſe poſſunt, aut in novo, ſi Dominus Pares non habeat. Unde conſtat diſcrimen, cur ſi dominus coram curiæ Paribus dixerit, vade in poſſeſſionem illius feudi, rectum feudum conſtituatur, quia eſt vera inveſtitura. Sed dum Pares non ſunt, erigitur feudum, in quo poſſeſſoris heres non ſuccedit, quum hic heres inveſtituram, quæ nunquam fuit, renovare non poſſit. Et dum heres inveſtituræ renovationem petit, petenti ſenior recte negat, quia primam inveſtituram defuncto non fecit, & ſine inveſtitura feudum intelligi non poteſt, Gudelin. *par.* II. *c.* 5. *n.* 2., Voet *libro* 38. *D. digr. de feud. n.*34. niſi xxx. an. uti feudum poſſederit, & ſervitium domino exhibuerit II. *f.* 26. §. *ſi quis*, II. *f.* 2., II. *f.* 31., II. *f.* 58. §. *idcirco*, Joan. Blancus *de feud. lib.* I. *cap.* 3. *n.* 5. & 12., Gudelin. *de feud. par.* II. *c.* 5. *n.* 2. & *ſeqq.*, Struvi. *ſ. j. f. cap.* VIII. 3. Excipit recte Andr. *hic n.* 3. *in fin.* Imperatorem, & quemlibet Principem ſupremum, qui ſine inveſtitura infeudare valent, cum quiſque ſuæ donationi obniti prohibeatur.

Noſtrum textum P. Ludewig. *lib.* II. *feud. opuſc.* 2. *differ.* 9. (*dd*) cum II. *f.* 33. pugnare credit; in noſtro textu ſola inveſtitura uti modus adquirendi feudum exprimitur; textus in *d.* II. *f.* 33. ſucceſſionem addit. Et reſpondet, *d.* I. *f.* 25. primæ feudorum origini conſentire, cum olim feuda ſimul cum vaſallo deſinerent, nec eorum filii ſuccederent. Ex quo autem feuda non perſonæ, ſed genti, poſteriſque vaſalli concedi cepiſſent, tunc præter inveſtituram, alius titulus, nempe ſucceſſio obtinuit. Fateor ſerius ſucceſſionem obtinuiſſe, ſed nunquam verus adquirendi modus conſen-

fendus est, quia verus successor non de novo, sed, ut in investitura vocatus, succedit, sicut *lib.* 11. *tit.* 15. §.35. ostendi. Moribus tamen Porussicis in feudo antiquo investiturae renovatio non requiritur, sed successor, tanquam suus heres jure Romano, statim succedit, nec acquirere, sed habere dicitur, Ludowig. *loc.cit.*, & liberi possessionem continuant. Jure enim civili, cui feudale consensit, & mutuat, possessio, quae est quid facti, in liberos non transit, nisi apprehendatur, nec solo animo, nec solo corpore opus est, sed utroque indigemus. Nec in omnes feudi partes pedem ponere oportet, sed aliquam ingredi partem, animo totum apprehendendi, & adquirendi, ut explosa subtilitate, placuit, *l.* 3. §. 1. *D. de adquir. pos.* Hinc si agitur de successione Comitatus, Ducatus, Baroniae, quae plures pagos, fundos, castella comprehendit, unumque feudum constituunt, aliquam ex his partem occupare, videlicet oppidum sufficit, ut possessio ducatus adquisita dicatur, quin omnia apprehendantur, *ut lib.* 11. *tit.* 15. §. 37. quicquid sensiat Duaren. *ad d. l.* 3., qui feudum dicit, unum dicit, plura continens.

§. LVI.

De Seniore Laico, & Clerico.

Peracta investitura senior, ejusque heres tenetur vasallum in feudi possessionem immittere, nec id quod interest praestando liberatur. Excipit feudista *in* §. *ult. h. t. Sed si dominus, qui investivit, forte sit clericus, & contingerit & ante moriatur, quam vasallus possessionem feudi nancisceretur, exinanitur feudum quod generaliter in omnibus clericis, qui feudum dant, abservatur &* 1. *f.* 9. Clericus, qui de rebus ecclesiae investituram Titio facit, & moriatur, antequam Titius feudi possessionem adipiscatur, ejus successor eam implere non cogitur. Si tamen, vivente clerico investitore, feudum quod alius tenebat, apertum fuerit, tunc ipse, ejusve successor ratihabere tenetur. Quod & *expectativam* vocamus, quae semper sub conditione faciunda, si ille qui possidet, sine herede legitimo decedat, ut ad *d.* 1. *f.* 9. satis enodatum est.

§. LVII.

De Moribus.

In aetate Barbarorum, nulla rei traditio, concessio, utilis, vel directi dominii translatio fiebat, nisi investituram, praecipue in

in feudis, adhibuissent. Hodie vero clientelaris concessio, nihil nisi Principis, cui solum infeudandi jus competit, privilegium, seu instrumentum concessionis requirit, cum hodie in Europa Archiva omnes regales concessiones, donationes, pacta, & scripturas aut cum privatis, Republica, vel Principibus celebratas conservent. Nec paribus Curiæ, nec vexillo, ense, aliove simbolo opus est, si feuda Imperii, ut libro II. dicam, excipias.

In Regno Neapolitano, sub Nortmannis & Svevis Symbola, videlicet vexilla, vel ensem intervenisse, etsi raro, non suspicor. Sed Generalis regula jubebat, Comitatus, & Baronias, prima regalium titulorum nomina adquiri sine Regis privilegio non posse. Fridericus II. in Const. *dignum lib.* III. 4. sanxit, ut quilibet qui regium domanium, hoc est civitates, villas, castra, munitiones, casalia, & similia possideat, nisi privilegium Culielmi I. & II., vel suum ostendat, statim restituere teneatur, secus quadruplum fructuum cum re Regali Curiæ persolvat. Raro in privilegiis Nortmannicæ, & Svevicæ familiæ reperitur verbum *investimus*. Sed Carolus I. cepit adhibere formulam, *investimus te per nostrum annulum*. Nec si Baro partem suæ Baroniæ subinfeudare assensu Regis velit, aut paribus Curiæ, aut investitura indiget, sed brevi testato, hoc est, publico instrumento, ac si quemlibet contractum celebraret. Afflictus *hic n.* 4. *&* 5. recte: *Sed juxta hoc quero, utrum donatio bonorum feudalium facta a Rege alicui nobili de necessitate debeat probari per privilegium Regis sigillatam, vel sufficiat probari per testes desponentes de veritate, & confessione Regis dicentis se donasse? Respondeo in donatione bonorum feudalium, quæ fit a Barone, vel inferiore a Rege, sufficit probare per ejus privilegium, vel per testes pares, vel alio legitimo modo; quia probatio non est angustanda, ut supra dictum est. Sed in donatione feudorum quaternatorum, quæ fit a Rege alicui nobili præsupponit hic Andreas, quod privilegium sit de substantia donationes, vel substantia probationis, propterea dico quod privilegium est die substantia donationis, & gratiæ*. Et ex d. Const. *dignum*, & Const. si *dubitatio* constat, quæ Regis privilegium requirunt, quo jure utimur.

TITULUS XXVI.

Si de investitura inter Dominum, & vasallum lis oriatur.

NUper dictum est, quomodo investitura feudum constituatur; sed sæpius de investitura controversiæ seniorem inter, & vasallum oriri possunt, de his nunc agit. §.LVIII.

§. LVIII.

De probatione feudi secularis.

Et plura comprehendit, videlicet probationum species, testium qualitates, coactionem, & modum probandi describit, & repetit, quod 1. *f.* 4. declaravit. *Si inter dominum, & vasallum lis oriatur de investitura feudi, domino scilicet investituram se fecisse negante: si testibus res probari non poterit, possessoris sacramento res decidatur. Idem & in eorum successoribus observatur. Si vero testes interfuerint, & eos vasallus ad testimonium vocaverit eorum testimonio, cum sacramento credatur. Testes vero sunt pares ejus, & qui ab eodem domino feudum teneant; qui si tempore investitionis absfuerint, etiam extranei sunt recipiendi, qui etiam si veritatem celare voluerint, forte amore, vel pretio, vel alia qualibet ex caussa, a Comite, vel a populo jurare compellantur, quod ex ea caussa falsitatem non dicant, nec vera scientes tacebunt.*

Si de investitura Dominus, & vasallus contendent: Dominus investituram se egisse negat; vasallus feudum possideat, sed investitum se paribus Curiæ, vel brevi testato probare non potest; contentio dirimenda est, si vasallus cum XII. sacramentalibus jurat. Nam possessio, non quælibet, verum annalis, sciente domino, justum titulum præsumit, 1. *f.* 4. §. 1., 1. *f.* 23., II. *f.* 33. §. *sacramentum*. Eadem probatione utimur, si Dominus contra vasalli successorem, vel successor Domini contra ipsum vasallum, ejusve heredem ageret; cum jus probandi per sacramentum ad heredes transeat II. *f.* 58. §. *cum datur l.* 143. *D. de R. J.* Si autem vasallus possessor investituram testibus, hoc est Curiæ paribus probare potest, pares veritatem jurejurando deponere debent, nec vasallus jurare cogitur. Qui pares, si odio, amore, vel præmio testari nolunt, vasallo auctoritate Comitis ad veritatem dicendam compellere conceditur. In textu occurrit, *a Comite vel populo jure compellantur*, recte Cujac., Hotoman., & Baro *vel præposito* legunt. Comes erat Judex ordinarius, Præpositus ejus vicarius, seu missus, *lib.* I. *LL. Long. tit.* 25. *l.* 79. Comes erat officialis, qui tanquam Præses juri dicundo in civitate præerat, quem Universitates Lombardiæ ex vetusta consuetudine sibi eligebant, ut sæpius apud Murenam, Radevicum, Ottonem a S. Blasio legitur, Otto Frisig. *lib.* II. *de Gest. Frid.* I. *c.* 13. de Longobardis narrat, *denique libertatem tantopere affectant, ut potestatis insolentiam fugiendo, Consulum potius, quam Imperantium regantur arbitrio. Cumque tres inter*

ter eos ordines, idest Capitaneorum, Valvasorum, & plebis esse noscantur, ad reprimendam superbiam, non de uno, sed de singulis prædicti Consules eliguntur, neve ad dominandi libidinem prorumpant, singulis pene annis variantur .... consueverunt autem singuli singula territoria, ex hac comminandi potestate, Comitatus suos appellare.

Si Comes ad veritatem compellere testes, & Pares Curiæ nolit, vasallus simul cum adversario, seu seniore Imperatorem adire potest, & sex hebdomadas ad se parandum habet. *His vero non cogentibus eos, vasallus cum ipso Domino ad Imperatorem ire festinet. Si autem se venturum, vel nuncium missurum vasallus promittat: ex quo promiserit, usque ad annum quiete possideat. Si vero ad Regem non venerit, vel non miserit intra annum, Domini sacramento caussa finiatur. Et si testes sacramento tam dicto præstito se non interfuisse dixerint, domini sacramento quæstio terminetur. Hæc omnia etiam in clericorum personis locum habent: præterquam quod de personis testium dictum est. In clericorum feudo pariter accipiuntur pares, & extranei: hoc ideo quia cum clerici quosdam de feudo investiunt, sæpe absconte, & sine præsentia suorum confratrum hoc facere student*, quia quod Principi placet, legis habet vigorem. Aliter est, si vasallus se iturum, vel alterum suo nomine ad Imperatoris aulam missurum promittat, tunc integro anno possidere poterit, hoc est ultra illas sex hebdomadas annum, & ex caussa biennium ad prosequendam appellationem habeat, & interim quiete feudo utitur, fruitur. Idque propter magnam loci distantiam, cum ex Italia ad Alemanniam ire teneatur. Proinde brevius spatium concedi suspicor, si Imperator in Italia moraretur. Quod si nec intra annum vasallus iverit, caussa jurejurando senioris dirimitur, sicut & eodem jurejurando senioris, si testes investituræ se non interfuisse dixerint, quæstio finitur §. *si vero h. t.*, nam parte absente, & contumace ad definitivam sententiam jure feudali, & civili in caussis appellationis etiam ante litis contestationem procedi potest *l. ul.* §. 4. *C. de Temp. appel.*, Cujac. *IV. obs.* 32., Montan. *de feud. lib. V. c.* 6., Joan. Blanc. *de feud. lib.* IV. *c.* I. *n.* 126., P. Ravenna *hic*.

§. LIX.

De probatione feudi Ecclesiastici.

Hic probandi, & procedendi ordo etiam in clericis feuda con-

concedentibus admittitur. Exceptio tamen est in testibus, nempe si clericus de bonis suæ ecclesiæ feudum constituit, in investitura paribus Curiæ, seu convasallis suæ ecclesiæ ab eadem feuda tenentibus, & extraneis uti potest, & orta de investitura contentione etiam paribus simul cum extraneis decidere permittitur. Rationem addit *hic* feudista, *quia cum clerici quosdam de feudo investiunt, sæpe absconse & sine præsentia suorum confratum hoc facere studens*, Hotoman. *hic*, de ecclesiasticis beneficiis, quæ sacerdotia vocamus, intelligi putant, quæ furtim, & extraneis potius, quam confratribus conferuntur, ne ceteri invidia cruciarentur. Vultej. vero *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 32. *in fin.* emendare audet, nempe pro *suorum* legit *ipsorum*, & vocem *confratrum* convasallos interpretatur. Verum nec Hotomanni opinio satisfacit, nec Vultej. correctio juvat. Feudistæ enim institutum non de ecclesiasticis beneficiis agere, sed de feudis collimat, cujus mens hæc est: ideo in feudis clericorum etiam curiæ pares adhiberi possunt, quia ipsi facile ecclesiæ conditioni præjudicare valent, & proinde ecclesiæ expedit, ut extranei adhibeantur, qui contradicant, quum de capitulo confratres ob reverentiam non facile Prælato se opponunt, Rothi. *in Pand. feud. cap.* XII. *q.* 17., Scrad. *par. v. c.* 2. *n.* 9., Welenbec. *cap.* VIII. *n.* 14., Hannet. *lib.* IV. *c.* 4. Suspicor & ego olim in investituris feudi secularis, & ecclesiastici æqualiter Pares curiæ adhibitos fuisse, postea ob fraudes, usurpationem, deteriorem ecclesiæ conditionem, a Prælatis actam, extraneos admiscere invaluit, ut lexior eorum vita, & dolus non ipsis tantum, sed aliis innotesceret, & facilius evitarentur.

§. LX.

De electione probandi.

Altera contentionis species *in* §. *si quis se b. t.*: *Si quis se, vel patrem suum ab aliquo defuncto, vel patre ejus de feudo, investitum esse contenderit: nisi per duos pares de domo ipsius domini probaverit, quod intendit: vel etiam cum pares absunt, per alios idoneos duos testes: tunc in electione domini est, utrum velit jurare cum duodecim sacramentalibus, illum, qui feudum quærit, per se, vel per patrem ejus, si de hoc quæratur, de ipso feudo investitum non fuisse. Quod si jurare noluerit actor juret cum duodecim sacramentalibus, se vel patrem suum investitum fuisse. Quod si jurare noluerit: qui convenitur est absolvendus. Secundum enim morem*

morem Mediolanensium hæc sacramenta præstanda sunt, tam a filiis actoris, vel rei, quam ab ipsis principalibus personis. Si autem aliquis in possessione feudi sit, de quo dominus dicit eum investitum non fuisse: tunc sine probatione ulla testium debet solus jurare, se, vel patrem suum fuisse investitum. Hæc autem sunt ita tenenda, si per unum annum sciente domino, & non contradicente in possessione feudi permansit. Alioqui justa ignorantia, vel parvi temporis negligentia cum iniquæ possessionis perjurio quandoque domino in possessione damnum afferat. Vasallus contra seniorem clientelam possidentem agit, & de ea patrem suum fuisse investitum asserit; suam actionem duobus curiæ paribus, si senior Pares habet, aut duobus saltem extraneis testibus probare debet, & vincet. Si in his probationibus deficiat, senior jurare tenetur se nunquam, aut majores suos Patrem vasalli, vel ipsum vasallum investivisse, & si jurare nolit, vasallo jusjurandum deferre potest, & vasallus cum XII. sacramentalibus jurabit. Si autem nec senior, nec vasallus jurare velint, *qui convenitur*, hoc est senior, *est absolvendus*, cum ipse possideat. Quod si vasallus possideat, & anno sciente domino, & non contradicente in possessione fuit; credendum vasallo, qui se, vel ejus patrem fuisse investitum de feudo contentioso jurabit, & vincet.

Ex hac litis specie (1) constat, inopia probationum etiam testes extraneos ad investituræ probationem sufficere, qui duo esse debent, ut in omni caussa jure civili, & feudali placuit (2) actore non probante, non semper jure feudali reus absolvitur, sed si actor aliquid adducit, quod judicis animum moveat, judex reum absolvere non debet, nisi reus sacramento se purgaverit. Erit tamen in rei seu senioris electione, vel ipsum jurare, aut velle, ut vasallus juret. Hanc electionem Dominus intra tempus a judice statutum habet, quo elapso, si non juraverit, vasallus ad jurandum admittitur, Glos. *hic v. quid si jurare*, Alver. *hic n.* 4. Hoc jusjurandum sacramentales, seu conjuratores præstant ex ascendentibus, aut cognatis ejus electi, qui est juraturus, & jurabant non se scire, sed credere verum esse, quod vasallus juravit; recte enim cognati adhibebantur, quia facilius investituræ antiquitatem, pacta, conditiones, modum successionis callere poterant, II. *f.* 33. ibi dicam, Andr. *in* I. *f.* 10. *n.* 7. Montan. *de feud. lib. v. c.* 5., Sonsbec. *par. xv. n.* 28., Gudelin. *par. vI. c.* 4. *n.* 3. (3) si integro anno, vasallus domino sciente, & non contradicente, possedit, quem postea senior in jus vocat, tunc sine ullis testibus cum XII. sacramentalibus jurando vincet, quum

patientia pro consensu habeatur, cujus exempla sunt in *l.* 12. *D. de evict. l.* 12. §. 8. *D. mundati.*, *l.* 60. §. 6. *D. locat.*, *l.* 3. §. *ult. D. de mort. infer.*

TITULUS XXVII.

De feudo dato in vicem legis commissoriæ reprobando.

PRosequitur controversias, quæ super feudo oriri possunt, & primo de prohibita legis commissoriæ constitutione, secundo de investitura feudi vasalli adhuc possidentis agit.

§. LXI.

De pacto commissorio in feudis.

Et primo generalis statuitur regula. *Si quis obligaverit aliquam rem pignori eo pacto, ut si statuto tempore pecunia soluta non fuisset, res esset creditoris & eam pro feudo habeat, potest debitor quandocumque pecuniam solvendo, pacto non obstante, pignus recuperare. Feudum enim non sub prætextu pecuniæ, sed amore, & honore domini adquirendum est.* Feudum non posse sub commissoria lege constitui, & si constitui contingat, debitor, soluto debito, quandocumque rem suam pignori datam, a creditore revocare velit, potest. Lex commissoria aut in emptione venditione, aut in pignore interponitur: in emptione est conventio huic contractui adjecta, hac conditione, ut si in statutam diem emptor pretium non solverit, & venditor rem vendere nolit, res inempta sit, *tot. tit. D. de lege commissor.* Et hujus legis jus est, ut si emptor quid arrhæ dederit, amittat. Imputandum emtori est, quominus legem contractui adjectam servavit, nec ei impune fidem fallere permittendum, *l.* 5. *&* 6. *D. h. t.* Et rem simul cum fructibus medio tempore perceptis restituat, quos venditor rei vindicatione, vel actione exempto repetit. Rei vindicatione, si legem commissoriam verbis directis conceperit, nempe res inemta sit. Actione ex empto, si verbis obliquis, ut pretio non soluto, ab emptione recedatur, *l.* 3. *&* 4. *C. de pact. int. emt. & vend.*, *l.* 4. 5. *&* 6. *D. eo.* In Pignore est conventio sub conditione, ut si ad diem pecunia soluta non fuerit, dominium rei oppignoratæ creditoris evadat. Unde lex commissoria dicitur, quia pignus creditori per hoc pactum committatur, hoc est cedat, fiat; sicut merces commissa fisco

ſco ob vectigal non ſolutum *l.* 11. §. 2. *D. de Publican.*, feudum committi, hoc eſt aperiri domino dicitur.

Diſplicet Cujacii *ad Paul.* 11. *ſent.* 13. *pr.*, Giphani. *ad l.* 3. *C. de pact. pign.* aliorumque opinio, qui legem commiſſoriam cum fiducia confundunt. Etenim *fiducia eſt, cum res aliqua ſumendæ mutuæ pecuniæ gratia vel mancipatur, vel in jure ceditur*, inquit, S. Iſid. *orig. v. c.* 25., id eſt, dum debitor rem ſuam creditori per æs, & libram mancipat, & in jure cedit, hac lege, ut debito creditori ſoluto, eadem res debitori remancipatur; ſeu revendatur; ſtatim dominium transfert, & creditor eam diſtrahere poteſt, ſed de *ſuperfluo*, ait Paul. *loc. cit.* debitori tenetur. Verum lex commiſſoria in pignore ſolam poſſeſſionem transfert; nec creditor de ſuperfluo tenetur, Schulting. ad Paul. *loc. cit.*, Noodt 11. *obſ.* 7., Hotom. *hic*. Jure veteri tam in venditione, quam pignore lex commiſſoria permittebatur; nec mirum ſi primis juris Antiſtitibus placuit, qui centeſimas, imo & graviores uſuras admittebant, & ſoluta ad diem pecunia, hoc pactum loco uſuræ cederet. Primus Conſtantinus M. *an.* 327. *in ult. C. de pact. Pignor.* tantum in pignore prohibuit, in venditione vero nihil immutavit, quia fraus ineſt, ſæpe, vexante paupertate, debitor modico ære indigens, pretioſa amittat pignora, dum æs ſibi creditum ſolvere non poteſt, & ſæneribus via aperitur *d. l. ult.*, & *cap.* VII. *de Pignor.*

Quæſitum eſt, an hæc lex commiſſoria in pignore pacto, & conſenſu contrahentium licita evadere poteſt? Ratio dubitandi fluit ex *l.* 5. *C. de legib. ibi nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente*. Ibi Wiſenbac. tenet juramento confirmari poſſe, ſicut donatio inter virum, & uxorem; quod potius jure pontificio, quam civili verum eſt *cap.* 28. *de jurejur.*, *cap.* 2. *de pactis*. Ego, inquam, ſi debitor huic pacto, defatigante eum paupertate, conſenſit, ſervari non debet, quia conſentire proprie non videtur, qui coacte, neceſſitate, & vi conſenſit; quod & æquitas, & boni viri honeſtas ſuadet, conſ. Giphan. *loc. cit.*, Wiſenbac. *ad tit. D. de lege commiſ.* Apud Danos ſervabatur, de quibus Alber. Krantz. *lib. X. Saxon. c.* 26. *Damna Danis irrogata ad undecim aureorum millia ſunt taxata: in cujus ſolvendæ ſummæ pignus, Oppidum Flensborg, cum vicina Novadomo, quod præſidium Nicolaus Comes firmavit, deponeretur: niſi intra annum pecunia ſolveretur, res caderet in commiſſum, nec poſſet in reliquum lui. Valebat apud Danos pactum legis commiſſoriæ tam in pignoribus, contra juris prohibitionem, quam in emtione*. Hæc conventio

contigit, quia Dani Holsatii plura damna & vicissim intulerunt.

Feudista legem commissoriam idcirco in feudis improbat, quia *feudum non sub prætextu pecuniæ, sed amore, & honore Domini adquirendum est*. Non quia feudum pecunia adquiri non possit, sed adquiri prohibetur, eo contractu, quem lex reprobat, uti lex commissoria existimatur. Feudum enim emtitium est verum feudum I. *f.* 16., I. *f.* 20., II. *f.* 15., quamvis communis Interpretem Academia reclamet, quæ improprium esse contendit. Principium, & caussa efficiens feudi constituendi, me fatente, amor, & benevolentia dantis erga vasallum, & vicissim honor, & reverentia vasalli erga dantem, non pecunia esse debet. Nihil tamen refragatur, si modus sit a pecunia, & principium ab amore, & benevolentia descendat; hinc feudista in *hoc tit.* non ipsam feudi emptionem, sed modum emendi a jure repulsum interdicit. Dum senior feudum constituit, vasallo exhibet benevolentiam, quia utilitas a vasallo percipienda, major quam pecunia data, & servitia inde præstanda, censetur; quum honorem, non raro nobilitatem, aliave adquirat. Quemadmodum depositum est contractus gratuitus, & tamen si pecunia, vel mercedula intervenit, gratuitus esse non desinit; feudo hæc pecunia non tanquam pretium, sed uti honorarium accedit. Præsertim hodie, cum moribus Europæ omnia propemodum feuda emantur, & in eorum controversiis legibus de veris clientelis loquentibus dirimi valent. Si est verum feudum, in eo femina non succedit, nec ab eo legitimam, petere potest. Finge pater majoris suorum bonorum partis pecunia feudum emit, filia dote contenta a feudo excluditur. Legitima est portio quæ ab intestato debetur: filia patri in feudo emto non succedit, igitur ei legitima non competit. Nec in collationem venit, quia ea bona conferuntur, quæ, vivo patre adquisita sunt; feudum adquiritur filio post patris mortem, igitur collationi non subjacet; sed omnes veri feudi qualitates retinet, & conservat. Rothius *in pand. feud. cap.* II. *q.* 20. & *cap.* IV. *q.* 14. Sonsbec. *par.* II. *n.* 7. & 8.

§. LXII.

De investitura vetanda.

In secunda hujus tituli parte aliam constituendæ clientelæ rationem improbat, nempe investituram feudi, quod suus vasallus adhuc possidet, alteri factam, de qua Italia feudalis dissentiebat. Placentinis placuit; quod si quis sui vasalli adhuc viventis, & possi-

possidentis feudum alteri concedere vellet, investitura corrueret, nisi vasallus possessor consensiat. Ratio est votum captandæ mortis. Mediolanensibus vero, & Cremonensibus aliter videbatur, „nec referre, *utrum eo sciente, vel ignorante, dummodo eo vivente, nullum detrimentum de feudo suo sibi contingat. . Hoc autem dicendum est, de eo milite, qui feudi successores non habet*, *h. t.* Alverotus utramque opinionem componit. Prima opinio vera est, quoties investitura pure agatur; secunda, quoties sub conditione, vel ad diem fiat. Utrumque legibus Romanis displicuit, quæ de futura hereditate pacisci, eo ignorante, & nolente, adhuc viventis vetarunt, *l. ult. C. de pact.* Aliam viam init Jac. a S. Georg. §. *investivit talem n.* 12., ut jus feudale cum romano consentiret; veram esse Mediolanensium sententiam, si certa persona, & feudum non perhibetur, nempe *investio te de primo feudo, quod mihi domino aperietur*, atque ratio *d. l. ult.* cessat. Veram Placentinorum opinionem, si Senior certam personam denominat.

Fateor in his semper votum captandæ mortis abscondi, verum, lege permittente, ex illicito licitum evadere quid potest. Sic Imp. in *d. l. ult.* sanxit, pactum de viventis hereditate valere, si fiat consensu ejus, de cujus hereditate agitur. Hinc donatio, substitutio, fideicommissum, legata valent, etsi testator in mortis eventum, sicut hanc investituræ speciem senior conferat. Nam investitura tacite, vel expresse conditionem continet, si mihi morte naturali, vel civili possessoris vasalli feudum aperiatur; nihil impedit, quominus ego de clientela ad me devolvenda disponam. Prælertim cum hic agatur de re, in qua paciscens aliquid juris vindicat. Jus civile illud proprie pactum improbat, in quo paciscens nullum jus habet. Nec refert, an feudi possessor sciat, an ignoret, modo sine legitimis heredibus decedat, Pistor *lib.* 11. *q.* 25., Vultej. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 67.

T I T U L U S XXVIII.

De usu mediolanensium secundum quosdam.

ANdreas, Alverotus, & Ravenna hunc titulum a superiori non separant; sed Glossographus distinxit. Controversiam includit; cujus hæc est species. *Quidam obligaverat terram quandam suo militi; deinde cum filius sui domini longum post tempus pecuniam offerendo pignus liberare voluisset: Filius militis contendebat patrem suum a domino suo defuncto de prædicto pignore investitionem feudi acce-*

accepisse. Unde viri prudentes mediolanenses interrogati laudaverunt in electione filii militis esse cum XII. *Sacramentalibus jurare, patrem suum, vel se vel domino suo per investituram prædictam terram tenuisse: ita ut per* XXX. *annos contestatio pignoris a parte domini adversus ipsum, vel patrem suum facta non fuisset. Si autem ipse jurare noluerit, filius defuncti domini necesse habet jurare cum duodecim sacramentalibus, defunctum militem inde per feudum investitum non fuisse. Quod si ita jurare recuset investire ipse filium militis domini filius de jam dicta terra per feudum debet.* Quidam mutuo pecuniam a suo vasallo, vel ab extraneo accepit, eique ob debiti securitatem quandam obligavit terram. Creditor terram jure pignoris sibi datam xxx. an. tanquam feudum possedit, servitia præstitit, & debitor ea recepit. Creditor, & debitor fato cedunt. Filius debitoris, hoc est domini vult solvere pecuniam, & pignus repetere curat; filius creditoris investituræ renovationem petit; & ejus patrem a debitore investitum fuisse asserit.

In hac contentione Sapientes Mediolanenses, inter quos Obertus, & Gerardus consulti responderunt, creditoris filium ad jusjurandum cogi, qui simul cum XII. sacramentalibus, patrem suum, *& re*, ut Hotom. legit, a domino investituram accepisse, eamque XXX., quin *pignoris contestatio*, hoc est interruptio præscriptionis facta esset, annis possedisse, jurabit. Si jurare noluerit, quæstio jurejurando senioris etiam cum XII. sacrament. dirimitur. Si nec dominus, nec vasallus jurare voluerint, filius debitoris domini filium creditoris de hujusmodi feudo investire cogitur. Ratio sapientum fuit præscriptio tricennalis, qua terram, seu rem illam creditor uti vasallus possedit, & servitia præstitit, II. *f.* 26. §. *si quis per triginta*. Attamen jurare cum XII. sacrament. tenetur, quia titulum pignoris præcessisse constabat. Hic tacitus senioris consensus, & servitiorum præstatio titulum pignoris in clientelam immutasse præsumitur. Si enim de pignoris titulo non constaret, & xxx. annis tanquam vasallus possedisse, jurare non cogeretur. Sæpius tricennali possessione opus non est, sed annali dumtaxat; videlicet si vasallus aliquid de sua investitura probaverit, tunc simplici jurejurando contra Seniorem vincet I. *f.* 26. I. *f.* 23.

Præ-

Prælectiones in duos libros Consuetudinum feudalium.

LIBER II.

TITULUS I.

De feudi recognitione.

INgreditur Feudista in librum II. Oberti mediolanensis Consulis auctoritate, qui sub Friderico I. fatis in clientelaribus caussis peritus vixit. Et cum in Italia ob Barbarorum irruptiones, variasque nationum mutationes, Civitates, oppida, provinciæ diversis juribus parerent. Idcirco Anselmus Obertum patrem rogavit, quibusnam juribus feudorum controversiæ dirimi possent? Pater, edito de beneficiis opusculo, filium instruere cæpit; & primo generalem statuit regulam, omnes in Italia caussas, aut jure Romano, aut Longobardo, aut locorum moribus decidi: postea specialem tradit, nempe caussas feudales tantum consuetudinibus finiri, quæ si deficiunt, jure scripto vivere non dedignamur. Atque tanta erat tunc morum copia, & diversitas, ut Obertus pater, nec breviter, nec uno libello comprehendi posse fateatur. In ea enim ætate, jus Justinianeum, præsertim in Ravennæ exarcatu; jus Longobardicum, Ripuarium, & nonnulla ex lege Salica, aliisque populis in Italia olim dominantibus servabantur. Ex quibus hodie tot statuta videmus, Murator. *dissert.* XXII.

§. I.

De Rerum divisione.

Pergit & instruere; quomodo ex his diversis locorum consuetudinibus dignosci posset, an feuda, an alode sint? Et declarat, omnem clientelarum speciem, non nisi in rebus immobilibus, vel quæ pro immobilibus habentur, consistere, & constitui. Nec aliter, quam investitura, & successione adquiri statuit, §. *sciendum h. t.* Summa enim rerum omnium divisio est, in corporales, & incorporales: corporales in mobiles, & immobiles, & se moventes. Res corporalis mobilis, quæ naturæ viribus de uno loco ad alium

alium ab extrinseco moveri potest; atque etiam omnes res fungibiles comprehendit, quæ pondere, & mensura constant. Quamvis res fungibilis rebus corporalibus se opponet, quia non uti corpus, sed uti quantitas consideratur *l.* 30. *D. de legat.* 1. *l.* 94. §. 1. *D. de solution.* E contra corpus tunc dicitur, cum non penderis, aut numeri, vel mensuræ ratio perpenditur, *l.* 108. §. 10. *D. de leg. t.* 1. *l.* 1. §. 7. *D. de dote prelegata*. Corporalis immobilis, quæ citra sui corruptionem naturaliter de uno loco ad alium transferri nequit. Atque hæc duplex est, vel natura, vel facto hominis talis: natura, ut fundus, civitas, oppidum, pagus, territorium, provincia, regnum, metallifodinæ: facto hominis, ut servus glebæ, tormenta bellica, fructus pendentes, granaria, ædificia, arundineta, salicta *l.* 18. *D. de act. empt. l.* 12. §. 1. *& seqq. D. de instrum. instr.*, & omnia, quæ solo inhærent, ibique posita, ut perpetuo manerent, & ad usum ejusdem fundi, civitatis, aut castri destinata essent; etsi natura loco moveri possent, *arg. l.* 13. §. *ult. D. de act. empt.* Res corporalis se movens est, quæ ab intrinseco movetur, ut servus, jumentum. Res incorporalis, quæ nec videri, nec tangi potest, sed intellectu percipitur, ut quæ in jure consistunt, nempe hereditas, possessio, jurisdictio, Gudelin. *de iure feud. par.* II. *c.* 3. *n.* 5., Vultej. *lib.* I. *c.* 5. *n.* 1., Sonsbec. *pàr.* VIII. *n.* 1.

Ex his intelligitur, in quibusnam rebus feudum consistat? Et Obertus docet, *sciendum est autem, feudum, sive beneficium, non nisi in rebus soli aut solo cohærentibus, aut iis, quæ inter immobilia connumerantur (veluti cum de camera, aut de cavena feudum datur) posse consistere; ac feudum neminem posse acquirere, nisi investitura, aut successione*, hoc est in tribus rerum speciebus, in re immobili, in re solo cohærente, & in re, quæ immobilium vicem occupat. Solum est propria JCtorum vox, Seneca *lib.* II. QQ. *Natur. c.* 1. *Tertia illa pars de agris, terris, arbustis, satis quærit, & ut Jurisconsultorum verbo utar, de omnibus quæ solo continentur* JCtis res soli, sunt res immobiles, *l.* 1. §. 1. *D. de R. V.*, *l.* 7. §. 1. *D. de usufr.* Rectius Anselmum suum instruxisset, si generaliter dixisset, & in omni re, ex qua fructus percipitur, sive quotannis, sive menstruo, aut bimestri tempore proveniat, Zasi. *par.* IV. *n.* 12. Et primo in rebus immobilibus, uti territorium, civitas, castrum, oppidum, prædium, unde Ducatus, Comitatus, Marchionatus eriguntur. His res cohærentes accedunt, jura omnia, & quæ perpetui usus gratia sunt, nisi investiens exceperit; nempe fructus, servitutes, venatio, piscatio, equi, boves, vaccæ, oves, prata, nemora, herbæ, vineæ, flumina, molendina. Præsertim si investitura fuerit

fuerit *cum pertinentiis*, quarum nomen omnia comprehendit, quæ vel ſtatuto, vel lege, vel conſuetudine, vel hominis voluntate, aut uſu deſtinata ſunt, ut accedant, cum ſine his, res principalis ſtare vix poſſet, Scrad. *par.* III. *c.* 2. *&* 4., Intrigl. *cent.* II. *q.* 78., P. de Greg. *de conceſ. feud. part.* VII. *q.* I., Jac. a S. Georg. §. *ibi fluminibus*, Buddingh *diſſert. de orig. & natur. contract. feud.* §. 42.

In rebus quoque ſolo cohærentibus: res ſolo cohærere dicitur, quoties rei fixæ, & immobili ita accedit, ut quaſi pars ejus ſit, & ſaltem non utiliter ab ea divelli poteſt. Ut fructus pendentes, ædificia, iiſque annexa, ut puteal, labra, canales, fiſtulæ, tabulæ pictæ, & generaliter ſcribit Labeo, *ea, quæ perpetui uſus cauſſa in ædificiis ſunt, ædificii eſſe: quæ vero ad præſens, nec eſſe ædificii, ut puta fiſtulæ temporis quidem cauſſa poſitæ, non ſunt ædium: verumtamen ſi perpetuo fuerint poſitæ, ædium ſunt l.* 17. §. 7. *D. de Act. emp.* Fructus pendentes recte in feudum dantur, quia ſunt pars fundi *l.* 44. *D. de R. V.* Quæ immobilibus adhærent, ſunt etiam immobilia, ſicut quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt, *l.* 43. *D. de R. V.* Servitutes, ſive urbanæ, ſive ruſticæ, videlicet, ſi ipſum prædium in feudum datur, cui ſervitus annexa eſt, & debetur, cum ſervitus ſit qualitas, quæ ſine prædio ſtare nequit, *arg. l.* I. *D. commun. divid.* Uſusfructus, vectigal, juriſdictio, arbores, ſylvæ, etiam detracto ſolo, infeudari valent. Non quia juriſdictio prædiis uti gleba jure inhæreat, ſed quia moribus Europæ in commercium redigi, conjuncta prædio, ab eoque ſeparata conſiderari cæpit, Scrad. *par.* III. *c.* 2. *n.* 54., Montan. *de feud. lib.* II. *c.* 3., Roth. *in pand. feud. cap.* VIII. *q.* 17. 19. *&* 27., Cujac. II. *f.* 2.

Denique in rebus, quæ inter immobilia recenſentur, feudum conſiſtit: ut ſunt jura piſcandi, venandi, aucupandi, paſcendi, ligna incidendi, juriſdictione utendi, vectigalia colligendi, aut imponendi, reditus dohanæ, jus pedagii, annuus canon ex agris emphyteuticis, penſio ex hereditariis dignitatibus, laudimia, jus percipiendi cenſum ſive redimibilem, ſive non redimibilem, decima laicalis, annui reditus ad longum tempus debiti, aut in perpetuum; nam ad modicum tempus etſi ex re immobili profecti, mobiles tamen ſunt. Etenim ſi reditus eſt realis, ſeu prædiis impoſitus, immobilis cenſetur, quemadmodum *civilis annona*, ideſt panem publicum ex domibus percipiendi facultas placeat, *tit. C. de ann. civil.*, Lipſius I. *elect.* 8. Hic panis cuique tribui deſtinatus, cuique domui aſſignatus, & emtorem domus ſequebatur. Hinc Scævola *in l.* 35. *D. de legat.* 3. dixit *emere tribum*, hoc eſt inſeri

numero civium, & jus publica percipiendi alimenta consequi. Nec quilibet hoc jure fruebatur, sed qui in tabulis publicis incisus erat. Commoda tribus erant frumentum, oleum, caro, prolixe Jos. Averan. *lib.* II. *Interpr. c.* 19. Cujac. *ad l.* 39. §. *fructus D. de leg.* 2. Sic de Annuis reditibus extat infeudatio in Gestis Balduini Archiepiscopi Trevirensis *lib.* III. *c.* 5. *apud Reuberum Scriptor. veter. to.* 2. *Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quarto Smydeburch & partem Neurenburg ligia, & aperibilia fecit, & Comitem de Hennenberch* XLI. *marcarum argenti annuorum redditum feudalem statuit, quos reditus Ecclesiæ Trevirensi in qua terra assignavit.*

Verum nulla infeudationum consuetudo frequentior in media ætate occurrit, quam illorum jurium, quæ *regalia* vocamus, & Fridericus *in* II. *f.* 56. recenset. Eaque, nec solum Imperatores, & supremi in suis ditionibus Principes; sed & Comites, Duces, Marchiones quodam usurpationis impetu a corona summi Imperantis evellentes possidebant, suisque vasallis jure feudi concedebant, Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* I. *c.* I. *n.* 5., Vultej. *lib.* I. *c.* 5. *n.* 6., Scrad. *par.* IV. *c.* I. *n.* 9., P. Ludewig. *lib.* II. *feud. opusc. c.* 2. *differ.* 13., Hannet. *lib.* I. *c.* 4. Hæc tamen Regalium infeudatio non valet, si Reipublicæ noceat, nisi Respublica consensiat; *quare videmus a pluribus populis irritas habitas ut alienationes, ita infeudationes regnorum quas populis inconsultis Reges fecerant. Populum autem consensisse intelligimus, sive totus. coit, quod olim apud Germanos, & Gallos fieri solebat, sive per legatos, partium integrantium mandatu sufficiente instructos*, inquit Grotius *de jure Bel. & pag. lib.* II. *c.* 6. *n.* 9.

§. II.
De feudo cameræ, & cavenæ.

Obertus duo exempla feudi, quod in rebus inter immobilia numeratis consistit, refert, *cameræ* videlicet, & *cavenæ*. Feudum cameræ est dum Princeps ex camera, seu suo ærario certos reditus quotannis solvendos sub conditione fidelitatis, & servitii alicui concedit; vocatur & feudum *Bursæ*, Henric. a Lochteren Stakebrant. Gelrus *differt. de feudis impropr.* §. 7., Rothi. *loc. cit. cap.* IV. *q.* 57. Ejus proprietas est, ut ad heredes accipientis non transeat, quia est personale. At an ad heredes dantis? placet transire, quia heres factum defuncti servare tenetur, Thom. de Marin. *de Gener. feud. tit.* 24. *n.* 14. Successor tamen vasalli fructus integri anni percipiet, quo vasallus obiit, etiamsi initio anni decessisset. Exem-

Exemplo legati annui reditus, quod hujusmodi feudo satis comparatur *l.* 12. *D. de ann. leg. l.* 4. *D. de offic. assef.*, Joan. Blancus *lib.* III. *c.* 3. *n.* 7. Perit, seu suspenditur, si camera Principis inopia laborat; tunc vasallus expectare debet, donec solvendo sufficiat. Et quantitatem præteritam non solutam etiam repetere valet *l.* 17. §. 1. *D. de ann. leg.* II. *f.* 58. Secus si Princeps, vel Comes generaliter, non destinato loco, ex suis proventibus feudum constituisset. Si in una reditus parte sterilitas, & in altera ubertas contigerit, vasallus expectare non cogitur, Scrad. *par.* II. *c.* 3. *n.* 87., Roth. *loc. cit. q.* 58., Alver. *in* II. *f.* 58. Denique nascitur & hoc feudum, si senior tribus vicibus alicui tanquam suo vasallo certam pecuniæ, aliusve rei fungibilis quantitatem ex Camera solverit, II. *f.* 2. §. *si vero vasallus*, Sonsbec. *par.* IV. *n.* 36.

Exemplum præstat Nicol. Episcopus Brotoniensis, relatione de itinere Italico Henrici VII. Imp. ad Clementem V. Papam. *In eodem loco in castro imperiali Dominus dedit Domino Henrico Flandriæ, suo Marescallo, Civitatem Laudonem, cum comitatu, & si non valeret decem millia florenarum in redditibus valebat, quod in locis propinquioribus ut eidem assignarentur, usque ad decem millia florenorum & fecit eum Comitem Laudensen. Ibidem Comiti de Foresio dedit castrum de Succino in Lumbardia, & quatuor millia florenorum magis prope castrum assignandorum, si prædictum castrum non valeret: ibidem omnibus militibus Citramontanis non Identonicis inter duo millia florenorum & trecentos. Ista fuerunt extrema, quia nullus habuit plusquam duo millia, & nullus minus quam trecentos. Dedit hujusmodi feudum secundum conditiones eorum. De hujusmodi feudis prædictis & Comites & alii tenebantur facere servitia imperio secundum modum, & formam, quam facint illi, quia habent feoda talia in Regno licet eis modus, & forma gravis & dura videatur aliquibus, & pluribus assignavit eis in illis partibus castra & circa castra magis prope summam datam. Et quia non tot erant castra in sua obedientia, sicut milites, eis assigaavit de sua CAMERA recipere annuatim, donec in Italia in aliquibus locos certis eis prædicta assignasset. Omnibus Theutonicis militibus, paucis exceptis, in Alemannia in suis partibus alias terras in feoda assignavit secundum conditiones, & merita personarum.*

Aliud exemplum occurrit in Regesto Regni Neapolitani sub Roberto an. MCCCXXXVI. *die* XX. VIII. *Maji* IV. *indict.* ubi Joannes Dux Duratii, Comes Gravinæ, Regni Albaniæ, & honoris Sancti Angeli Dominus testamentum condidit, tresque filios instituit heredes. Carolum primo natum in Ducatu Duratii, Regno Albaniæ,

Comitatu Gravinæ, & Dominio Montis S. Angeli, Lodoycum, & Robertum ætate minores in aliis bonis, feudis, atque reditibus consensu Regis Roberti, & præsertim *in unciis quingentis annuis quas dictus quondam dux percipiebat de nostra concessione dum viveret de pecunia generalis collecte in eisdem terris nostre Curie debita de summa provisionis annue scilicet unicarum mille, per nostram dudum celsitudinem sibi facte percipiendis, quidem per ipsos Lodoycum & Robertum de pecunia generalium collectarum debitarum nostræ Curie per homines predictarum terrarum, in quibus per ducem ipsum instituti sunt ut prefertur heredes, & si quid ex dictis quingentis unciis forsitan superesset que de ipsa fiscali pecunia percipere non valerent percipiant illud & habeant usque ad totalem summam unciarum quingentarum ipsarum super Juribus fundici, & dohane Civitates nostre Neapolis, super quibus reliquarum unciarum quingentarum de universali summa dictarum unciarum mille restancium fuit specialiter eidem Duci per nos perceptio stabilita sub illis utique conditionis adjectu quod memorati Lodoycus & Robertus tam dictas terras castra & loca, quam medietatem prescriptam annue provisionis ipsius teneant ac tenere debeant immediate, ac in capite ab eodem Carolo primogenito fratre ipsorum & legitimus ejus heres, eisque suis vicibus feudalia prestare servitia predistincta, nostro in hiis assensu, & beneplacito reservato.*

Feudum Cavenæ est, dum quis alicui quotannis in feudum ex suo cellario, penuario, vel horreo solvendum quid, vel vini, vel hordei, vel frumenti, vel fructuum sub fidelitatis, & servitiorum obligatione concedit. Cavena Longobardis idem est, quod latio cava, vel horreum, quicquid ceteris placeat. Ejusdem naturæ est cum feudo cameræ, ambo tamen impropriam naturam retinent. Differt a feudo *soldatæ*, quia feudum soldatæ gratis, & absque servitiorum obligatione alicui datur, & morte tam dantis, quam accipientis perit. Feuda cameræ, & cavenæ non dantis, sed accipientis tantum morte expirant, quia camera nunquam moritur, nisi aliter pacta & loci consuetudo reclament, II. *f.* 10., Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 25. & 26., Scrad. *par.* II. *c.* 3. *n.* 82., Zasi. *par.* IV. *n.* 5. & 6. Sic Addolphus Comes Holsatiæ ab Archiepiscopo Sifrido hujusmodi feudum accepit, inquit, Krantz. *lib.* VI. *Saxon. Metrop. c.* 49. ibi, *sed ab Archiepiscopo ducentos modios avenæ in beneficium recepit*. Et instar præbendæ assignari solet, de quo Chron. Lubecense *ad an.* 1276. de Borchardo de Sercken Episcopo Lubecensi scribit, *iste novam dignitatem in Ecclesia tua instituit, scilicet Cellerariam, de qua canonicis panes præbendales singulis*

gulis quartis feriis, & Sabbatis per Cellerarium ministrantur, pro qua assignavit singulis annis LX. mesas siliginis de decimis mensæ Episcopalis. Proinde effectus feudi cameræ, & cavenæ sunt, esse personale, & si vasallus reale esse contendat, ei incumbit probatio. Nam hæc feudi species annuos ex camera, vel cavena senioris reditus percipiendi jus vindicat, quod utile dominium dici potest. Nec vasallo competit rei vindicatio, cum ipse non possideat, sed oportet in dominum agere ab his præstationibus immunitatem asserentem, actione confessoria, quæ in aliis juribus in re incorporalibus datur. Sic etiam ex jure possessionis non verum, sed quasi. interdictum conceditur. Dominus habet condictionem caussa dati caussa non sequuta, si vasallus fidelitatem, & servitia negligat præstare. Feudum cameræ, & cavenæ præcipue datur ob palatina servitia Officialibus, in quibus maxima fides cum servitio erigitur, Boeschius *de feudis Cameræ & Cavenæ* §. 14. Intentio vel senioris, vel vasalli, paribus curiæ, vel brevi testato probanda est. Et dicam *in Institutionibus juris feudalis*.

§. III.
De feudo pecuniario.

In his itaque rebus feudum constituitur. Verum nihil impedit, quominus in re etiam mobili, aut in pecunia consistat; quamvis Longobardicis moribus id refragari videatur. Sed in media ætate, exemplo romani usufructus, omne quod in commercio erat, & ex quo fructus, vel quælibet utilitas percipi poterat, in clientelam dabatur. Hinc opinio Interpretum displicet, quæ in pecunia feudum erigi inficiatur. Narrat enim Frederic. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit. 1. c. 1. n. 7.*, se in pluribus feudalibus Germaniæ Archivis legisse, ut nummorum nomine in numerantis fidem iretur, & vasallus fidelitatem præstaret, eosque vel in annuos reditus, vel in prædia jure feudi recognoscenda convertebant. Quinque talium investiturarum exempla refert; unum seligo *an.* 1335. in quo occurrit, *Ego Warnerus dictus Rode de Altzeim Miles cupio esse notum, quod cum nobilis, & vir potens Reinaldus Comes Gelriæ, & Zutphaniæ, me suum fecerit fidelem, & vasallum, & mihi dederit, & assignaverit centum marcas Brabantinorum denariorum, tribus halleris pro denario computatis. Ego vicissim ipsi propter hoc demonstravi annuos reditus decem marcarum monetæ prædictæ in bonis meis propriis sitis in Parochia Ecclesiæ de Dorenkeim, quos quidem reditus supradictos Ego Warnerus Miles prædictus, vel mei*

mei heredes, & successores ab ipso domino Comite Gelriense, & ab heredibus, & successoribus suis Comitibus Gelriæ in feudum habebimus, & exinde sui, & suorum heredum Comitum Geldriæ fideles erimus, & perpetui vasalli, & de his debemus sicut alii fideles & vasalli Comitatus Gelriæ tenentur fideliter deservire. Alia exempla exhibet Joan. Franckensteinus *dissert. de feudo in pecunia constituto* §. I. *& seqq.* Et jure Porussiæ continuo in pecunia consistunt, P. Ludewig. *lib.* II. *feud. opusc. c.* 2. *differ.* 13. Hotom. *disput. feud. cap.* XVI.

Feudum pecuniarium erigitur, si dominus mutuo pecuniam sub usuris Mævio concedit, & Cajum de sorte investit, hac lege, pactoque, ut in fidelitatis compensationem præstandæ, & servitii deinde exhibendi, annuas usuras a Mævio percipiat. Huic conventioni directum dominium respondet, quod in sorte principali sibi reservata Dominus retinuit, & vindicat. Relucet & dominium utile, dum Cajus usuras, seu fructus civiles quotannis exigit. Adest quoque fidelitas, cui Cajus se obligavit. Aut si dominus certam pecuniæ summam apud se reservat, & tenet; finge mille marcas; postea, pacto convento, sub fidelitatis, & servitii obligatione, de iis Mævium investit, singulisque annis mille marcarum reditus ei persolvere promittit. Huic consentire videtur Feudista *in* II. *f.* 25. ibi: *ut Dominus vasallo, ejusdem æstimationis, quod erat tempore rei judicatæ, feudum restituat, vel nummos in feudum dandos numeret.* Agit de evictione. Interpretes τῶ in *feudum dandos* intelligunt, in feudum erogandos, seu convertendos in emptionem alicujus rei immobilis, vel quæ immobilium nomine veniunt, ejusdem æstimationis, cujus erat feudum evictum; quæque deinceps nomine feudi retinentur.

Verum eruditus Adam Struvius *synt. jur. feud. cap.* IV. *A.* 2. *n.* 6. ea verba de vero pecuniæ beneficio interpretatur, & declarat; evicto feudo, seniorem teneri, aut alterum feudum in re immobili consistens ejusdem æstimationis tradere, aut numerare nummos, quos., investitura interveniente, in feudum dari oportet. Et placet, Rothius *loc. cit. cap.* IV. *q.* 23. 24. *&* 25., Henric. a Lochteren Stakebrant *dissert. de feudis impropr.* §. 2., Joan. Blancus *lib.* I. *c.* 6. *n.* 6. Fateor hujusmodi pecuniaria feuda inter impropriorum classem accenseri, quia subjectum, id est res immobilis deficit, quæ vere feudalem qualitatem suscipere posset. In ceteris veram beneficii naturam imitatur. Nam vasallus investituram petit, hominium præstat, servitia exhibet, successione fruitur, mutua vasallum inter & seniorem officia relucent, sicut propriorum feudorum conditio repræsentat.

Hoc

Hoc feudum esse potest novum, antiquum, nobile, ignobile, ecclesiasticum, seculare, hereditarium, perpetuum, datum, oblatum, temporale, ligium, non ligium, masculinum, fæmininum, intra, vel extra curtem. Occasio, & primæva ejus introductio fuit senioris *liberalitas* vasalli merita remunerandi, quæ omnibus feudis originem communicavit. *Evictio* feudi, si nempe Dominus rem alienam jure beneficii vasallo dedisset, & in ejus locum, acta evictione, vel aliud feodum ejusdem pretii concederet, vel pecuniam loco illius, de qua vasallum investiebat, II. *f.* 8. & 25. *Consensus* Domini, si non aliter in feudi alienationem consentire vellet, quam ut pecunia vel pars, vel tota ex feudo redacta jure feudi teneretur. *Splendor* familiarum, qui sine divitiis frigescit. *Evitatio damni*, videlicet si plures fratres in feudo succedunt, inter se dividunt, postea pacto conveniunt, ut duo (finge) feudo fruerentur, tertius certam pecuniam Domino in clientelam offerendam, de qua ipse, & ceteri fratres investiri oportet. Nam hic tertius ceteris suis fratribus in feudo succedit, illi huic tertio non nisi in allodio succedere possent, si dominus non omnes investivisset, Christoph. Lyncker *differt. de feudo pecuniario* §. 32. Neque hujus feudi natales vetustatem sibi vindicant, cum Germaniæ gentes, quibus hæc feudi species potissimum placuit, pecunia destitutæ essent, jamque circa seculum XII. diplomata de hoc feudo occurrunt, quæ Joan. Franckensteinius *differ. de feudo in pecun. constit.* §. 1. refert.

A rebus mobilibus noster etiam Obertus feuda amolitur; sed nihil prohibet, quominus in his constitui valeant. Etenim regula satis consulto composita jubet; *in quibus rebus quasi ususfructus constitui potest, in illis etiam feudum improprium constitui potest*. Quoties ex re nostra fructus, & emolumentum percipitur, sive perceptione pereat, sive salva ejus substantia maneat, toties in beneficium recte conceditur. Nec Hotomanni *disput. feud. cap.* XVI., aliorumque sententia nobis nocet, quæ; inquit, idcirco in rebus mobilibus feudorum subjectum non reperiri, quia feuda non tanquam ususfructus, sed perpetuo jure adquiruntur, hoc est, ut ad vasallum, ejusque posteros successionis ordine transeant. Res autem mobiles caducæ sunt, & consumtioni obnoxiæ, & proinde hanc juris perpetuitatem conservare non valent.

Attamen ex hac rei consumptione nihil aliud, quam feudum improprium deducitur, non vero ut sua natura clientelam excludat. Exemplum in grege ovium, in quo sicut ususfructus, ita & feudum consistere potest; & vasallus satisdare debet, finito feudo, rem

rem ejusdem valoris in feudum concessam restituturum, sicut de quasi usufructu JCtis placuit *tit. D. de usufr. ear. rer.* Similiter vasallus gregis sibi infeudati in locum demortuarum ovium, alias ejusdem speciei, & qualitatis substituere tenetur. Statuto enim tempore, sicut accepit, restituere posset. Et hoc feudum improprium vocamus. Omne enim feudum sua indole relicta, pluribus modis in improprium degenerat; *servitio*, si non militare, sed annuus canon præstatur, & feudum *laudimiale* appello. *Immunitate*, si vasallum a servitiis immunem dominus in investitura declarat, & *feudum francum* nascitur. *Pacto*, si facultas alienandi, inconsulto domino, conceditur, & *feudum alienabile* vocamus. *Successione*, si fœminæ, vel masculi cum hereditaria qualitate succedunt, & *feudum hereditarium* hodie satis consuetum Interpretes dicunt. *Tempore*, si ad tempus, vel vasalli vitam durat, & feudum *Guardiæ*, *Gastaldiæ*, *Cameræ*, *Cavenæ*, *soldatæ*, *habitationis* erigitur. *Investitura*, si hæc non modo descendentes, & collaterales ad successionem invitat, qui proprie a primo adquirente descendunt, sed etiam extraneos admittit, qui a primo & communi stipite orti non sunt. *Brevi usu*, sicut feudum pignoratitium. Et similia, quæ tot inveniri, & de novo nasci possunt, quot modis a *natura* beneficii quis discedere valet, Sonsbec. *par.* v., Blanc. *lib.* IV. *c.* 3. Quemadmodum enim mirabilis naturæ operandi modus a suo auctore ab æterno statutus, vel ab ipso auctore, vel a majori alterius creaturæ virtute, illum immutat, variasque, illæsa substantia, figuras recipit, & repræsentat; ita & negotia, artes, actusque a societate statuti ab hominum vel tacita, vel expressa voluntate varias mutationes, atque applicationes, illæsa substantia, excipiunt.

Denique Feudista in fine h. t. inquit, *feudum neminem posse adquirere, nisi investitura, aut successione*, II. *f.* 33. In II. *f.* 26. §. *si quis per triginta*, addit *præscriptionem*: Aut si quis anni spatio seniore sciente, nec improbante, in possessione feudi steterit; aut licentia Domini possessionem feudi adipiscatur, II. *f.* 33. I. *f.* 26. qui vel ad investituram, vel præscriptionem redigi possunt. Nec modus per successionem adquisitio dici potest, quia nemo succedere valet, nisi feudum jam esse adquisitum præsupponatur ab eo, cui quis succedere contendit. Nec successor aliquid adquirit, in quo jus antea non vindicabat, & jus concipi nequit, nisi vel pactum, vel occupatio concipiatur.

TI-

TITULUS II.
Quid sit investitura.

ANtiquitus hic titulus, & duo sequentes cum antecedenti conjungebantur, postea Glossographus in tres divisit. Nuper actum est, feudum investitura, aut successione adquiri; nunc declarat, quid sit investitura. Et tres partes comprehendit; prima de investituræ significatione, ejusque solemnitate: secunda de vasallo feudum cameræ, & cavenæ possidente: tertia, de pactis, quæ investituræ adiici possunt.

§. IV.
Investitura unde, quid, quotuplex, modus.

Investituræ vocabulum, an latio, an barbaris originem debeat, eruditi dissensiunt. Placet a latio repetere, Brisson. *lib.* VI. *de form.* antiquum venditionis ædium instrumentum refert, ibi, *Tu, Pascuti, fuste illum investito. Tu, segniti; fustem manu capito*, Tertull. *lib. de Baptismo c.* 13. obsignationem baptismi *fidei vestimentum* vocat. A vestiendo forsitan dicta, quia senior vasallum suum investiendo veste quadam donabat, vel chirothecam, vel aliud porrigebat, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* II. §. 116., Boehmer. *de ind. & natur. investit. cap.* II. §. 39., Cujac. *hic*, Vultej. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 4. Vel quia vasallus in investituræ ritu speciale vestium genus adhibere solebat, Rothi. *loc. cit. cap.* XII. *q.* 1. Improprie vero vestitura possessionis traditionem, jurisque cessionem seu concessionem significat. Quæ significatio sæpius in media ætate occurrit; & quibusdam signis tanquam traditæ rei argumentis agebatur *cap.* 2. *de consuetud.*, Cujac. 19. *obs. c.* 18., sicut in jure arrarum datio est argumentum contractæ venditionis *l.* 35. *D. de contrab. emp.*, seu, ut Varro *lib.* IV. *de l. l. notam reliqui reddendi*, dicit. Conf. Forner. *Selectio. lib.* 1. *c.* 3.

Hæc symbola in omnibus contractibus vetusta barbarorum gens adhibebat, quod *vestire, investituram, vestituram facere* dicebat. Et fuste, baculo, festuca, vexillo, ense, hasta, baculo, chirotheca, aliove, convocatis testibus, *sub testimonio videntium, & audientium*, ut loquitur Innoc. III. *in d. c.* 2. peragi consuetudo erat. Hujusmodi symbolica traditio, quæ mancipationi, & in jure cessioni Romanorum respondet, Germaniæ familiaris fuit.

Eleganter Boehmerus *tit. decretalium de Institut.* §. 111. Franciæ, Germaniæ, Saxoniæ, Alemanniæ, aliorumque investituram de-

describit: *Apud Gentes quam plurimas, & in primis apud Germanos veteres, olim admodum solemne fuit, in TRANSLATIONE JURIS in alterum adhibere SOLEMNIA SIGNA, QUIBUS EVIDENTISSIME VOLUNTAS TRANSFERENTIS JUS SUUM IN ALTERUM DECLARETUR. Neque enim in sola promissione, unde NUDA OBLIGATIO personæ nascitur, quæque dubia esse poterat, sibi subsistendum esse, gentes crediderunt, præsertim penes quas usus scripturæ non adeo esset excultus, & ad memoriam rerum gestarum conservandam accomodatus. SIGNO ergo evidentissimo, SYMBOLISQUE opus fuit, quibus intentio contrahentium perspicue explicaretur; securius aliquod vinculum commerciis mutuis addendum, & fides, egregium humani generis, ligamen, tali munienda erat nexu, ne facili ratione quis decipi, falli, & circumveniri posset.*

Antiqui Romani jam sub Regibus certis signis mentem suam circa commercia exprimebant. Accessit JUS FLAVIANUM secundum quod in antiqua Reipublicæ ruditate nihil ratum erat, nisi quod suis ritibus esset expeditum, quod pluribus declarat GRAVINA de orig. jur. civil. lib. 11. *c.* 79. *Aliæ gentes quoque similibus usæ sunt signis, maxime penes quas usus scripturæ non adeo fuit cognitus.*

Non ergo mirandum, si etiam majores nostri hujusmodi symbolis usi sunt. Duo ex hujusmodi symbolica translatione potissimum nascebantur emolumenta! (1) *ne, quod perfidis & ad fraudem faciendam aptis natis admodum solemne est, amplius alligari posset, actum nondum fuisse perfectum sed in finibus simplicium tractatuum substitisse:* (2) *ne contractu perfecto, ad alium amplius aliquid juris in re, alteri promissa, transferri possit. Planum utique est, quamdiu tantum res promissa, sed non translata est, debitorem jus in re illa adhuc retinere, adeoque facile induci posse, ut contra datam fidem alteri, pinguiorem conditionem offerenti rem tradat, & jus suum resignet. Quia vero plura intervenire poterant obstacula, quominus statim possessio actualis juris, vel rei in alterum transferri posset, consultis gentibus visum fuit, interim SYMBOLICAM TRANSLATIONEM promissioni addere, & hac ipsa liquidissime declarare, se jus suum, quod in promissionem erat deductum, in alterum transtulisse. Hoc utilitas commerciorum desiderabat & imprimis RATIO CIVILIS, quæ potissimum jurgia inter cives præcavet, postulabat.* Idque ex innumeris medii ævi monumentis constat.

Hanc symbolicam traditionem dixerunt investituram variis celebratam signis, quæ satis diligenter sive in publicis, sive in privatis Regestis servabantur. Aut sacra, aut profana distribueretur dignitas, honor, jurisdictio, regna, feuda regaliæ, vel minores tu, vel

vel majores existimabis. Sed postea in desuetudinem abiit, *dum loca contractuum oralium, pactorumque consensualium invaluerunt contractus libellarii, conventiones in scripturam redactæ, donationes inter vivos, testamenta solemnia, ne dicam de aliis institutis, & solemnitatibus in curias, & judicia introductis. Passim tamen illæ solemnitates, etiam nunc superstites sunt*, vel *vestigia produnt*, inquit, Joachim de Westphalen apud Boehmer *loc.cit.* §. 25., Gottlieb Gonne *diatriba de evictione feudi oblati* §. 9. Fides enim Germanorum non scripturæ, sed verbis, & simplicitati innitebatur, a quo nomen, uti creditur, assumpserunt, Conradus Celtis *de situ, & moribus Germaniæ.*

Germanos vocitant Itali, Grai sed Adelphos,
Quod fratrum soleant inter se vivere more.

Investituræ significatio in jure feudali, barbarorum legibus, & chartis multiplex est: sæpe possessionis concessionem, aut juris, sive laici, sive Ecclesiastici translationem ostendit *cap.* IV. *de concess. præben.*, & hoc sensu investire, est alicui possessionem tradere; disvestire est aliquem possessione privare, quod Frid. in const. *si vassallus lib.* III. 19. *dissasire* dixit., & vasallus, qui feudo cadit, disvestiri dicitur, I. *f.* 7., & Obertus in *b. t. investitura quidem proprie, dicitur possessio*, hoc est adquisitio, seu adprehensio possessionis feudi videlicet novi: nam investitura feudi antiqui nulla indiget possessionis, sed possessionis jam adquisitæ confirmatio dumtaxat intervenit. Sæpe ipsum feudalem contractum, hoc est illum actum, quo feudum constituitur, denotat, ut in *b. t.* & I. *f.* 3 I. *f.* 20. II. *f.* 7. II. *f.* 8. §. 2. II. *f.* 18. II. *f.* 26. §. *si facta*, ex quo mutua seniorem inter & vasallum officia, & obligationes oriuntur, sæpe contractum, aut feudi traditionem, aut breve testatum, hoc est infeudationis instrumentum indicat, Rothi. *loc. cit. cap.* XII. *q.* 2., Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 4. Duaren. *cap.* VII. *n.* 2.

Modus, quo investitura vetustis feudorum ætatibus agebatur, erat instar judiciorum Germaniæ, videlicet sub Dio. Cum totius civitatis interesset splendidiora patriæ munera, tunc præsertim personalia, omnibus innotescere, nisi aut tempestas, aut solis ardor impediret. Nec certus constitui poterat locus, sed sæpe, aut in publicis cætibus, aut sacris conciliis, vel Aula Regum, aut ubi Cæsar degeret, celebrari, præcipue diebus festivis, solebat, Lorber *Inst. jur. feud. lib.* I. *tit.* III. §. 33. Hodie investitura de Ducatibus, Comitatibus, & Principatibus in Aula Imperatoris coram Cæsarea majestate agitur: nec status extra Germaniam ad ejus susceptionem evocari potest. Baroniæ autem, & minora imperii

perii feuda, sive Germanica, sive italica apud judicium Imperatoris aulicum minus solemniter conferuntur. Utraque investitura fit Imperatoris, & imperii nomine, intra annum, & diem petenda, mortis vasalli documentum a Parocho exigitur. Atque si erit Prælatus, nempe Episcopus, Archiepiscopus, vel Abbas, oportet afferri legitimæ electionis probationem, pontificiam confirmationem, & litteras ad Imperatorem commentatitias, quas Breve vocant. Jusjurandum præstatur, duobus digitis Evangelio impositis, & si Prælati, Comites, vel Barones, aliique feuda Germanica possidentes, stantes a judicio aulico, Principes vero, Comites, & reliqui vasalli Italiæ geniculatim investiuntur, Basil. Kuchelbeckerus *dissert. de jure & modo cognoscendi, & disponendi de feudis imperii cap.* III. §. 2. & *seqq.*

Investitura duplex est, *propria*, & *verbalis*, seu *abusiva*. Propria est possessio, idest corporalis possessionis feudi traditio, & apprehensio; & contingit, dum Dominus vasallum suum, aliumve vasalli nomine in feudi possessionem realiter ducit. Aut est *actus, quo dominium utile vasallo fidelitatem promittenti, a Domino directo confertur*, Sigelius *de princip. juris feud. c.* 5. *Aut cessio feudi solemnis sive contractus, qui sine traditione possessionis per se subsistit*, Cujac. *in* 1. *f.* 1. §. *si vero Archiepiscopus*. Sed Cujac. investituram definit, quatenus est modus feudum adquirendi. Abusiva, dum senior signis, veluti ense, baculo, vexillo, aliove alicui feudum coram testibus concedit, princ. *b. t.* Dicitur abusiva quia baculi, haste, vexilli, alteriusve signi, non transfertur feudi possessio. Idque verum si hæc non fiat, præsente re seu si fundus præsens non sit. Nam si fundus erit præsens, non abusiva, sed realis dicitur investitura, cum possessio non modo manibus, & pedibus, sed etiam oculis apprehendatur *l.* 1. *D. de Adquir. possess.*, Borcholten *de feudis c.* VII. *n.* 7. Quamvis hanc Oberti divisionem inepte conceptam ceteri omnes sequantur, nihilominus juri adversatur, ut si quis venditionem, in qua traditio intervenit, ab ea, quæ solum habuit consensum, distingueret.

Verum sive propria fuerit, sive abusiva, verus adquirendi feudum modus censetur, 1. *f.* 25. *sciendum est feudum sine investitura nullo modo constitui posse*. Cui noster Obertus *in* II. *f.* 1. non refragatur, *feudum neminem posse adquirire, nisi investitura, aut successione*, non quia successio sit alter adquirendi modus ab investitura separatus, sed est instar substitutionis jam in institutione, hoc est in prima investitura comprehensæ, cujus auctoritate quis succedit. Nam nemo succedere posset, nisi in prima investitura vocabitur, Boehmer. *loc. cit.*

cit. §. 43. Præterea feuda maxima, ut regnum per hastam, vel gladium: *media*, ut Ducatus, Comitatus, Marchionatus, Principatus, vel vexillum, non vero per gladium, & quot accipit provincias, tot traduntur vexilla: *minima* per annulum, vel torquem, Ecclesiastica per baculum, annulum, vel pallium, conferri solent. Ceterùm quisque suæ regionis mores sectabitur, Stykius *examin. juris feudalis cap.* XII. 7.

Sive propria, sive abusiva de feudo novo fuerit investitura, ut valeat, necessario quasdam requirit solemnitates, nempe pares Curiæ saltem duos, Obertus *prin. h. t.* ibi, *quæ si quidem ab illo fiat, qui alios habet vasallos saltem coram duobus ex illis solemniter fieri debet: alioqui licet alii intersint testes, investitura minime valeat*, & II. *f.* 32. Verba *minime valeat* ostendunt, ut nec naturalis, nec civilis obligatio oriatur, etiamsi dominus tradiderit, quia traditione, omissa juris solemnitate, nec possessio, nec dominium in vasallum transit, Montan. *lib.* III. *c.* I., Sonsbec. *par.* IX. *n.* 9. Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 22. Ratio hujus consuetudinis est, quia alii testes facilius amore, odio, pecunia, & favore corrumpi possunt in senioris damnum; sed pares Curiæ ob fidelitatis jusjuraudum seniori præstitum, fideliores, & integriores esse præsumuntur II. *f.* 58. §. *idcirco*. Si longe absint, expectandi judicis arbitrio sunt, & vocati si renuant, senior testes extraneos adhibere potest, sicut si pares non haberet, *h. t.* §. *si vero*, I. *f.* 26., aut si Clericus de bonis suæ Ecclesiæ feudum constituat, I. *f.* 26. §. *in clericorum*. Similiter investitura breve testatum, hoc est publicum instrumentum requirit, paribus Curiæ subscriptum, in quo pacta, conditiones, servitia, modus serviendi, successio, & succedendi ordo, facultas vasalli in feudo declarari solent; sed si non interveniat, nihilominus investitura valet. Hodie moribus Europæ præsertim in feudis regalibus solum Principis, & concedentis privilegium seu concessionis diploma suppedit, quia ævo feudorum non erant Archiva, in quibus hodie instrumenta investiturarum conservantur, Rothil. *loc. cit. q.* 8., Gudelin. *par.* II. *c.* 5. *n.* 8.

Ex his constat, peracta verbali investitura, aut propria, vassallum ad jusjurandum teneri, quod *homagium* vocamus, & si propria non præcessit, senior vasallum in possessionem immittere tenetur. Non quia feudi traditione ad ejus constitutionem opus sit, cum ex utraque investitura tam propria, quam impropria dominium & possessio translata fuerit; hoc est sicut propria investitura dici non potest, nisi feudo acto tıaditio; ita nec abusiva intelligitur, nisi feudi possessorio symbolis quibusdam transferatur; quod

& satis

& satis innuit Obertus *hic*, *investitura quidem proprie dicitur possessio* (hoc est possessionis adprehensio, adquisitio) *abusivo tamen modo dicitur investitura, quando basta, vel aliud corporeum quilibet porrigitur a Domino feudi se investituram facere dicente*. Mens Obertii est; illa investitura, quæ possessionis traslationem significat, feudo jam constituto nihil adjungit, quia jam abusiva utilis dominii, ejusque nomine competentis actionis cessio contigit. Nam ipse abusivæ actus vicem traditionis ad utilis dominii translationem obtinet, ac si simplex, & naturalis traditio intervenisset. Sicut in judiciali effestucatione apud Germanos, scotatione apud Danos ficta traditio rei tradendæ vice fungebatur, Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* I. *c.* I. *n.* 51. *& seqq.* Boehmor. *loc. cit.* §. 46., Gudelin. *par.* II. *c.* 5. *n.* 10. Denique, cum investitura sit actus voluntariæ jurisdictionis, etiam in alieno dominio celebrari potest, per procuratorem fieri, & recipi non prohibetur II. *f.* 3. §. *sed utrum*, II. *f.* 58. §. *item investitura*, nec actus legitimi Romanorum subtilitas nostris feudistis placuit; exempla exibet Hotom. *disp. feud. cap.* XIII.

§. V.

De Domino possidente.

Si enim domino adhuc in possessione constituto an facta sit investitura, quæratur: non debet probare, nisi per pares curtis illius domus, vel per publicum instrumentum, a tribus, vel a duobus paribus confirmatum. Nam si instrumentum defecerit, vel quia factum non fuerit, vel quia amissum sit: tunc qui probare desiderat, pares Curiæ illius, qui interfuerint, offerat, qui si denegaverint, forte corrupti odio, vel gratia seu prelio, & dicant se non interfuisse, cum investitura facta fuerat, vel non reminisci: tunc domino, juvent tactis Sacrosanctis scripturis, QUOD HUJUS REI VERITATEM NESCIANT, & tunc actor aut alios producat pares, aut juris jurandi domino detur electio: ut proinde juret investituram factam non esse: aut sacramentum vasallo referat: ille aut juret, aut acquiescat. Quod si jurare pares aliqua & caussa recusaverint, nec dominus eos jurare compellat; licet vasallo etiam per extraneos probare investituram. Testibus vero deficientibus jurisjurandi electio domino detur.

Peracta investitura, si quæstio nascatur; in prima *h. t.* parte Obertus distinguit, vel Dominus possidet, vel vasallus. Si vasallus ex investitura abusiva agit contra seniorem, qui clientelam possidet, & propriam petit, hoc est in ejus possessionem induci declarat. Va-

Vasallo onus probandi incumbit, aut paribus Curiæ, qui initio investituræ interfuerunt, aut si odio, amore, pecunia, vel favore corrupti interfuisse negant, Dominus ad jusjurandum cogere potest, *quod hujus rei veritatem nesciant*: merito, quia senior in Pares suæ Curtis jurisdictionem habet. Quod si Dominus Pares cogere nolit, vasallus etiam extraneis testibus saltem duobus probare novam investituram poterit, qui si deponere recusant, Comes seu judex Civitatis compellet, si nec iste, Imperator aditur 1. *f. 26.*, quin & si extraneis veritas erui nequit, Pares etiam auctoritate Comitis, aut Imperatoris ad jusjurandum, vel testandum vasallo cogere permittitur, si Dominus cogere nollet, Glos. *hic*, & Alver. *n. 4.* Demum, si vasallus omni destituitur probatione, Dominus cum XII. sacram. jurat se investituram non fecisse, vel vasallo actori jusjurandum deferat, qui si jurare recusat, Dominus absolvitur 1. *f.* 4. Adest & alia probationis species, videlicet breve testatum, quo vasallus, si nec pares, nec extraneos testes habet, suam proterit confirmare intentionem §. *si enim Domino*. Breve testatum, ut sæpius dixi, est publicum instrumentum de investitura feudi, quod non probat, nisi a *tribus*, *vel a duobus paribus confirmatum*, *d.* §. *si enim*, Scrad. *par.* v. *c.* 2. *n.* 4. *&* 5.

§. VI.
De vasallo possidente.

Tantum si Dominus possidet. *Si vero vasallus quidem possideat, vel si feudum Cameræ, aut Cavenæ, in duabus, seu tribus acceptionibus quietis, quasi possideat: Dominus autem feudum negans esse rem suam petat; vel quod de camera, vel de cavena bis, vel ter (sicut diximus) jam solutum est, deinceps solvere renuat; tunc non est opus probatione; sed possidenti data electione, aut jures suum esse feudum rectum, aut domino referatur jusjurandum. Si autem investitura ab eo, qui vasallos non habebat, dicatur facta; tunc per quoslibet idoneos testes aut per publicum instrumentum probari: aut inopia probationis emergente, res decidatur per jusjurandum.*

At si vasallus in possessione, vel quasi, reperitur, & Dominus illius rei investituram negat, & uti allodialem petit; vasallus vel juret *suum esse feudum rectum*, vel Domino jusjurandum referat. Hic tamen vasallus anno possidere, vel quasi, debet, ut justum investituræ titulum sibi adquiret; nec semper annalis possessio possidenti jusjurandum dumtaxat defert, sed

alia

alia concurrere oportet, quæ judicis animum ad jusiurandum moveant, II. *f.* 33. §. *sacramentum*; §. *si vero b. t.* Appellatione *feudi recti* in *b. t.* feudum legitime adquisitum, hoc est Domino sciente, servitia recipiente, & vasallo per annum possidente intelligitur. Nec tantum si vasallus vere possideat, ut si res sit corporalis nempe prædium, aut urbanum, aut rusticum, oppidum, vel civitas, vel provincia; sed etiam si quasi possidet, si res sit incorporalis, ut annua præstatio ex cavena, vel cellario, vel camera senioris percipienda; hæc est quid incorporale, in cujus possessione constituitur, *si bis, vel ter (sicut diximus) jam solutum est, deinceps solvere renuat d.* §. *si vero*, hoc est si decem, finge, tanquam vasallus, sciente domino, ex ejus cameræ, penus, aut cellario reditibus, tribus vicibus perceperit, si dominus deinceps dare recusat, hac quasi possessione se vasallus tueri potest, Scrad. *par.* II. *c.* 3. *n.* 83., Thom. de Mar. *de Gen. feud. tit.* 24. *n.* 15.

§. VII.
De pactis investituræ.

Præterea si aliquis tenor præter communem feudi rationem in investitura a Domino dicatur intervenisse: vel si dicatur feudum sub tali conditione dedisse, UT VASALLUS FESTIVIS DIEBUS VADAT CUM UXORE SUA AD ECCLESIAM: omni facultate probandi domino adempta, habeat vasallus potestatem defendendi se per sacramentum. Item si vasallus per pactum speciale contra feudi consuetudinem allegat, VELUTI DE FILIARUM SUCCESSIONE: liceat ei tenorem, si potest, sicut investituram probare, quod si in probatione defecerit, vel cessaverit, concedatur domino hoc denegare jurejurando præstito.

Attamen eum in investituris pacta adjici soleant, idcirco in ultima *b. t.* parte Obertus duas componit regulas. Prima est, qui pactum in investitura insolitum intercessisse contendit, probare tenebitur, §. *præterea b. t.*, secus vasalli sacramento controversia deciditur, I. *f.* 20. I. *f.* 24. Ratio, quia omne feudum præsumitur *rectum*, hoc est, quod propriam feudi naturam teneat, seu ut sit masculinum, gratuitum, in re soli, ad heredes militiæ, & domus, & pacis servitio aptos transiturum, sine agnatorum consensu non alienari, perpetuum, sine culpa non amitti, fidelitatis, & servitii capax. Atque hæc adeo feudo inhærent, ut sive in jure, sive in facto dubitetur, semper, ut ejus recta jubet natura, concessum præsumendum, seu uti loquitur Obertus *in d.* §. *præterea secundum*

com-

communem feudi rationem, id est communes regulas, & illas consuerudines, quæ feuda introduxerunt, Montan. *lib.* 1. *c.* 6. Vultej. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 77. Secunda regula est: si vasallus contra feudi naturam pacta, & conditiones allegat, probare debet; & si in probatione deficiat, jurejurando senioris quæstio finitur §. *item si vasallus h. t.* Videlicet pactum, ut filia succedat, quia hic sexus si succedit, est contra clientelæ naturam, & pacto, ut succedat, contingere potest, quod probatione indiget. Quamvis hodie cunctis propemodum Europæ moribus, fæminæ in feudis succedunt, nisi concessionis lege, aut speciali consuetudine masculi tantum vocentur, sive majora, sive minora fuerint beneficia, Freder. a Sande *ad consuetud. Gelr. tit.* 3. *c.* 1. §. 1. *n.* 16.

Quoniam clientela est contractus, & contractus qualibet recipere potest pacta, modo ejus substantiam non lædant, ita & feudum. Substantia feudi est *fides*, quæ etiam in feudalibus sine operibus mortua est, dominum inter, & vasallum pacisci non potest ut fides præstetur, sed ob commissam feloniam feudum non amittatur. Sicut in contractibus pacisci nequit, ne futurus præstetur dolus *l.* 27. §. 3. *D. de pactis*. Præstari, vel non, dolum, non est in potestate contrahentium, sed in auctoritate legis, nempe oraculo juris gentium, quod contrahentibus concedere nequivit, & noluit. Pactum in feudalibus etiam, vel est personale, vel reale: personale, quod personam vasalli paciscentis dumtaxat respicit, restringitur, pertinet, nec ipsius heredi nocet, aut prodest *l.* 25. §. 1. *D. de pactis*, ne res inter alios acta, aliis contra paciscentis voluntatem noceret, vel prodesset, *l.* 24. *C. de pactis*, 11. *f.* 26. Reale quod ad paciscentis vasalli heredes transit *l.* 21. §. *fin. D. de pactis*. Ut si senior feudum novum *jure feudi antiqui* concedit, tunc sibi, descendentibus, atque agnatis prodest, Frideric. Mantzelius *differ. de eo quod refert feudum esse vere antiquum vel novum jure antiqui concessum* §. 6. In medio ævo sæpe legimus, feuda sub variis concedi pactis, & conditionibus, nempe pugnandi, castrum aperiendi, oppidum custodiendi, in palatio Principis agendi, obsequia quotidie, vel singulis mensibus, aut quotannis domino exhibendi, & similia, quæ valent, & in controversiis inspici, atque servari oportet, modo turpitudinem non contineant.

TITULUS III.

Per quos fiat investitura, & per quos recipiatur.

POstquam Obertus exibuit, quid esset investitura, ejusque ritus, in *h. t.* nunc primo agit de personis, quæ investituram face-

re possunt, secundo de rebus, tertio de personis, quae investiri valent, & modis quibus investitura suscipitur.

§. VIII.
De nova, & veteri infeudatione.

Primo regulam statuit, novam investituram non ab alio fieri, nisi *ab eo, qui legitime suorum bonorum administrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditum alienare: is nec per feudum poterit investituram facere, l. ult. C. de rebus alien., l.* 101. *D. de leg.* 3. Nam qui alienare prohibetur, infeudare nequit, cum alienatio tam utilis, quam directi dominii translationem contineat, ut *lib.* I. *tit.* I., probavi. Nec refert, an masculus, an faemina fuerit; quamvis nonnulli ex Italiae sapientibus hanc facultatem faeminae negassent; & non immerito. Faeminae jure longobardo, sicut vetusto quiritum, erant in perpetua tutela, sive, ut ea aetas loquebatur, mundiburnio, & tutor mundualdus, sine cujus auctoritate ipsa nihil alienare poterat, Rex Rothar. *in l.* I. *LL. long. lib.* I. *tit.* 10. *Nulli mulieri liberae sub nostri regni ditione, lege longobardorum viventi, liceat in suae potestatis arbitrio, id est sine mundio vivere, nisi semper sub potestate viri, aut potestate Curtis Regiae debeat permanere, nec aliquid de rebus mobilibus, aut immobilibus sine voluntate ipsius in cujus mundio, fuit, habeat potestatem donandi, aut alienandi*, ibi Carolus. Et hoc diu stetit. Postea benignitate juris obtinuit, mulierem bona sua sine tutoris auctoritate de novo posse infeudare, *quae sententia mitior est*, inquit *cap. extraord.* x. *c.* I., §. *faeminam h. t.*. Nec obstat, si faeminae jurisdictionis usus jure civili negatur, quia moribus cum jurisdictio patrimonialis fere evaserit, feudo inhaeret, & in quemcumque possessorem transfertur, & in regnis, & regalibus feudis hodie jurisdictionem exercet. Attamen jure Saxoniae, Angliae, Belgiae, multarumque in Germania gentium mulier est in potestate viri, sine cujus consensu nec contrahere, nec alienare, & idcirco nec in feudum concedere potest, & mortuo viro, Curatoris consensus requiritur, Rothi. *in pand. feud. cap.* v. *q.* 23. *&* 24. A Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* I. *cap.* I. *n.* 3., Gudelin. *de feud. par.* II. *cap.* I. *n.* 3., Duaren. *cap.* VI. *n.* II., Zasi. *par.* V. *n.* 19. Smithus *de Republica Anglor. lib.* III. *c.* 8.

De veteris feudi investitura aliam exhibet regulam, nempe, *quae de veteri fit, etiam a minore potest fieri. Sive autem a minore, sive a majore fiat, non de omni possessione vasalli, sed de justa tantum facta intelligitur, nisi aliud nominatim dicatur, princ. h. t.*. Id est etiam qui alienare prohibetur, veteris feudi renovationem facere

re valet, ficut eft minor xxv. an. Sed an pupillus fine tutoris auctoritate? Hotom. *hic*, & *disput.* xii., & Duaren. *cap.*vi. *n.*10. negant, quia non poteft jusjurandum fine tutoris auctoritate deferre, nec fe fe obligare. Non fuadet: fed five tutorem, five non, habeat, nihilominus fine eo vetus feudum renovat. Nam Obertus non diftinguit, nec tutoris, aut curatoris meminit, fed minori, five pupillus, five minor, qui jure longobardo eft xviii. an. in fpecie fuerit, inveftiturae renovationem permittit. Praefertim cum in contractu pupilli tunc tutoris auctoritas defideretur, quoties ejus conditio deterior redditur, aut reddi timetur; in renovatione minor, aut pupillus nec alienat, nec infeudat, fed datum a majoribus fuis confirmat, & alienatum invenit, nihilque novi addit. Non obnititur, pupillo jusjurandum non deferri, nifi tutor confenfiat, quia de delatione in judicio facta intelligitur; renovatio, quae feudi naturalia fecum ducit, inter quae jusjurandum, extra judicium contingit. Quin imo laederetur pupillus, fi renovationem non concederet, cum vafalli fervitio careret, Vultej. *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 7., qui fatetur confultius effe, fi magiftratum adeat, cujus auctoritate negotium agere curet.

§. IX.

De rebus, quae infeudari non poffunt.

Secundo agit de rebus, quae infeudari non poffunt, & regulam in §. *fed etiam res* conftituit, *res cujus alienatio prohibetur*, *nec per beneficium dari conceditur*. Omnis alienationis prohibitio, vel a lege, vel ab homine eft: a lege, ut res facra, religiofa, fancta, res publica, theatrum, forum, bafilica, res domanialis, quae extra commercium, hoc eft jus emendi vendendi, effe dicuntur. Attamen diftinguam: vel res eft exemta a vafalli commercio, & infeudatio non valet, quia in fubjecto feu vafallo deficit capacitas adquirendi, & utendi, quae neceffario requiritur, videlicet fi judaeo, profcripto, excommunicato majori excommunicatione, haeretico *l.* 2. *C. de bonis profcript.*, *l.* 4., *auth. Gazaros C. de haeret.*, Joan. Blanc. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 12. Vel res eft exemta a fenioris commercio, & infeudatio valet, non ut haec res, fed alia ejufdem bonitatis emetur, & in feudum concedat. Sicut Ulpian. *in l.* 34. *D. de V. O.* docet, fi quis rem, cujus commercium non habet, ftipulatione promittat, ftipulatio valet, quia *ipfi nocere*, *non mihi*, hoc eft culpa, & delictum promifforis, cui commercium interdictum, arguitur. Res aliena non poteft infeudari, quia fenior nihil juris in vafallum tranf-

transferre, quam ipse habuit, potest, dicam *in* 11. *f.* 8.) Res tamen communis, etiam invito socio, in feudum dari non prohibetur, sicut & vendi, & in dotem constitui *l.* 3. *C. de commun. rer. alien.*, *l.* 16. *C. de jure dot.*, 11. *f.* 58., quod de sua portione intelligitur. Res litigiosa, sicut alienari, ita & infeudari nequit, *tit. C. & D. de litig.*, & Lex XII. tab. *Rem, de qua controversia est, prohibemus in sacram dedicare, alioquin dupli pœnam patimur*, *l.* 3. *D. de litig.*. Moribus tamen alienari & infeudari, salvo jure tertii, valet, Wisenbac. *ad tit. D. eo.* Res dotalis, a marito, vel bona filiifam., in quibus pater habet usumfructum, a patre in feudum dari vetatur *l.* 4. *D. de fundo dot.*, *l. un.* §. 15. *C. de rei uxor. act.*, *l.* 1. *C. de bon. mater.*, nisi dos fuerit æstimata, de qua maritus, etiam invita uxore, uti lubet, disponit, & uxor semper creditrix remanet *l.* 11. *D. de fund. dot.* Vel res alienari ex voluntate hominis prohibetur, & in feudum dari nequit, ut fideicommissa, majoratus, & res omnis, quæ restitutioni est subjecta, *auth. res, quæ C. comm. de leg.*

§. X.
De Decimis infeudatis.

Bona ecclesiæ in feudum dari possunt, si solemnia servantur, quæ rerum Ecclesiæ alienatio requirit, nisi infeudari solita fuerit, tunc nulla indiget solemnitate, disserui *lib.* 1. *tit.* 1. An decimæ infeudari possint? Ante seculum XII. sexcenta decimarum infeudationis factæ laicis exempla prostant, quorum origo a Carolo Martello cepit, sub Carolo M., Ludovico, Pipino, aliisque diutissime duravit, qui militibus Ecclesias, decimas, seu *altaria*, ut Urban. II. in Nemausensi Synodo, inquit; impune infeudabant, quibus Pontifices, & Episcopi obnixi sunt, & partim emptione, partim donatione, precibus, & minis Ecclesiæ postea recuperarunt, disserui in *lib.* 11. *tit.* X. §. 19., prolixe Christin. Lupus *ad can.* 7. *&* 9. Concil. Romaniv. sub Greg. VII. Quin imo, irruente undique Comitum, Principum, & laicorum in bona Ecclesiæ avaritia, decimas Episcopi infeudare cogebantur, ut saltem directo dominio fruerentur, Chron. Rastedense de Ottone Comite de Oldenborg X. Rastedensis Monasterii Abbate, scribit. *Iste etiam Abbas, cum esset consanguineus Comitum de Oldenborg ex directa linea legitime plurima dona frisiæ, videlicet in Harlinga Astringia, & Rustringia vendidit, & sine consensu conventus alienavit. In quorum bonorum venditorum compositionem, quædam alia bona comparavit, videlicet decimam in Oldenbroke, quam emit a militibus de Lunenberge ad feudum Archiepiscopi Bremensis. Item decimam in North-Broke, quum*

emit

emit a Ludolfo, & Henrico Comitibus de Oldenborg, & Brockbusen, cujus proprietas ad monasterium Rastedense largitione pertinebat. Quae tamen decima progenitorum ipsorum Comitum ab Abbatibus nostris in feudum data fuerat: ut ipsi, & eorum heredes Monasterium defenderent, nec tamen ad aliquot manus, per quod gravari posset Ecclesia se extenderet pro nostri privilegiis Monasterii libertatis expressius continetur. Horum Comitum parentes cum eis talis via defensionis pateret, interim bona monasterii invaserunt; idem ferre narrat Chron. Lubecense ad *an.* 1247. P. Damian. *lib.* 1. *epist.* 10. Nec tantum decimarum usurpatio, & infeudatio invaluit, sed & monasteria, Abbatias, paraecias, sacella tamquam feuda, vel alode Reges militibus donabant, quibus Concilia assidue, licet frustra, reclamarunt. Titulo hereditatis, dotis, donationis, pignoris, aliove ad lios transmittebant, confer. Franc. Florens *ad cap.* 1. 2. & 3. *de jurepatron.* Thomass. *de vet. & nov. Eccl. discipl. lib.* 1. *par.* III. *c.* II. Maistre *de Bonis Eccl. lib.* 1. *par.* 2. *c.* 9. Roye *de Miss. domin. quoad vectig. c.* 2.

Supervenit Innoc. III. in Concil. Later. IV. aecumenico XII. an. a Rege Messiah 1215. mense Novembri, qui licet plures canones de bonorum Ecclesiae usurpatoribus edidisset, de decimis a Comitibus, Principibus, & laicis, occupatis non meminit *cap.* VII. *de his quae fin. a Prel.*, & *in cap.* XXV. *de Decimis*, inquit, *nec occasione decimationis antiquae (licet feudum decimae sint concessae) sunt decimae novalium usurpandae cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda*. Pontifex abjecta decimas recuperandi spe, eas nobilibus dimisit, quod, cum privilegium contra jus ipse existimaret, restringere potius, quam prorogare voluit, & decimam novalem excepit. Ager novalis jure civili est terra proscissa, quae anno cessat, seu ut loquitur Plinius, & S. Isidorus *qui alternis seritur, & vacat*. Jure canonico est ille ager, qui de novo ad culturam redigitur, sementi nunc primum recipiendae subactus est, & antea incultus manebat *cap.* 21. *de V. S.*, igitur concessio decimarum laico facta decimas novalium non continet, quia odiosa est, secus si clerico, *cap.* X. *de decim.* Post Innocentium III. Patrum decretis infeudatas, atque usurpatas decimas exprobantibus silentium indictum est, licet laici occupare non desiissent. Hinc Canonistarum regula obtinuit, decimas tuto retineri a larcis posse, qui ante Innocentium habuerunt. Assidue tamen Patribus placuit, Episcopos, atque Abbates infeudare laicis, sicut cetera suae Ecclesiae bona posse, modo solemnia in bonorum Ecclesia alienatione necessaria adhiberent. Atque hodie si laici legitime infeudatus decimas possident, etiam in alios subinfeudare, donare, dotis titulo

lo dare, præsertim in Gallia, Duaren. *cap. v. de feud. n. 7.*, feudoque Ecclesiæ aperto, sive ante Innocentium III., sive post concesso, Episcopus etiam uti lubet, iterum infeudare valet; quicquid Interpretibus communiter sed sine ratione placuerit, dixi *in prolegom. hujusmodi prælection.*

§. XI.
De permissa rerum feudalium alienatione.

Nunc ad rem. Hactenus dictum, res, quarum alienatio prohibetur, infeudari non posse; ab hac duos casus excipit, primus est: *Si quis ex agnatis suis rem, quæ a communi parente per successionem ad eum pervenerit, alienare voluerit: non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem alii eam vendere, nisi tibi, vel alii proximiori pro æquali pretio accipere volenti.* Secundus est: *per feudum tamen cuilibet dari potest: nisi fiat in fraudem nostræ, vel legis novæ bonæ memoriæ Lotharii (vel Friderici) Imperatoris. Tunc enim rescissa investitura, reddito a te, vel ab alio proximiori, videlicet secundum antiquam consuetudinem, pretio, si quod dederit: is, qui investituram accepit, compellatur rem tibi restituere.*

In primo casu, si vasallus feudum paternum alienare velit, non potest in extraneum, sed dumtaxat in agnatum proximiorem, qui post alienatoris mortem immediate successurus erat; & hæc potius refutatio; quam alienatio vocatur, quin senior consensiat. Verum si remotiori agnato, aut extraneo alienat, agnatus proximior monitus intra annum alienationem revocare potest, translacto anno, removebitur, II. *f. 26.* §. *Titius*. Scire agnatus dicitur, si pretii quantitatem calleat, si alienationis omnes qualitates cognoscat, tunc jure redimendi alienationem impedire valet, modo æquale pretium, quod extraneus obtulit, solvat. Ignorans vero etiam si annus transierit, nihilominus revocat, nisi xxx. elapsi fuerint; quibus omnis actio tollitur II. *f. 9.* §. *porro*. Quin & si agnatus in vita alienatoris renovocare nolit, post mortem, sine pretii solutione, recte revocat, ut *hic*; aut si alienationi consenserit, agnatis postea nascituris, aperto sibi feudo, revocandi facultas competit, ne unius consensus alteri in investitura vocato noceat, Pistor *lib.* II. *q.* 12., Clar. §. *feudum p.* 42., Jaco. a S. Georg. §. *& cum pacto de non alienando n.* 17., Scrad. *par.* VIII. *c.* 2. *n.* 62. Struv. *f. j. f. cap.* XIII. 21. Idque concessum, ne prædia familiaria ex familia exirent, quæ ratio Lacapenum in Oriente, & Fridericum I. in Occidente jus προτιμήσεως statuentes permovit. Dum agnatus sine consensu Domini feudum ab alio agnato proximiore habet, intra annum,

annum, & diem investituram petere cogitur, ac si agnatus alienator decessisset, jure Regni pro investitura relevium solvit, Alflic. *hic n.* 17. Sive agnatus, sive filius fuerit, qui feudum obtinet.

Quamvis feudum familiare, geneaschicum, seu antiquum agnatus non nisi agnato alienare valeat; tamen si aliis subinfeudare velit, nec agnatorum, nec senioris consensu indiget §. *per feudum h. t.*, modo tria servet, videlicet sincere infeudet, hoc est bona fide, sine fraude, ut si investitura subfeudi assimulatur, quæ revera est venditio, tunc jus protimeseos locum habet II. *f.* 9. §. I., II. *f.* 26. §. *beneficium*; ut subfeudatarius sit ejusdem conditionis, & qualitatis, ac est ipse vasallus, ne seniori infeudatio in servitiis noceat, *d.* §. *beneficium*; ut iisdem conditionibus, & pactis, cum quibus ipse feudum habuit, subinfeudet, ne voluntate vasalli, aut successionis, aut servitii ordo mutetur II. *f.* 34. §. *similiter*, II. *f.* 55. §. *callidis*, Duaren. *cap.* XII *n.* 13., Pistor *lib.* II. *q.* 44., Scrad. *par.* VIII. *c.* 2. *n.* 10., Cujac. *hic*. Nec refert, an feudum fuerit ecclesiasticum, an seculare; & subvasallus etiam usque in infinitum subinfeudare valet, *d.* §. *similiter*, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 141. Mortuo tamen subinfeudante, ejus agnati subinfeudationem ratam habere non coguntur, sicut in *lib.* II. 20. §. *pen.* probabo, Alver. hic *n.* 8.

§. XII.

De personis, quæ investiri possunt.

Tertio Obertus agit de personis, quæ investiri possunt, & generaliter disponit, *personam vero investituram accipientis non distinguimus: nam etiam servus investiri poterit, nisi ignorantia prætendetur.* §. *personam h. t.* Et primo duplex occurrit regula; vetus, & recens: vetus regula erat, viris, tantum domi, militiæque claris, & nobilibus feuda concedi, ut & Rempubl. juvarent, & merita retribuerentur; quod originem beneficiis dedit, populisque ea cognoscentibus placuit. Quemadmodum acta Regum in septemtrione coronatione, *milites auratos, feudis abundanter distributis, cingulo, & ense, a clypeo præstitis tali tamen interveniente juramento in manibus alicujus Prælati assistentis facto creat*, nempe Rex, inquit, Magnus Olaus *lib.* XIII. *de Gentibus Septemtrio. c.* 7. Et in septentrionis gentibus pueri lubricam ætatem non nugis, blanditiis, otio, aut luxu, sed in militari disciplina transigebant, secus nec patriæ utiles, nec Principi fideles existimabantur. *Verum ne continuo rigore hujusmodi juvenes militaribus disciplinis constringantur, regia liberalitas eosdem semper erigit, & exaltat, ac specialibus donis, quibus ji mioribus obsequiis regiæ fidei se se constringant, adoptat quasi intrepi-* dos

dos in quovis certamine, ac vitae periculo subituros. Dona igitur gladii, Loricae, um bones, Frameae, & equi militares, & grandiores, atque annexa FEUDA: quibus omnibus veteri ritu speciales verborum formae, ac rationes seggillatim, cur dantur, accipianturve, sunt annexae. Talibus namque donis, & signis, ex tunc virilem togam, & libertatem induunt, qua sine tutoribus integrum bonorum suorum liceat habere moderamen, scribit idem Olaus *loc. cit. lib.* VIII. *c.* 9. Longobardi a septemtrione orti, nemini, nisi militibus feuda in Italia concedebant, & vasallum *militem*, & ejus munus *militare* dixerunt, II. *f.* 26. §. *beneficium*, II. *f.* 34. §. *similiter*, Hotom. *disput. feud. cap.* XIV.

Recens regula est: omnes investiri posse, nisi a lege, vel moribus prohibeantur: quae regula, nisi decipiam, non a pristinis in Italia longobardorum feudalibus institutis descendit, & nata est, sed a sapientum responsis, & variis Curiarum, & civitatum statutis, quae generaliter propemodum ad infeudationem admittebant. Hinc noster Obertus docet; in investituris *personam* non distinguimus. An videlicet liber, an servus, masculus, an faemina, major, an minor, pubes, an impubes, nobilis, an plebejus, filiusfam., an paterfam., clericus, an laicus, perfectus, an imperfectus, superior, an inferior fuerit. Nec tantum in Italia hic abusus irrepsit, sed & in Gallia, & Germania, cujus origo tunc proprie cepit, cum fatale illud hierosolymitanae expeditionis bellum voce unius hominis indictum, omnes fere Europaei feuda, & allodia sua plebeis, rusticis, mercatoribus vendebant, ut pecuniam erogarent; & apud eos remanserunt, licet ab antiqua militari disciplina, prudentia, & fortitudine hujusmodi homines manuum operis, & servilibus artibus assueti abducerentur. Et feuda ab illustribus familiis adquisita ad degeneres & viliores familias transierunt; & enarrat Order. Vital. *Hist. Eccl. lib.* IX. *ad an.* 1095. *Divitibus itaque, & pauperibus, viris, & mulieribus, Monachis, & Clericis, Urbanis, & rusticis, in Hierusalem eundi, aut euntes adjuvandi inerat voluntas mirabilis. Mariti dilectas conjuges domi relinquere disponebant. Illae vero gementes, relicta prole, cum omnibus divitiis suis in peregrinatione viros suos sequi valde cupiebant. Praedia vero hactenus clara vili precio tunc vendebantur, & arma emebantur, quibus ultio divina super illophylos exerceretur.*

§. XIII.
De infante, & minore.

Liber itaque feudum adquirere potest: & si est *infans*, quia nec vel-

velle, vel nolle dicitur, tutor ejus nomine investituram accipit, & infanti feudum adquirit; sicut infanti, hoc est minori septem annis hereditas delata, aut derelicta, *licebit parentibus ejus, sub quorum potestate est, adire ejus nomine hereditatem, vel bonorum possessionem petere*, inquit *l.* 18. *L. de jure delib.* Infante *major*, sed adhuc impubes, etiam sine tutoris auctoritate feudum accipere valet, hoc est investientem obligat, ipse tamen ad jusjurandum, & servitia non obligatur, nisi ad pubertatem, in qua doli est capax, perveniat II. *f.* 25. §. *si minori*. Nam feudum est contractus, infans sine tutoris auctoritate contrahere nequit, ejus vero tutor adquirit, & quia ex feudo mutua nascitur obligatio, pupillus major infante sine tutoris consensu se obligare prohibetur. Hoc casu feudi contractus non omnino corruit, & pupillus ad pubertatem perveniens, eum adprobat, & Dominus etiam invitus ex hoc contractu perinde obligatur, ac si legitime ab initio celebratus esset. Dominus enim infanti feudum concedens, scire debebat, ipsum sine tutoris auctoritate contrahere non posse *l.* 27. *D. de Contrah. emp.*, & Ulpian. *in l.* 13. §. 29. *D. de act. emp. Si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus: nam qui emit, obligatus est pupillo, pupillum sibi non obliguat*, Scrad. *par.* IV. *c.* 3. *n.* 5., Sonsbec. *par.* VII. *n.* 15., Vultej. *lib.* I. *c.* 4. *n.* 6., Buddingh. *disser. de orig. & nat. contr. feud.* §. 37. *Minor* etiam sine curatoris consensu feudum adquirit, quia ipse absque curatoris auctoritate personam suam obligare valet; hinc tutor, & curator differunt; tutor principaliter personæ, improprie rebus, curator rebus tantum datur. Ex feudo illa nascitur obligatio, quæ non res minoris, sed ejus personam concernit; quod non recte Sonsbec. *loc. cit. n.* 13. negavit. Secus si minor feudum emere, vel concedere vellet, tunc quia de rei suæ alienatione agitur, curatoris consensu indiget, Wesenbec. *cap.* V. *n.* 5.

§. XIV.

De filiofam.

Filiusfam. sine consensu patris adquirit feudum, nec ususfructus patri cedit, quia feudum inter allodia non recensetur, jus adquisitionis, & successionis ab iis separatum habet; hinc pater in feudo filii vasalli non succedit. Feudum est uti peculium castrense, cujus patri ususfructus negatur, cum militiæ contemplatio beneficia invenerit; nec refert an militia togata, an segata fuerit. Denique feudum datur filio, ut ex fructibus servire suo seniori posset, si pater fructus perciperet, filius servire nequiret, Caccialup. de feud. *art.* VI. *n.* 30., Wisenbac. ad instit. *disput.* XVI. *n.* 7., Vultej. *loc. cit. n.* 8. Feudi enim natura est, ut ususfructus ita ad accipientem

pertineat, ut ad eum, ejusque successores in perpetuum transiret, II. *f.* 23. Pater non est successor filii in re feudali; nec feuda alii adquiruntur, quam ei, quem senior idoneum judicavit. Sonsbecius vero *loc. cit. n.* 8. distinquit, ut si filius in militia, vel contemplatione militiæ in bello pugnans accepisset; aut si Imperator, vel Rex etiam non contemplatione militiæ dedisset, vel uti castrense, tunc Patri usufructus non quæritur; secus usumfructum habet. Non placet: cum semper feudum uti peculium castrense, vel quasi consideretur.

§. XV.
De Clerici.

Clericus de feudo recte investiri potest, II. *f.* 40. §. *item si clericus*. Introductis in Europa clientelis, Principes arcano quodam politiæ instituto, & piæ liberalitatis exercitio statim clericis, & Ecclesiis feuda concedere adacti sunt; quod in Gallia primum a Clodovæo cepit, quem ceteri præsertim stirps Carolina, excepit, P. de Marca *de Concord. lib.* VIII. *c.* 19. *n.* 2. Jam seculo VII., VIII., IX., & X. Comitatu, Ducatu, Marchionatu, Castris, Civitatibus, Provinciis, Territoriis, & locupletissimis Regum juribus, quæ *regalia* dicimus, fruebantur. Nec hujusmodi feudorum natura a ceteris laicorum feudis differebat; sed militaria servitia, equos, milites, arma præstare tenebantur, & loricati in prælia ibant. Militare servitium, uti consuetudo erat, ut pro unoquoque manso in feudum concesso, miles cum *Brunia* inserviret. Brunia est lorica, unde feudum *Loricæ*; aut si miles duos scutarios ducere teneretur, unde feudum *Scutiferorum*. Etenim hæc feuda a Principibus concessa alteri subinfeudare in parte, solebant; ut sedulo Imperatoribus in bello servirent; hinc *vassi* Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, *ministeriales*, *casati* frequenter occurrunt, Nat. Alex. *H.E. secul.* XIII. & XIV. *dissert.* VIII. *art.* 3., Ziegl. *de Episcop. Milit. cap.* 9. & *seqq.*, Hotom. *disp. feud. cap.* XI. Et quamvis canon assidue clericis arma vetuisset, tamen recte advertit Ziegl. *loc. cit. cap.* XI. §. 43. *Ceterum ut pro licitis haberentur arma clericorum, non dubito maximam partem provenisse ex obligatione feudali, postquam scilicet vel dare vel accipere feuda cepit Ecclesia, aut in ea clerici. Quia enim feudorum servitia ex primæva sua natura militaria sunt, & equestria propter quæ scilicet ipsi etiam vasalli milites appellantur, simul atque beneficia istiusmodi in Ecclesiam, aut personam Ecclesiasticam collata, aut jure successionis a talibus adquisita fuerunt, dubium mihi non est, maximas illico disputationes exortas fuisse, & quatenus subsisteret ista feudorum translatio.* Et infinita propemodum Historia suppeditat exempla, quibus Episco-

pos,

pos, clericosque simul cum suarum Ecclesiarum vasallis ad prælia armis indutos ituros edocemur; ipsi, ut honorem acciperent, primi in conflictu feriebant, Godefrid. Monach. *ad an.* 1179., & *an.* 1204. Chron. Augustens. *ad an.* 1078., Paul. Æmil. *lib.* IV., Annal. Fuldens. *ad an.* 849. & *an.* 884., Wulter. *in chron. Bremensi* de Leimaro Archiepiscopo, Radulph. *de Gest. Frider. I.* in *Italia*; iisque auctoritatibus Raynaudi opus *de religioso loricato* prorsus corruere oportet.

Ex his constat nostrum Obertum in *d.* §. *personam* h. t. *&* *d.* §. *item si clericus* iisdem in Italia ante & post eum vigentibus institutis innixus, in feudorum adquisitione laicos a clericis non distinguit. Et nec refert an feudum fuerit francum, an militaria servitia præstet; an summus Pontifex, an quilibet inferior Prælatus, qui a Rege, vel Imperatore, vel Privato recipiat, quod & juri feudali, & canonico convenit *d.* §. *item si*, *cap.* VI. *&* VII. *de foro compet.*, Ardizo, *in Sum. c.* 23., Joan. Blanc. *lib.* I. *c.* 5. *n.* 10. Rothi. *in Pand. feud. cap.* VI. *q.* 18., Buddingh *dissert. de orig. contr. feud.* §. 38. Verum metu irregularitatis, & effusionis sanguinis per substitutum servire potest. En legis elusio duobus modis nata; primus, dum Antistes in investituram militare servitium exigentem consentit, in arma, homicidia, cædes, vulnera consentire aut tacite, aut expresse videtur; & canon etiam chirurgiam clerico præsertim imperito prohibet: secundus est, appetit feuda, & postea servire nolit, quicquid recens disciplina imponat. Quare merito Zasi. *par.* V. *n.* 54. inquit, *nec certe satisfacere posse videtur communis illa, & plene frigida solutio, quod per substitutum saltem clericus serviat, quia tale quiddam posset videri, ac si furem quispiam excuset, si per substitutum furetur. Certe quod clerico prohibitum est, & substituto prohiberi intelligitur*. Et Duaren. *cap.* V. *in fin.* has infeudationes *ex corruptis moribus Ecclesiasticis*, *corrupta jam disciplina Ecclesiastica* descendere perhibet. Et Ziegl. *loc. cit. cap.* XI. §. 44. servire per substitutum *recens inventum*, *& a primæva feudi natura multam recedens* appellat; imo & moribus Longobardorum adversatur. At cum generali consuetudine obluctari difficile; licet in feudis non succedat II. *f.* 21., II. *f.* 26. §. *qui clericus*, II. *f.* 30. §. *ex hoc*, II. *f.* 36. Ratio differentiæ est, quia dum clericus feudum accipit, Dominus per substitutum servire videtur assentiri, & sibi imputandum, si sibi noceat. Hinc si senior alicui feudum concedit, nesciens eum esse clericum, revocare potest. Dum vero laico concessit, quia futurum hariolari non poterat, si clericus evadit, non succedit, sed amittit, Scrad. *par.* IV. *c.* 3. *n.* 7. Vultej. *lib.* I. *c.* 4. *n.* 9., Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* 3. *c.* I. §. I. *n.* 6.

Moribus etiam in feudo antiquo succedunt, Boehm. *de feud. Eccl.* *c.* II. §. 4.

§. XVI.
De Monacho.

Monachus recte feudum habere valet, non sibi, sed monasterio adquirit, quia *monasterio ipso ingressu se suaque* Deo dicavit, inquit *auth. ingressi C. de SS. Eccl.*, modo monasterium adquisitionis capax fuerit, & nisi lex amortitazionis prohibeat, antequam in Europa monasteria, Abbatiæ, & cænobia feudis nimium ditissimis scatebant, ut sæpius probatum est. Quamvis in pluribus Germaniæ provinciis ex *Principis, atque ordinum gratia, monasteriis, quæ ex sui ordinis regula possessionum sunt capacia, feuda adquiri possunt, quo casu per substitutum hominem mortalem homagium, fidem, atque obsequia præstabunt, quo moriente feudi in alia persona fiat renovatio, diversa tamen ratio erit, si monachi, non monasterii respectu concessio facta fuerit, quo casu ex persona monachi monasterium habebit usumfructum, qui monacho moriente extinguatur, remigrante feudo ad Dominum, vel ex concessionis formula ad monachi proximiores*, inquit recte. A Sande *loc. cit. tit.* I. *cap.* I. *n.* 47., Scrad. *loc. cit.*, Sonsbec. *par.* VII. *n.* 23., Buddingh *loc. cit.*, Struw. *f. j. f. cap.* V. *c.* 15. *n.* 3. Collegiis, oppidis, universitatibus feuda dari possunt, nisi amortizatio vetet, Christin. *to.* VI. *dec. Belg.* 39. *n.* 76., P. Greg. *de Republ. lib.* III. *c.* 7. *n.* 38., & prolixe Bodin. *de Republ. lib.* V. *c.* 2.

§. XVII.
De privato Nobili, & Rustico.

Nec modo summus Imperator, vel Pontifex feuda concedere privatis possunt, *sed & ipsi a privatis recipere, & recognoscere non probibentur.* Sic Carolus V. fuit Vasallus Regis Galliæ ob Flandriam, & Atrebatam. Rex Scotiæ vasallus est Regis Angliæ, Rex Daniæ est in quadam Holsatiæ parte R. Imperii vasallus. Præterea Regna, quæ olim religionis amore sedi apostolicæ tanquam seniori se subjecerunt, Vultej. *lib.* I. *cap.* IV. *n.* 10. Rex Daniæ a Duce Brunsuicensi terram Budiadingensem in feudum tenet: Dux Brunvisensis feuda recognoscit ab Abbatissa Quedlinburgensi, Gandersheimensi, Helmstadium simul cum clientelis tenet ab Abbate Werthinensi. Electores Germaniæ ab Episcopo Bambergensi beneficia quoque cognoscunt, & per substitutum servitia præstant, Buddingh *loc. cit.* §. 39.

Fæmina beneficii capax est I. *f.* 8. §. *filia*, II. *f.* 30., I. *f.* I. §. 3., II. *f.* 51. §. *similiter*, II. *f.* II, II. *f.* 17., II. *f.* 50., verum, inspecta feudorum origine, hæc non nisi domi, militiæque claris daban-

dabantur, qui Reipublicæ laboribus, meritis, vitæ periculo, & fortitudine operam navarunt; & feminarum nomen a clientelis procul aberat. Postea, aut ob sexus dulcedinem, aut ob luxus copiam, aut ob amorem successionis, aut ob blanditias senioribus actas, invitis feudorum legibus, & obnitente Gentium voluntate, novæ, & veteris investituræ capaces evaserunt, Hotom. *disput. feud. cap.* xv., Gudelin. *par.* II. *c.* 2. *n.* 5., Rothi. *loc. cit. cap.* XI., potissimum nostris moribus, dum per substitutum servire valent. Proinde assidua in investituris Fœminarum invitatio, earum jus, quod prius incertum, precarium, & rarum erat; certum, assiduum, ordinariumque evasit.

Nobilis, aut *rusticus* feuda accipiunt, II. *f.* 10. §. *ceteri*, II. *f.* 26. §. *beneficium*: licet olim in Gallia contenderetur, an rusticus feudum recipere posset? affirmatio obtinuit, P. Greg. *Synt. lib.* VI. *c.* 4. *n.* 8., Struv. *S. J. F. cap.* v. 15. Coram Rege, & Imperatore nec nobilis, nec rusticus est, sed quisque æqualis censetur: Nobilis tamen vasallus suum feudum rustico subinfeudare nequit, ne senioris conditioni noceret, quum subinfeudatio fieri debeat ei, qui æqualis conditionis cum vasallo est, II. *f.* 34. §. *similiter*. Quæsitum est, an rusticus infeudatione nobilitatem adquirat? Duaren. *cap.* IV. *n.* 8. distinguit, si a Principe excipiat, nobilis evadit, secus si a privato, sive Comite, Duce, aliove teneat, quia solius Principis est nobilitatem conferre. Rectius Herman. Vultej. *lib.* I. *c.* 8. *n.* 17. duo requirit, ut feudum dicatur nobile, *potestatem*, & *voluntatem* concedentis, quæ duo copulative conjungenda. Nam ducatus, comitatus ex se & uti clientelæ nobilitatem non præseferunt, nec feudum nobile ipsum nobilitat possessorem, sed feudum nobilitati jam constitutæ accedit, quia res hominibus, non autem homines rebus accedunt *l.* 44. *D. de ædil. edic.* Recte Bodin. *de Republ. lib.* III. *c. ult. Sæpe video quæsitum, an sit nobilitatus qui militiam ex casu, seu feudum adeptus est, id quidem plerisque video placuisse, modo imperium majus feudo annexum, & adjunctum fuerit, uti sunt Duces, Comites, Marchiones, aut si fiduciæ tabulis, ac legibus ab ipso Principe nobilitas diserte rebus ipsis expressa & possessoribus tributa sit. Hinc illa feudorum nobilium, ac ignobilium origo manavit. Sed nostris moribus, quibus feuda eodem quod cetera prædia jure censentur, quod ad personarum jus attinet, nihilo nobilior est opifex, qui ducatum hereditario jure, aut pro emtore, quam si prædium vectigale possideret: certe majoribus nostris absurdum visum est, quod a te non haberent, a jure prædiatorio dignitatem expiscari, & personas, ipsas rebus, quasi picturam tabulæ cedere: indignius etiam jura nobilitatis in hominum*

num commercia venire, Becmanus *Syntag. dignitat. to.* I I. *dissert.* 14. *c.* 2. §. 12.

§. XVIII.

De imperfecto, & servo.

Metus, *Surdus*, *Cæcus*, *Furiosus*, *mentecaptus* accipiunt feuda, si eorum vitia, atque imbecillitatem investiens calleat, quamvis servire non valeant, quia senior eos investiens servitia remisisse, & juri suo renunciasse censetur, aut per substitutum servire indulget. Nec refert, an de feudo novo, an de antiquo, agnitis feudalibus deficientibus, investiantur: an in feudo succedant? infra dabo, Vultej. *lib.* I. *c.* 4. *n.* II., Rosent. *cap.* III. 8., Zasi. *par.* VIII. *n.* 78. Si hujusmodi personæ ob mentis diminutionem animum declarare non possunt, auctoritas curatoris exigitur, sicut quilibet contractus eam exposcit, Rothi. *loc. cit. cap.* VI. *q.* 20. & 21.

Hactenus de liberis, nunc ad servos: distinguendum. Aut Dominus servum suum investit, & simul cum libertate clientelam adipiscitur, quia statim ac feudum concessit, libertatem dedisse videtur, sicut si heredem eum stituisset *l. pen. C. de necess. serv.* Aut servum alienum investit, & sciat eum esse servum, valet feudi collatio, si ejus dominus feudi capax fuerit. Nam servus uti servus prohibetur adquirere, quia pro mortuo civiliter existimatur, & civile caput non habet, hoc est jura, quæ cuique civitatis privilegia, & commoda attribuunt, non gaudet. Aut putasset eum esse personam ingenuam, & investitura corruit, cum erranti consensus non assideat, Vultej. *lib.* I. *c.* 4. *n.* 7., Sonsbec. *par.* VII. *n.* 21., Christin. *dec.* IX. *to.* VI. *Belg. n.* 2. & 3., Ardizo *in sum. c.* 23. In feudum tamen servus alteri dare non potest, quia, inquit, Rothar. *in l.* I. *LL. long. lib.* II. 32. *Servo cujuscumque non liceat sine permissu domini sui, neque terram, neque mancipia, nec quamcumque rem vendere aut liberum dimittere*. Hac in re Longobardi in Italia a sapienti Romanorum politia discesserunt: Roma ab omni dignitate, munere, & militia servos arcebat, Lombardia autem militiæ cingulo vilissimos homines ornabat: quod Ottoni Frisig. *lib.* II. *de Gestis frid.* I. *c.* 13. displicuit, *ut etiam ad comprimendos vicinos materia non careant, inferioris conditionis juvenes, vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices, quos ceteræ gentes ab honestioribus & liberioribus studiis, tanquam pestem propellunt, ad militiæ cingulum, vel dignitatum gradus assumere non dedignantur. Ex quo factum est, ut ceteris orbis civitatibus, divitiis, & potentia præmineant.*

Ab his servis distinguuntur *homines proprii*, quia levem servitutis speciem serviebant, ut originarii, coloni, censiti, adscriptitii, quo-

quorum obligatio erat, domini personam iis semper honestam, & sanctam esse, non eam criminaliter accusare, non agere actione famosa, sacramentum fidelitatis præbere, auxilium præstare, censum capitis solvere, angarias, & parangarias exibere, & similia. Dominus in iis jurisdictionem exercebat, unde rivus patrimonialis jurisdictionis permeavit; testamenti, & contractuum factionem retinebant. At quamvis servi apud Germanos, & Longobardos essent, tamen jus vitæ, & necis, & asperitatis nunquam exercebant, sed adeo coercere solerent, ut Reipublicæ salus his hominum speciebus non periclitaretur, quod male Jonas Eucharius Erhardt. *tract. de oper. rusticor. concl.* v. negavit. Hinc Narsetes ad mortem Dominum damnavit, qui servum suum interfecit, Agath. *lib.* II. *de bello Gothic.*, Paul. Diacon. *lib.* I. *de Gest. longob. cap.* 13., Prolixe Beat. Rhenen. *lib.* II. *rer. German.*, Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* I. §. 20. *tit.* I. *& seqq.*, Frider. Hulan. *tract. de servis*, eleganter Vadian. *lib.* II. *de collegi. Monast. German.* apud Goldastum *in Scriptor. Aleman. to.* III. *p.* 55., Originem servitutis in Germania explicat Hospinian. *de Monach. lib.* IV. *c.* 26. Unde homines proprii feuda adquirere, & sibi retinere poterant, Vultej. *lib.* I. *n.* 7. Hodie omnis servitus inter christianos quiescit, & cum barbaris tantum exercetur.

Quamvis nemo a liberalitate Principis, & libera privati dominii administratione excludatur, sæpius tamen ob crimen ne feudo quidem novo dignus est, ut hæreticus, majori excommunicatione deportatus, bannitus, crimine commaculatus, Joan. Blanc. *lib.* I. *c.* 5. *n.* II. *&* 12., conf. Sylvan. *de feud. recogn. q.* 101. Quin imo *secundum juris saxonici placita, clerici, feminæ, rustici, mercatores, infames, spurii, & omnes, quorum, pater, avus, & proavus nobiles non fuerunt, feuda nova acquirere non possunt & si quis hisce personis sciens, atque prudens feudum concesserit, hæc concessio vivo quidem tam domino feudi, quam vasallo investito valet, atque tenet, sed vel domino, vel vasallo mortuo, etiam superstitibus heredibus masculis, hæc investitura evanescit, & feudum rursus vel ad dominum feudi, vel heredes illius revertitur*, inquit, Scrad. *par.* IV. *c. ult. n.* 8.

§. XIX.

De investitura per procuratorem.

Subdit feudista, *sed utrum ipse, vel alius pro te investituram faciat, vel suscipiat, nihil interesse putamus. Potest enim hoc negotium, & per procuratorem ab utraque parte expediri*. Sive abusiva, sive propria fuerit investitura. Nam investitura non est actus legitimus, diem, & conditionem recipit, est contractus feudalis perfectio, per procuratorem fieri potest, & proinde senior per procuratorem investit, & vasallus per eundem investitu-

stituram suscipit, quo jure hodie R. Imperium utitur, nisi senior justa de caussa vasalli præsentiam requirat, Strykius *Exam. jur. feud. cap.* XII. §. 20. Procurator speciali indiget mandato. Verum si senior procuratorem recipere nolit, ipsemet vasallus exhibere se tenetur, nisi justam caussam afferat. Rex Bohemiæ ob Ducatum Silesiæ, Moraviæ, & Lusatiæ in finibus sui regni, aut non ultra XV. milliaria a Regno Bohemiæ investituram petit, Rothi. *loc. cit. cap.* XII. *q.* 23. Præterea, vacante R. imperio, investitura de feudis minoribus Baronum, Comitum, & nobilium a Palatino Rheni conceditur, de quo A. Bulla Caroli IV. §. *quoties* I. *cum potestate judicia exercendi, & ad beneficia ecclesiastica, recolligendi, reditus, & proventus, & investiendi de feudis juramenta fidelitatis vice, & nomine sacri imperii recipiendi: quæ tamen per Regem Romanorum postea electum, suo tempore omnia innovari, & de novo sibi ipsa juramenta præstari debebunt, feudis Principum dumtaxat exceptis, & illis quæ Vanleben* (quæ scilicet per vexillum deferuntur) *vulgariter appellantur, quorum investituram, & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reservamus*. Majorum itaque feudorum investituras concedere soli Imperatori vindicatur.

In nonnullis Germaniæ Regionibus, constitui solet prædominus, procurator generalis, director rerum feudalium, qui nomine senioris investit. Sic Marchiones Brandenburgici, ne vasalli in Austria investituram extra territorium accipere tenerentur, in Austria feudalem curiam constituerunt. Unde Laurentius Fleischerus *Institut. juris feudalis c.* XI. §. 10. de hac Curia, & Prædomino scribit: *Munus summi rerum feudalium præfecti, in hoc consistit, ut nomine Serenissimorum Marggrafiorum, feuda vasallis renovationem investituræ petentibus conferat, ac juramenti fidelitatis præstationem exigat, & reversales accipiat, ac custodiat. Deinde, ut una cum rerum feudalium præposito, in casibus, si vasalli, uxoribus dote, dotalitium, morgengabam, aliaque in feudis testamento constituere, & legare, sive si feuda vendere, oppignorare, emere, sive alio titulo alienare velint, relationem, adjuncto consilio, an conducat, an non? transmittat, atque sine Serenifs. Marchionum decreto, haud quicquam horum confirmet porro, ut una cum rerum feudalium præposito, feudorum, quæ aperta fiunt, qualitatem, & naturam transcribat. Denique nomine Serenifs. Marggrafiorum, judicis vices gerit, vasallos coram se, ac judicio feudali citat, illorum caussas, & controversias exaudit, sententiam juxta regionis, ac consuetudines feudales pronunciat, & unicuique jus suum tribuit, de quibus omnibus tamen Serenifs. Domini Maggrafii referendo certiores reddi debent.*

§.XX.

§. XX.

De Necessitate fidelitatis.

Et quoniam investitura plerumque propter fidelitatem exhibetur, idcirco *nulla*, (sive nova, sive vetus) *investitura*, *debet ei fieri*, *qui fidelitatem facere recusat* : *cum a fidelitate feudum dicatur*, *vel a fide* : *nisi eo pacto adquisitum sit ei feudum*, *ut sine juramento fidelitatis habeatur*, §. *nulla h. t.*, II. *f.* 20. Aut senior investire promisit, aut abusive investivit, & vasallus hominium, sive homagium agere recusat, & realem investituram traditione videlicet possessionis facere non tenetur. Aut tempus anni, & diei renovationi investituræ destinatum elabatur, & tunc vasallus feudo cadit. Excipit, nisi esset feudum, quod fidelitatis jusjurandum non requirat, Hotom. *hic* feudistam arguit, quasi clientela sine fidelitate reperiatur. Male : aliud est fidelitatis jusjurandum, aliud est fides. Jusjurandum remitti, non autem fides potest. Fides est præstatio illorum, quæ forma fidelitatis *in* II. *f.* 6. *&* 7. continet, est deliberata vasalli voluntas Dominum non lædendi, & omittendi, quæ nocere valent. Unde feudum *jurabile* est, pro quo juratur fidelitas domino. Non *jurabile*, si conceditur eo pacto, ut fidelitas non juretur, non autem ut non præstetur. Fidelitas in jure feudali idem est ac vasallagium, quod Dominus remittere potest, quia vasallo absque jurisjurandi, seu juratæ fidelitatis præstatione fidem adhibet. Hinc recte feudi etymon a fide deducit, quæ formam feudo contribuit, Vultej. *lib.* I. *c.* 6. *n.* 10.

T I T U L U S IV.

Quid præcedere debeat an investitura, vel fidelitas.

HIc titulus est pars antecedentis, & olim indivisus, postea Glossographus divisit. Satis de investitura dixit, nunc quærit, an fidelitas investituram, vel investitura fidelitatem præcedere debeat ? & respondit, *investitura præcedit fidelitatem*, II. *f.* 7. *in fin. Utrum autem præcedere debeat : fidelitas investituram*, *an investitura fidelitatem*, *quæsitum scio* : *&* *sape responsum est*, *investituram debere præcedere fidelitatem*. *Fidelitatem autem dicimus*, *jusjurandum*, *quod a vasallo præstatur domino*. Nam primo abusiva celebratur investitura annulo, hasta, aliove symbolo, & ut, inquit, Otto Frisig. *de G. F.* I. *lib.* II. *c.* 5. *est enim consuetudo Curiæ*, *ut regna per gladium*, *provinciæ per vexillum a Principe tradantur*, *vel recipiantur*. Secundo fidelitas præstatur ; tertio realis succedit investitura, dum senior, aut ejus procurator vasallum in

V feu-

feudi possessionem immittit, Curt. *par.* 11. *n.* 37. Hinc poster titulus de feudo novo, non antiquo intelligendus: Nam feudi antiqui nulla dari proprie potest investitura, sed quæ olim data fuit, confirmatur. Proinde successori tantum incumbit, eam renovare, præstito jurejurando, & possessionem feudi a majorum providentia adquisiti confirmare.

Ratio, cur investitura fidelitatem præcedere debeat, est quia caussa jurisjurandi est feudum, propter quod investitus ad hanc sponsionem, obsequiumque tenetur; investitura est caussa, fidelitas est effectus, & caussa effectum præcedit. Non obstat *d.* 11. *f.* 3. §. *fin.* ubi recusanti facere fidelitatem nullam exhiberi investituram. Sive enim de nova, sive de vetere investitura accipiatur, si tantum promisit investire, postea vasallum nolle jurare præsentiat, aut abusive investivit, recusanti realis faciunda non est investitura, ut supra dixi, & mecum sensit Gudelin. *par.* 11. *c.* 7. *n.* 5., nempe si vasallus se, etiamsi investiatur, aut acta investitura, fidelitatem non præstaturum venditat. Nihilominus arbitrio vasalli ante omnem investituræ celebrationem jusjurandum præstare potest; aut eodem tempore investituram abusivam, fidelitatem, & in feudi possessionem peragi, & induci; aut seorsim hæc omnia definire, quin feudi constitutio, atque adquisitio lædatur Alver. *hic*, Gudelin. *loc. cit.* *n.* 3. & 4.

T I T U L U S V.

Qualiter jurare debeat vasallus Domino fidelitatem.

HIc titulus olim erat secundus, deinde ex Glossographi divisione quintus evasit, & eleganter ordinem redolet, cum superius de fidelitate dixisset, nunc formam jurisjurandi, quænam esse debeat, declarat. Et tres juramenti species enarrat, primam, quam vasallus ratione feudi domino; secundam, quam domesticus; tertiam, quam subditus præstat.

§. XXI.

De jurejurando vassatico.

Vasalli jurisjurandi forma est. *Ego juro ad hæc sancta Dei evangelia, quod a modo in antea ero fidelis huic, sicut debet esse vasallus domino: nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis, commiserit* (*dominus*) *pandam, alii ad ejus detrimentum* (manifestabo) *me sciente princ. h. t.* Modus obtinendi investituram est jurisjurandi, & servitii exhibitio, quod tempore idoneo vasallus dabit. Sæpius tamen jurare compellitur, sæpius si vasallus velit. Cogitur, si renovatio investituræ contingat, quam si intra annum, & diem non petit,

petit, feudo cadit. Sed, dum nova feudi investitura occurrit, præstolari potest, donec Dominus eum citet; & si senior dolo malo differre curet, vasallus diem statuere potest, quo Dominus investituram recipiat; aut si latitat, judex ordinarius seniorem compellet, sicut æquitas suadet. Huic oneri omnis clientelæ species obnoxia est, sive franca, sive cum servitio militari, pagano, aut aulico fuerit; nec refert an vasallus secularis, an ecclesiasticus feudum teneat. Nec tamen cogitur, ut ipsemet juret; sed per procuratorem præsertim clericus hominium præstare potest 11. *f.* 3. §. *sed utrum*, & prolixe hoc jusjurandum *in lib.* 111. 2. §. 3. exposui, modumque, quo vasallus jurare debeat, consuetudo docebit: nam nunc flexis genibus, nunc pileo elevato, nunc manibus junctis in manus Domini, nunc neminem in hominio excipit, & *ligium* vocatur; nunc aliquem excludit, & non *ligium* dicimus, Jac. a S. Georg. *tract. de homagiis n.* 2. *& seqq.*

§. XXII.

De jurejurando domestico.

Jusjurandum domesticum est, quod ob familiaritatem alicui præstat, licet ab eo nullam clientelam recognoscat; nempe si est Camerarius, Consiliarius, Pincerna, Dapifer alicujus Domini, a quo officium, honorem, & pensionem obtinet, & jusjurandum assecurationis vocatur. Cujus origo, ex perturbato Italiæ statu placitisque feudorum pendet; dum Imperator unicuique civitati Comites, atque officiales in justitiæ administratione præponeret, atque in Alemanniam pergere cogeretur, ut eorum fidem, & integritatem exploraret, & tutus esset, jusjurandum assecurationis exigebat. Cujus exemplo aliæ Italiæ civitates a consulibus, & Potestatibus propria auctoritate electis repetere non desinebant. Nam nullus tam facilius nocere nobis potest, quam inimicus familiaris, qui diligentius vias instruendi insidias callet *l.* 27. *C. de donat.* Sed jurisjurandi religio omnem nocendi occasionem compescit, viamque occludit: Si autem lædendi suspicio cessat, jurejurando non indiget, ut filius respectu patris, uxor respectu viri, & vicissim existimatur. Nec refert an secularis, an clericus fuerit, etsi nonnulli clericum cogi non posse asserant, Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti præstiterunt n.* 3., Ancr. *hic n.* 1. Alver. *n.* 3.

§. XXIII.

De jurejurando subditi.

Jusjurandum, quod subditus præstat, videlicet ob jurisdictionem, & territorium, in quo prædia, & bona sua possidet, etiamsi ea non jure feudi a Domino territorii teneat, sed jure optumo, maxumo habeat §. *si vero h. t.* Aut si domicilium habeat, licet bo-

na non possideat, ne subditi contra Principem Territorii conspirarent, ne proditionem committerent, ne deteriorem domini conditionem redderent. Hæc jurisjurandi species in barbaris nata est, sua tamen non caret æquitate, ne territorii Princeps de subditorum fidelitate suspicetur: Nec interest, an laicus sit, an clericus. Exemplum est *in cap.* 31. *de jurejur.*, cujus hæc est species: recuperata terra promissionis, illius ditio in quatuor imperia divisa fuit, regnum Hierosolymitanum, Comitatum Tripolitanum, Comitatum Edessanum, & Principatum Antiochenum; unus tamen Rex regebat. Cum Raymundus Antiochiæ Princeps timeret, ne in antiochena urbe contra suam dignitatem quis conjuraret, vacante Ecclesia Antiochena, ejusdem Ecclesiæ Canonicos jurejurando adegit, ut jurarent, *non erimus contra te*. Tempore Honorii III. quæsitum fuit, an canonici de juribus suæ Ecclesiæ, salva jurisjurandi religione, litigare possent? Honorius affirmavit, nec jusjurandi Raymundo præstitum improbavit. Patriarcha Aquilejensis Gregorio VII. in Synodo Romana an. 1079. jusjurandum canonicæ obedientiæ, & fidelitatis his verbis promisit, *non ero in consilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut papatum perdat, aut capiatur mala captione cap.* 4. *de jurej.* quod & eidem Episcopi præstabant, P. de Marca *de Concord. lib.* VI. *c.* 7. *n.* 7.

Imp. Frederic. I. ab Episcopis, civibus Veronensibus, aliisque in Italia hujusmodi exegit jusjurandum, cujus Formulam refert Radev. *lib.* 1. *c.* 19. *Ego juro quod amodo in antea ero fidelis Domino meo Friderico Romanorum Imperatori contra omnes homines, sicut jure debeo Domino, & Imperatori, & adjuvabo eum retinere coronam imperii, & omnem honorem ejus in Italia nominatim, & specialiter civitatem illam, & quicquid in ea juris habere debet, vel in omni virtute Comitatus, vel Episcopatus. Regalia sua ei non auferam ibidem, nec alibi, & si fuerint ablata bona fide recuperare, & retinere adjuvabo. Neque in consilio ero, neque in facto, quod vitam, membrum, vel honorem suum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum ejus, quod ipse mihi fecerit, per se, vel Epistolam suam, aut per legatum suum, de faciunda justitia, fideliter observabo, & illud audire, vel recipere, vel complere nullo malo ingenio evitabo. Hæc omnia observabo bona fide sine fraude. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor evangelia.* Idem Imperator a Mediolanensibus ab an. XIV. usque ad lxx. etiam repetiit, Radevic. *lib.* 1. *c.* 40. Et Carolus M. simile a suis subditis vindicavit. *Promitto ego, quod ab isto die in antea fidelis sum Domino Carolo piissimo Imperatori, filio Pippini Regis, & Berthanæ reginæ pura monte, absque fraude, & malo ingenio, de mea*

parte

parte ad suam partem, & ad honorem regni sui, sicut per drictum debet esse homo domino suo. Sic me adjuvet Deus, & ista sanctorum patrocinia, quæ in hoc loco sunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem, in quantum mihi Deus intellectum dederit, sic adtendum, & consentiam, sic refert Sirmund. *to.* 11. *Capp. RR. Francor. p.* 1772. Etenim clericus est civis, & sicut ceteri, insidias seculari Principi sternere valet, licet consultius esset ab eo non petere. Cui enim divina committimus, humana committere cur timemus. Sic & de flamine diali, & Sacerdote vestali, Prætoris edictum apud Gell. *lib.* x. 15. statuit, *Sacerdotem vestalem, & flaminem dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam*.

Jusjurandum, quod cives, & subditi præstant, quatuor continet; *nominatim vitam, membrum, mentem, & ejus rectum bonorem custodire jurabit* §. *si vero h. t.* Jac. a S. Georg. *loc. cit. n.*4. in quibusdam libris, inquit, pro *mentem* legi *mortem*. Sensus formulæ est; debeo tueri vitam, & honorem domini pro aris, & focis, ne ab alio lædatur; custodire & mentem, hoc est secretum quod in ejus detrimentum non pandam. Si legere velimus, *mortem*, intelligitur, ut domesticus, & civis, qui æquale præstant jusjurandum, mortem sui domini evitare debebunt. Quod etiam Frid. II. in Const. *Domini a vasallis lib.* III. 18. postea retinuit, ut in Codice dicam.

TITULUS VI.

De forma fidelitatis.

OLim quoque hic titulus antecedentis pars erat, quem Glossographi postea diviserunt, sicut ordo suadet. Supra enim feudista generaliter jurisjurandi vasallitici formam retulit. Sed quia tam vasallus, quam senior addubitare poterant, quid illa formula comprehenderet, ne vasallus ad plura, quæ non deberet, obligaretur; & ne dominus plura exigeret, quæ vassus exhibere non debebat; idcirco capitula hominii nominatim exprimere voluit, quæ ex Episto. Fulberti exscripsit. Fulbertus *vir suo tempore liberalium artium peritissimus*, ut inquit, Henricus Gandavensis, doctrina, & sanctitate seculo XI. floruit, & *an.* 1028. obiit, ex Cancellario Roberti Regis Episcopus Carnotensis; precibus, & consilio Willelmi IV. Aquitaniæ Ducis formulam jurisjurandi composuit, quem de gravioribus causis consulere solebat, *etiam de ipsa formula fidelitatis, quam vasallus præstat domino feudi, & ab ipso eam formam accepit, quam Gratianus in decreto* (can. 18. XXII. q. 5) *exscripsit ex epistola Fulberti, & post eum auctores juris feudorum*, inquit, Altesér. *Rer. Aquit. lib.* IX. *c.* 6.

§. XXIV.

§. XXIV.

De mutua inter dominum, & vasallum fidelitate.

Hoc jusjurandum sex continet capitula, honestum, tutum, incolume, utile, facile, & possibile, quæ prolixe *lib.* III. 2. §. 4. assecutus sum. Illud memoria dignum *in fin. h. t.* occurrit, nempe, *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille, qui in eorum prævaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus, & perjurus.* Sicut vasallus illa sex suo seniori, ita senior suo vasallo fideliter exhibere debet, exemplo Romanorum clientelæ, quæ mutuam quodammodo obligationem, & fidelitatem continebant. De qua Dionys. Alicar. *lib.* I. *Antiq.* scribit. *Commune autem utriusque erat, ne fas, aut jus esset alteris accusare alteros, aut adversum dicere testimonium, ferreve suffragium, aut censeri inter inimicos. Quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere tenebatur lege de proditoribus, quam sanxit Romulus: convictumque ejus criminis cujusvis fas erat, ut diti sacrum, interficere. Mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora devovere deo cuipiam, præcipue diis inferis: quod tunc quoque fecit Romulus., quapropter per multas ætates permansit mutua patronorum, ac clientum copula, haud secus, quam cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita &c.* Et dixi *in prolegom. istarum prælect.*

Nec tamen vasallo senior hominium seu juratam religionem præstat, quia nihil a vasallo recipit, sed vasallus propter prædium, vel jus in clientelam concessum ad jusjurandum tenetur. Non expresse, sed tacite dominus fidelitatem vasallo stipulari censetur, secus mutua clientelæ constitutio non nasceretur, qua nihil sanctius, firmius, magisque perpetuum in societate excogitari potest. Dominus itaque non debet turbare vasallum in possessione feudi, nec in jure utendi fruendi, in contractu feudali conventa adimplere, fidelitatem non proprie ex feudo, sed ex jure gentium natam, tacitoque pacto constitutam præstare, ut in *prolegom. istarum prelectio.* dixi, Lorber. *Inst. juris feud. lib.* III. *tit.* X. §. 384. In ceteris fidelis esse debet, secus *frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat cap.* 75. *de R. J. in* VI., & Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tract.* II. *tit.* 2. *cap.* 2. se in antiquis Germaniæ registris feudalibus hanc formulam invenisse scribit, *ut ille mihi tanquam homini ac famulo suo patrocinium præstet pro necessitudine, quæ est inter dominum, ejusque hominem ac famulum.*

TI-

T I T U L U S VII.
De nova forma fidelitatis.

JUriſjurandi formula nuper *tit.* 5. recenſita antiquior in Italia videtur eſſe, & undique obtinuit. Poſtea in omni fere curia invaluit & alia, quam hic feuda refert. *Ego Titius ſuper hæc Sancta Dei evangelia, quod ab hac hora in antea uſque ad ultimum diem vitæ meæ ero fidelis tibi Cajo Domino meo, contra omnem hominem, excepto Imperatore, vel Rege.* Civitates enim Italiæ, Comites, Duces, Marchiones, & homines omnino privati dum in infeudatione fidelitatem a ſuis vaſallis exigebant, Imperatorem, vel Regem excipere ſolerent. Quo ſpreto, cedes, devaſtationes, bella in propriis domibus, & prædiis Italia vidit. Excipiendus quoque erat antiquior ~~Dominus, cui prius juraverat~~. Plures patriam, religionem, uxorem, filios, fratrem, patrem merito & excipiunt, quia ubi major eſt jurium copia, ibi major exiſtit obligatio; majores obligationes in his perſonis, quam in ſeniore profitemur.

Quoniam laudata juriſjurandi formula ignaris in Italia obſcura videbatur, aliam hic enunciat; quamvis Cujacius in melioribus libris formulas *in tit.* 6., *&* 7. non extare aſſerat, & ab aliis inſertas credit. Nihilominus ſatis eleganter compoſita eſt. *Ego juro, quod nunquam ſcienter ero in conſilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod: vel quod tu recipias in perſona aliquam læſionem, vel contumeliam, vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis, & ſi ſcivero, vel audivero de aliquo qui velit aliquod iſtorum contra te facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo: Et ſi impedimentum præſtare nequivero, quam cito potero, tibi nuntiabo: & contra eum prout potero, auxilium meum tibi præſtabo, & ſi contingerit te rem aliquam, quam habes, vel habebis, injuſte, vel fortuito caſu amittere, eam recuperare juvabo, & recuperatam omni tempore retinere. Et ſi ſcivero te velle juſte aliquem offendere, & inde generaliter, vel ſpecialiter fuero requiſitus, meum tibi, ſicut potero, præſtabo auxilium. Et ſi aliquid mihi de ſecreto manifeſtaveris, illud ſine licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam: & ſi conſilium mihi ſuper aliquo facto poſtulaveris: illud tibi dabo conſilium quod mihi videbitur magis expedire tibi: & nunquam ex perſona mea aliquid faciam ſcienter, quod pertineat ad tuam, vel tuorum injuriam, vel contumeliam.* Alias alii adhibent formulas, ſicut Regionum jubet conſuetudo.

§.XXV.

§. XXV.

De obligatione Domini.

Postea apto ordine subdit, *investitura vero facta, & fidelitate subsecuta, omni modo conatur dominus investitum in vacuam possessionem mittere, quod si differat, omnem utilitatem ei præstabit*, II. *f.* 26. §. *si facta*. Peracta verbali investitura, & præstito hominio, senior necessario vasallum in feudi possessionem immittere cogitur; nec pænitere, nec ab hac obligatione se eximere valet, etiamsi lucrum cessans, & damnum emergens solvere, & restituere vellet. Si moram contraxit, omne interesse præstabit. Ratio non una est: Prima, tunc in Italia Martinum inter & Bulgarum disputatio celebrabatur, an venditor, præstando id quod interest, a traditionis necessitate liberari posset? Martinus negabat, si tradendi facultatem haberet; Bulgarus contra; quicquid de jure civili valeat, in jure feudali Martini sententia recepta videtur. Secunda, quia Dominus investitura suam obligat personam, ut tradat, si vasallum sibi esse obligatum velit. Si nata est in seniore obligatio, igitur vasallus jus quæsivit, non quodlibet, sed illud, quod rei vindicatione petere potest; qua actione reus conventus, rei æstimationem, aliudve offerendo, non eximitur, cum tradere cogatur *l.* 68. *D. de R. V.*, Gudelin. *par.* II. *c.* 9. *n.* 6., Rothi. *in pand. feud. cap.* XVIII. *q.* 3. & 4., Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 11., Duaren. *cap.* VII. *n.* 6. & 7. Nec quælibet possessionis traditio juvat, sed quæ est *vacua*, eamque in bonis suis habere, & retinere vasallus posset, id est quam nemo detinet. Sæpius tamen senior ab hac obligatione se eximit, si tradendi facultatem non habet, sed feudum æquivalens tradere tenetur, II. *f.* 8. Sonsbec. *par.* IX. *n.* 31., Scrad. *par.* V. *c.* 2. *n.* 17. Nec opus est, ut dominus tradat, sed acta verbali investitura, vasallus propria auctoritate possessionem ingredi potest, II. *f.* 33. Quæ possessio si non est vacua, tunc senior, alio expulso, vacuam tradere debet.

§. XXVI.

De moribus.

Nonnulla ex libro secundo ad hunc usque titulum de moribus expiscari oportet. Omnia Regni Neapolitani feuda in Civitatibus, Castris, oppidis, jurisdictione, juribus regiis, & reditibus consistunt. Non alia indigent investitura quam nostri Regis privilegio; in iis fæminæ succedunt, & quoties quilibet successor velit succedere, investituram non renovat, sed loco ejus relevium solvit, sive morte naturali Baronis, sive refutatione; vel alienatione succedat. Dum Rex mandat Baronis vasalli, ut Baroni fidelitatem jurent, hoc mandatum, quod *assecurationis*, seu regia assecurationis

nis littera dicitur, pro investitura habetur. Proinde in Regno Barones Regi ligium hominium, vasalli Baroni jusjurandum assecurationis, atque etiam Regi aliud jusjurandum, vel tacitum, vel expressum præstant, Afflict. *hic* passim. Baro minoris ætatis potest infeudare illa Baroniæ prædia, resve, quæ infeudari solent, quia Rex consensiat, Const. *Constitutionem D. M.*

In Curia Fuldensi vasallus nequit per procuratorem investituram petere, sed cujuscumque conditionis, & dignitatis sit, ipsemet investituram suscipit, Fleischer. *Inst. jur. feud. cap.* XI. §. 11. Jure Longobardico investitura a Paribus Curiæ confirmanda est, hodie instrumentum sigillo tantum Domini, adhibitis testibus etiam extraneis, contentum est.

TITULUS VIII.

De Investitura de re aliena facta.

HIc titulus olim erat tit. IV. pars, a Glossographo deinde divisus, & recte adnectit. Supra actum est, seniorem necessario ad feudi traditionem teneri, sed si res infeudata inveniatur aliena, an etiam tradere obligetur? Feudista duo, nempe evictionem, & vasalli in feudo facultatem enucleat.

§. XXVII.

De evictione feudi.

De evictione statuit: *Cum de re aliena, vel alii obligata investitura fiat: illud distinguitur, utrum scienti an ignoranti facta sit. Qui enim alienæ rei sciens investituram accepit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de evictione agere non poterit: ignorans vero recte aget, ut aliud ejusdem bonitatis seu quantitatis ei præstetur. Sed in eo nulla est differentia qui investituram fecit, utrum sciverit, vel ignoraverit.* Si Titius de feudo Sabiniano investitus, credit illius fundi directum dominium investientis, nempe Sempronii esse, si alienum deinde appareat, de evictione adversus seniorem agere poterit, *ut aliud feudum ejusdem bonitatis, seu quantitatis ei præstetur* princ. *h. t.*, & II. *f.* 46., II. *f.* 25. Nam hac actione, vel feudum æquivalens consequitur, vel pretium in aliud feudum convertendum obtinet, quum alternative petere debeat.

Exemplo beneficii Ecclesiastici *cap.* XVII. *de præbend.* cujus hæc species: Guillielmus Canonicus Laudunensis, & Hugo Canonicus Siculniensis Ecclesiæ in manibus Cælestini Papæ, Innocentii III. Antecessoris præbendam renuntiarunt hoc pacto, ut præbendam Laudunensis Canonici assignaret Siculniensi, & vicissim. Pontifex mandavit Capitulo Laudunensi, ut Hugoni Siculniensi Laudunensem

sem præbendam conferret. Episcopus Laudunensis, non huic Hugoni ex caussa permutationis, sed cuidam Magistro Petro de Cassaneto contulit; sciens prudens eam Hugoni esse conferendam, quod tamen hic Petrus ignorabat, adeoque bona fide possessionem præbendæ adeptus est. Lite contestata, Hugo, rescissa collatione, apud Pontificem Cælestinum, caussam tenuit. Innocentius III. Cælestini Successor, cum quid in hac caussa ante suam promotionem actum esset, callaret, mandat Archiepiscopo Senonensi, ut Petro, a quo præbendam evicerat Hugo, Episcopus Laudunensis aliam assignaret præbendam, *decet enim, ut quia præbendam ei, quam de jure non potuit, assignavit, eam, quam de jure potest, assignet, ne præbendam illis fraudulenter visus sit assignasse*, adjuvari nos, non decipi oportet beneficio *l.* 17. §. 3. *D. commod.*

Fructus omnes, meliorationes, & id quod interest, vindicare potest. Illud tamen pretium vasallus non sibi arrogat, sed aliam rem immobilem emere, feudi jure ab eodem domino recognoscendam tenetur. Et quamvis feudum dicatur donatio, & in donatione evictio cessat, ne quis ex sua liberalitate damnum ferat, *l.* 18. §. *ult. D. de donat.* Nec ad res donatas pertinet edictum ædilitium *l.* 62. *D. de edict. ædilit.*, Paul. v. *sent.* 11. §. 5., ubi recte Rittersusius excipit, & textum emendat, nisi donator promiserit; sed feudum non est simplex donatio, verum ob caussam, ut vasallus serviat, & obediat 11. *f.* 23. *in fin.*, Curti. *par.* 11. §. *secundo principaliter n.* 36., Capyc. *in invest.* §. *feudorum evictiones*. Præterea evictio ex investitura, venditione, permutatione, in solutum datione, adjudicatione nasci potest, & unusquisque contractus, qui in infeudatione intervenit, suam habet peculiarem actionem; si omnis nominata actio deficit, condictio ex moribus, seu ex lege, & consuetudine feudali competit *l. un. D. de condict. ex lege.*

§. XXVIII.

De Domino, & vasallo sciente, vel ignorante.

Ab hac actione Dominus eximitur; si sciens prudens vasallus rem illam esse alienam, de ea investiri passus est, quia sibi imputare debet, nisi evictionem Dominus promiserit *l.* 27. *C. de evict. l.* 7. *C. commun. utri. jud.* Cum scienti, & consentienti non fiat injuria. Aut si vasallus litem sibi de feudo motam seniori non denunciaverit 11. *f.* 25., ut auctor, hoc est Dominus eum defendat. Aut suo dolo vasallus victus fuerit, dum probationes, atque exceptiones apto tempore in judicio non attulerit, nec provocaverit *l.* 6. 3. §. 1. *D. de evict.* Alios casus non indulgendos evi-

evictionis senior a jure civili conquiret, Scrad. *par.* v. *c.* 6. *n.* 6., Joan. Blancus *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 52., Sonsbec. *par.* 15. *n.* 62. Subdit feudista, *sed in eo nulla est differentia, qui in investituram fecit, utrum sciverit, vel ignoraverit*. Dominus, sive sciverit, sive ignoraverit, semper de evictione tenetur; sicut venditor actione aedilitia tenetur, etiamsi edictum ignoret *l.* 1. §. 2. *D. de aedil. edic.*, & merito Ulpian. *in l.* 19. §. 1. *D. loca. Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod interest: nec ignorantia ejus erit excusata: & ita Cassius scripsit*. Senior, dum infeudavit, rei conditionem scire debuit, Glos. *hic*, & Alver. *n.* 3.

§. XXIX.

De facultate vasalli in feudo.

Adquisito investitura feudo, vasallus hanc consequitur potestatem, *ut tanquam Dominus possit a quolibet, possidente sibi quasi vindicare: & si ab alio ejus rei nomine conveniatur, defensionem opponere, nam & servitutem eidem rei debitam petere potest, & retinere*, §. *rei autem h. t.* Non modo vasallus de evictione in seniorem agere valet, sed & in judicio comparere, sive agat, sive se in possessione, suisque juribus clientelaribus defendat. Hinc vasallus adversus quemcumque possessorem, utilem in rem actionem habet, quia infeudatione utile Dominium obtinuit, sicut perpetuus conductor eadem utitur actione *l.* 1. §. 1. *D. si ager vectig.* Competit & publiciana, confessoria, negatoria, de damno infecto, aquae pluviae arcendae, novi operis nunciatio, interdicta adipiscendae, recuperandae, & retinendae possessionis. Quae actiones, & remedia, sive contra Dominum, sive contra extraneum, ex illo jure, quod in clientela, tanquam fiduciarius emphyteuta, & stipendiarius, vindicat, quasi proprietati proximo descendunt, Alver. *hic* Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tract.* 11. *tit.* 2. *c.* 1. *n.* 1., Vultej. *lib.* 11. *c.* 1. *n.* 16., Duaren. *cap.* XVIII. *n.* 1.

Effectus quoque utilis dominii est omnium ex clientelari praedio, aut jure fructuum perceptio, modo arbitrio boni viri tanquam paterfamilias utatur fruatur. Fructuum nomen *naturales*, *civiles*, & *industriales* comprehendit: naturales, quos potius natura, quam hominis industria produxit, ut herba, faenum, glans, nuces, avellanae, pyra, cerasa, exemplo fructuarii *l.* 48. *D. de usufr. l.* 13. *D. quibus mod. usufr., l.* 45. *D. de usur., l.* 236. *D. de v. s.* Flores, legumina, stramenta, arborum folia, aromata, manna, pix, saccharum, palea, arundines, saliceta, nix, & similia, quae naturaliter praedium feudale gignit. Civiles, dum usu rei nascuntur, ut pensio domorum, vectura navium, aut jumentorum, merces rustici praedii,

 vena-

venationis, piscationis, aucupii vectigal, operæ servorum, *l.* 27. §. 1. *D. de petit. hered.*, *l.* 62. *D. de R. V.* Industriales, in quibus hominis diligentia præcipue egit, ut vinum, oleum, linum, canape, frumentum, & de his Mathi. Lagunez *tract. de fructibus par.* 1. *c.* 4. Si grex in feudo sit, omne ejus lucrum ad vasallum pertinet. An thesaurus in eo inventus? placet, sicut emphyteutæ, & majoratus possessori etiam cedit. Nam licet Thesaurus nomine fructuum non veniat, tamen emolumentum est, quod prædii feudalis occasione provenit, in quo vasallus jus dominio proximum vindicat *Arg. l. unc. C. de Thesaur.*, Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *cap. ult. n.* 48., Andr. *in* 11. *f.* 56. *n.* 93. Hodie ad Regem pertinet, & jus quiritum negligitur.

§. XXX.

De servitute feudali.

Ex utili etiam dominio vasallus servitutem prædio feudali debitam petere, & vindicare potest *d.* §. *rei autem*, tanquam senioris procurator sicut de fructuario *in l.* 1. §. *ult. D. de Nov. oper. nunciat.* JCtus inquit. Superficiarius, emphyteuticarius, & creditor hypothecarius eodem jure utuntur, Cujac. 11. *f.* 9. Quin imo vasallus servitutem recte imponit §. *quid ergo h. t. Quid ergo si precio, vel dolo, aut in curia servitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, & ad Dominum ex qualibet caussa postea beneficium revertatur: an ex eo præjudicium domino generetur, quæsitum fuit. Et responsum est, ut vasallo quidem, donec feudum tenet, possit obesse, domino autem etsi per longa tempora perseveraverit servitus minime noceat.* Videlicet non veram, de qua lex Romana locuta est, sed jus quoddam servituti simile, quod non in re ipsa, sed in persona vasalli concedentis fundatur; & tamdiu durat, donec jus vasalli in feudo perseveret; aperto feudo, ex *qualibet caussa*, hoc est refutatione, donatione, felonia, lineæ interitu, expirat *d.* §. *quid ergo*, etiamsi longi temporis præscriptio intercesserit, quæ nunquam seniori, cui feudum devolutum est, nocet. Nec etiam agnatis vasalli, qui jure proprio ad successionem veniunt, ejusque factum servare non tenentur, nisi simul allodiales vasalli heredes essent, quia tunc ejus facto se obligant *l.* 149. *D. de R. J.* Ratio est, quia non valenti agere, non currit præscriptio; senior, & agnatus, quamdiu vasallus vivebat, non poterat, nec debebat agere, ne utilis dominii exercitium impediret. A morte autem vasalli præscriptio incipere valet contra seniorem, vel agnatum, qui xxx. an. spatio servitute vel itineris, aquæ, viæ, aquæductus, appulsus pecoris ad aquas, juris pascendi, venandi, ligna incidendi, vel pernoctandi aliquem uti passi sunt. Aperto itaque feudo, servitus perit, exemplo emphyteutæ, & mariti: emphy-

phyteuta in re in emphyteusim data, & maritus in prædio dotali recte servitutem imponunt, sed tamdiu durat, quamdiu emphytheusis, & matrimonium persistit, Sichard. *ad l. 3. C. de servit. n. 4.* Nam licet jure civili servitutum præscriptio xx. inter absentes x. inter præsentes annis compleatur; tamen dum mores feudales ad præscriptionem longum tempus requirunt, xxx. anni intelliguntur. Cur autem vasallus in feudo veram servitutem imponere nequit? quia servitus libertatem prædii imminuit, ejusque conditionem deteriorem reddit, quum servitute jus unius prædii augeatur, atque alterius minuatur. Si senioris, & agnatorum consensus sit, vera constitui servitus potest, Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 50., Rothi, *loc. cit. cap.* x. *q.* 3., Struvi. *s. j. f. cap.* XII. §. 3., & *cap.* XIII. 8. Nec tantum realis servitus rustica, aut urbana vetatur, sed etiam personalis, nempe ususfructus, quem, invito seniore, imponere nequit, licet fructuum commoditatem donare, vendere, locare, ut fructuarius, non prohibeatur *l.* 12. §. 2. *D. de usufr.*

§. XXXI.

De augmento feudi.

Nec tantum utili dominio, ejusque effectu utitur fruitur, sed illud augere potest, dum aliquid prædio, aut juri clientelari addit. Et feudista in §. *e contrario b. t. E contrario autem si quid feudo a vasallo additum sit: si quidem tale adjectum sit, quod per se subsistere possit, id est, ut per se censeatur, ut prædium, id non accrescit feudo: si vero per se non possit subsistere, ut servitus: plerisque placet feudo accedere, & sicut partem feudi dispenendam esse. Meliorem namque conditionem feudi facere potest: deteriorem vero sine domini voluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet, facere non potest*: distinguit: Aut id, quod adjunxit, per se, & separatum a feudo stare potest, non est feudum, nec pars feudi censetur. Finge: vasallus juxta feudum emit prædium, aut domum, hæc non jure feudi judicatur, quia sua industria accedit; nisi xxx. an. tanquam, etiam de eo augmento servitia præstitit, & uti feudum possedit, tunc simul cum feudo ad Dominum, agnatosve devolvitur. Vel si non industria vasalli, sed natura, hoc est alluvione contingit, etiam uti feudi pars intelligitur, I. *f.* 4. §. *si quis de manso*, II. *f.* 26. §. *si quis per triginta*, Andr. *n.* 9. & Alver. *n.* 3. *b. t.* Aut augmentum per se subsistere non potest, sicut est servitus gratuito, aut pretio adquisita, & hæc, devoluto feudo, cedit seniori, vel agnatis. Senior vero, vel agnati heredibus vasalli non feudalibus pretium, si intervenit, solvere tenentur, II. *f.* 28. *si vasallus*. Ratio hic additur, quia *vasallus meliorem conditionem feudi facere potest, deteriorem vero sine Domini volun-*

voluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet; *facere non potest*; uti fructuarius *l.* 15. §. *fin. D. de usufr.* Et vasallus dici potest servus, & per servum domini conditio non efficitur & evadit deterior. Deterior feudi conditio evaderet, si senior, vel agnatus servitutem ratihabere cogerentur. Queritur, an jurisdictio prædio feudali adquisita, eo devoluto, feudo adcrescat? nunquam: quia jurisdictio est quid a feudo separatum, & per se subsistere potest. Servitus vero sine prædio non subsistit, nec adquiritur *l.* 1. §. 1. *D. Commun. præd.* Quamvis servitus, sicut jurisdictio, ususfructus, vectigal a solo separatus recte in feudum dentur, quum aliquam utilitatem præbeant, Scrad. *par.* III. *c.* 2. *n.* 59., Vultej. *lib.* I. *c.* 5. *n.* 4., & immerito Rothi. *in pand. feud. cap.* VIII. *q.* 27. dissensit; quia omne jus infeudationis capax est, Rosent. *cap.* IV. *a.* 3., Buddingh. *loc. cit.* §. 47.

§. XXXII.

De vetita vasalli facultate.

At quia infeudatione utile dumtaxat dominium transit, vasallus non est verus dominus, idcirco plura agere vetatur, nempe donare, vendere, permutare, aliove titulo feudum alienare, nisi Dominus, si est novum, dominus & agnati, si est antiquum, consentiant. Duos casus in §. *quamvis b. t. Quamvis enim possessio per beneficium ad eum pertineat*, (hoc est vasallum) *tamen proprietas ad alium spectat*: (hoc est Dominum) *Et ideo quartæ, sive tertiæ ratione, quæ a Longobardis, seu a Romanis viris uxoribus fieri solet, post mortem viri ad mulierem nihil pertinet. Nam nec pignus, quod consultum dicitur, fieri potest ex feudo*. Feudista exponit. Primus est; licet uxor jure romano tertiam, & jure longobardo quartam bonorum post mariti mortem in ejus bonis lucretur; in feudis vero mariti id locum non habet, quia maritus non fruitur integro feudi dominio. Hæc tertia græce ὑπόβολον, barbare dotalitium, doarium, morgangheba: jure romano erat tertia, non bonorum, sed dotis: jure longobardo quarta pars bonorum mariti, quam post ejus mortem vidua lucrabatur, unde se tueri posset, idcirco *vitalitia* sæpe dicitur, Albert. Krantz. *lib.* VII. *Daniæ c.* 35. *insuper Romulus acciperet Ingeburgam filiam Alberti Ducis in conjugem. Dos esset Oppidum Lentze, cum territorio suo. Romulus pro vitalitiis daret sponsæ Arusberg, Uverben, Parleberg cum attinentiis*, & *lib.* I. *LL. long. tit.* 4.. Et in Const. Regni *si quis baro*, Const. *licentiam*, Const. *mulier lib.* III. 13. 15. 16. Cap. *mulier*, & in Barbarorum legibus passim occurrit, Heinec. *Jur. Germ. lib.* 1. §. 245. Cujac. *hic*, dicam *ad tit.* 29.

Secundum est, *nec pignus, quod consultum dicitur fieri potest ex feudo*, *d.* §. *quamvis*; quia miles fructibus sui feudi carens militiæ

tiæ munus obire nequiret 11. *f.* 57., emphyteutes vero prædium vectigale pignori dare potest *l.* 31. *D. de pignor.*, fructuarius usumfructum pignori, vel hypothecæ subjicere, & Prætor creditorem contra proprietarium tuebitur *l.* 11. §. 2. *D. de pignor.* Vasallo autem omnino negatur. Cur pignus *consultum hic* dicitur? Hotom. dupliciter intelligit, vel de lege commissoria, vel de antichresi. Cujac. præter quartam jure longobardo statutam, nec etiam maritum posse uxori suæ usumfructum de quo in *l. ult. lib.* 1. *LL. long. tit.* 4., super feudo constituere putat, & hic usufructus *consultum* vocatur. Non recte: pignus idcirco feudista *consultum* dicit, & *in* 1. *f.* 5. *transactum*, quia eo pacto constituitur, ut simul ejus possessionem tradat, & debitore in solutione cessante, creditor distrahat: & magis creditori consulitur, dum ipsius rei possessioni incumbit, quam hypoteca, quam creditor non tenet, licet ad eam persequendam jus habeat. Creditor cum debitore transigisse videtur, ut si debitor in mora est, pignus distrahat, Vultej. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 52. An hypoteca sine senioris consensu in feudo valeat? dixi *lib.* III. *tit.* 27. §. 33.

TITULUS IX.

Qualiter olim poterat feudum alienari.

HIc titulus superioris pars erat, sicut ordinis ratio suadet; dum ante de vetita vasalli facultate in feudi oppignoratione, & dotalitio suæ uxoris dixisset. At quia in diversis Italiæ civitatibus, & Curiis diversæ de feudorum alienationibus consuetudines vigebant; hinc instar historiolæ hujus prohibitionis casus, & originem indigitat. Primo varios Curiarum mores enarrat: secundo, vetitam lege Lotharii alienationem: tertio jus προτιμήσεως senioris, & agnati constitit: quarto directi dominii alienationem seniori interdicit.

§. XXXIII.

De incerto alienationis jure.

Prima pars: *Est autem optima consuetudine interdicta feudi alienatio, super qua multæ, & diversæ sententiæ dabantur in singulis Civitatibus, seu Curiis: Donec Imperator divæ memoriæ Lotharius tertius promulgavit super hoc novam constitutionem, quæ posita est in titulo de beneficiis. Necessitate namque suadente, poterat olim vasallus, domino inscio, vel invito, feudi partem vendere, retenta videlicet alia parte. Si vero vel totum, vel partem volebat per feudum aliquem investire; hoc licebat ei sine fraude facere. Si autem dissentiente domino vendebat, sive per feudum investiebat (quod & ipsum*

ipsum sincere hodie, & sine fraude licet ei facere) si tamen sine herede masculo descendente decedebat, vel feudum in manu domini refutabat, aut alia forte ratione intercedente culpa amittebat, tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur: eo excepto, quod ille, qui secundo loco beneficium acceperat, non amittebat si priori domino servire, & ab eo feudum recognoscere volebat. Verbum *alienatio* dominii, vel possessionis, vel juris in alium translationem jure civili, canonico, feudali, & Capp. RR. Francorum *l. ult. C. de rebus alien., cap. 5. de rebus Eccl. l. 28. D. de V. S. capp. R. fran. lib. 11. 29.*, dixi *lib.* 11. 10. 18. significat; nempe venditionem, permutationem, donationem, dotem, dotalitium, conductionem, legatum, institutionem, fideicommissum, pignus, servitutem, omnemque actum, quo conditio feudi aut læditur, aut minuitur, aut omnino transfertur, & perit. Olim in nonnullis Curiis vasallus, illaudato Domino, totum feudum alienare poterat, 11. *f.* 44., in aliis medietatem, non quolibet contractu, sed libellario 1. *f.* 13. in aliis necessitate coactus partem alienabat *princ. b. t.* Poterat & de suo feudo alium investire, modo fraus abesset; & investiens si sine herede masculo decedebat, aut feudum domino refutaret, vel felonia domino feudum aperiretur, illa subinfeudatio desinebat, quia, resoluto jure datoris, jus acceptoris perit. Excipit, *quod ille, qui secundo loco beneficium, acciperat, non amittebat, si priori domino servire, & ab eo feudum recognoscere volebat* §. *sin autem b. t.*, si itaque subvasallus domino mediato, qui morte vasallis subinvestientis, immediatus evadit, servire, & ab eo recognoscere clientelam volebat, retineret, quia seniori nihil nocet, & subvasallus ejusdem conditionis cum vasallo censetur 11. *f.* 34. §. *similiter.*

Ex hac feudistæ exceptione Interpretum schola docet, aperto seniori feudo, subinfeudationes servare compellendum, si subvasalli servitia, & hominia exhibeant. Errat: Nam feudista veterem Italiæ consuetudinem refert, sicut verba *amittebat, volebat, olim* ostendunt. Nec in clientelaribus moribus adhuc invaluit, ut vasallus adeo de feudo disponat, ut seniorem obliget 1. *f.* 13. §. *etsi clientulus*, & satis *lib.* 11. 20. 56. probavi. Non raro senior subinfeudationem ratihabere cogitur, ut si ejus consensus intervenit; si res fuerit infeudari solita, hoc est ab antiquo sciente, & assentiente seniore in subfeudum concedi consuevit; aut si dominus subinfeudantis hereditatem adierit; aut si feudum sit mere hereditarium. Hæc etiam revocandi facultas subinfeudantis agnatis competit, ut in 11. *f.* 34. & 55. dicam. Pistor *lib.* 11. *q.* 41., Rothi. *in pand. feud. cap.* XIX. *q.* 31. & 32. Hodie subinfeudatio etiam post Lotharii, & Friderici legem permittitur, & pluribus Europæ moribus

bus obtinet, A Sande ad *Consuet. Gelr. tit.* I. *c.* I. *n.* 44. Lotharius enim, & Fridericus, excepta subinfeudatione, omne commercii genus prohibuerunt II. *f.* 52. II. *f.* 55., quod *optimam consuetudinem* hic vocat.

Et si vasallus in quibusdam Italiæ civitatibus, & Curiis feudum alienare, quin senior, consentiret, potuisset, *donare autem, aut judicare pro anima, vel in dotem pro filia dare, nullius Curiæ poterat consuetudine* §. *donare h. t.* sive donatio inter vivos, sive caussa mortis, sive propter nuptias, simplex, aut remuneratoria contingat; sive privato, sive Ecclesiæ, & loco pio donet. Nec vasallus feudum suum filiæ in dotem dare potest, quod & juri romano placuit, ut qui alienare vetaretur, in dotem dare non posset, quia dotis datio est alienatio *l.* I. §. *6. D. quando de pecul.* Uno casu permittitur, nimirum si fœmina feudum suum in dotem concedat II. *f.* 13., modo pactum de lucranda dote vel in totum, vel pro parte non apponat, nec æstimatum det, Alver., & Andr. ad *d.* §. *donare*, Zasi. *par.* IX. *n.* 7., Ardizo *in sum. c.* 130., Scrad. *par.* VIII. *c.* I. *n.* 35., qui recte, si hæc pacta apponat, dotis constitutionem valere, & pacta rejici animadvertit, quia lex pactum, non dotis dationem improbat, *arg. l. 9. D. de usur.*, & interim, durante matrimonio, maritus servitia præstat. Interpretes quoque *d.* §. *donare* restringunt, si pater alode, & feudum possideat, de feudo dotem filiæ non constituet; verum si alode non habeat, pater, vel frater de feudo sorori, & filiæ dotem assignare valet, eamque ab agnato, qui in feudo succedit, vel a domino, cui aperitur, repetere potest, actione subsidiaria, quæ in allodii deficientis subsidium datur; non ut feudum dividatur, sed secundum feudi quantitatem, dignitatem mulieris, viri, numerum liberorum, & loci mores præfiniatur; quo jure Germania, & Regnum Neapolitanum hodie vivit, Pistor *lib.* II. *q.* 37., Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 61., dicam *in Codice*. Nec tantum in dotem dari nequit, sed & perpetuo locari, modica locatio valet, nec in libellum concedere *d.* §. *donare*, ibi, *licet posset locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio, sicut est per libellum, ut dicatur venditio. Quis enim dubitet, quod libellario nomine, sub vilissima duorum denariorum pensione perpetuo concedatur utendum, alienatum in fraudem esse?*

§. XXXIV.

De jure prælationis.

Tertio agit de jure prælationis. *Porro sive de bona consuetudine, sive de prava queramus: concessa erat domino pro æquali pretio redemtio: nisi hoc beneficium amisit dominus per refutationem, vel annali silentio, ex quo sciverit computando. Præscriptione autem tri-*

ginta annorum submovebatur, tam sciens, quam ignorans. In prohibendo autem, vel redimendo potior erat proximi agnati, quam domini conditio; si tamen feudum erat paternum. Et jure veteri si vasallus feudum alienabat, eo decedente sine herede masculo, vel refutante, aliave ratione feudo seniori aperto, senior privilegio uti poterat, ut ab emptore, vel secundo feudatario feudum revocaret. Præter hoc jus, senior pro æquali pretio ab emptore redimere poterat, nisi sciens expresse, vel tacite per annum; vel ignorans xxx. an. renunciasset. Agnati tamen seniori in prohibitione, & redemtione præferebantur, quia majus jus ex investitura natum vindicant §. *porro h. t.* Si tamen feudum fuerit novum, dominus præfertur; in antiquo filii, & agnati potiores sunt, dum vivo alienatore, soluto pretio, aut mortuo, pretio non soluto, redimunt, & revocant; dicam *ad* II. *f.* 26. §. *Titius*, Rosent. *cap.* IX. 87. Hactenus de permissa, aut vetita feudi alienatione, quam vasallus agit; nunc an senior, invito vasallo, suum feudum alienare possit? & feudista in §. *fin. h. t.* ad Conradi legem se remittit, quæ *in* II. *f.* 34. §. *ex eadem* refertur quæ hanc facultatem seniori abjudicat, & II. *f.* 55. §. *similiter*, etsi hac de re quinque Interpretum opiniones Frider. Mullerus differt. *an.* 1750. *de obligatione Domini erga vasallum* §. 10. enunciet; dicam *ad d.* §. *ex eadem*.

TITULUS X.

Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, Capitaneus, vel Valvasor.

Hic titulus, si fides Alveroto, pars olim erat *tit.* V. hujus libri, quem postea Glossographus divisit. Feudista postquam de vasalli facultate egit, nunc vasallorum nomina & titulos, videlicet Ducis, Comitis, Marchionis, Capitanei, & Valvasoris recenset.

§. XXXV.

De titulis, & ordine vasallorum.

Generaliter qui feudum accipit, vasallus, vassus, valvasor, valvasinus, cliens, beneficiarius, miles, feudatarius, infeudatus in jure longobardo, Capp. francorum, & chartis mediæ ætatis assidue appellatur, quorum etymon in *tit. de V. S.* dabo. *Qui a Principe de Ducatu aliquo investitus est, Dux solito more vocatur. Qui vero de Marchia Marchio dicitur. Dicitur autem Marchia, quia Marcha, ut & plurimum juxta mare sit posita. Qui vero de aliquo Comitatu investitus est, Comes appellatur. Qui vero a Principe, vel ab aliqua Potestate de plebe aliqua, vel plebis parte per feudum* est

est investitus, is Capitaneus appellatur, qui propriè valvasores majores olim appellabantur. Qui vero a Capitaneis antiquitus beneficium tenent; valvasores sunt. Qui autem a valvasoribus feudum quod a Capitaneis habebatur, similiter acceperint, valvasini, id est minores valvasores appellantur. Qui antiquo quidem usu consuetudinem feudi nullam habebant. Valvasore autem sine filio mortuo, feudum, quod Valvasori minori dederat, ad Capitaneum revertebatur; sed hodie eodem jure utuntur in Curia Mediolanensi, quo & Valvasores ceteri vero, qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitaneis, seu Valvasoribus acquisierint, Plebei nihilominus sunt.

Ex quo constat, jus Longobardicum, duplex vasallorum genus distinguere, Capitaneos, & Valvasores: rursus Valvasores in majores, minores, & minimos dividere. Quæ divisio non tantum in jure feudali, sed & in omnibus fere Italiæ Chronicis, & monumentis, præsertim in Mediolanensi Urbe occurrit. Otto Frisigens. *lib.* II. *c.* 13. *de G. F.* I. Gualvaneus de Flamma *in Manipulo Florum, seu Hist. Mediol. cap.* 134. *ad an.* 909. *& cap.* 144. *an.* 1039. *& cap.* 201. ibi, *privatur suis juribus pars Capitaneorum & vasallorum jam tribus vicibus per populum expulsa, quæ totis viribus civitatem istam infestaverat. Civitatis Mediolanensis facti sunt novi habitatores. Nulli parentelæ licitum fuit dicere deinceps se habere sanguinis judicium super vasallum, unde vasalli se Valvasores esse consinuerunt. Sola domus Vicecomitum hanc nobilitatem retinuit, & vasallos habere potuit, propter fidelitatem, quam habuit ad Civitatem Mediolanensem.* Tristanus Calchius Histor. Patriæ *lib.* VI. de Conrado, inquit, *Ordo tunc in urbe erat militum, qui vulgo Valvasores, sive quod Civitatis portas custodirent, seu ex aula Cesarea hujus dignitatis nomen allatum sit, dicebantur, durant adhuc in plerisque urbibus familiæ Valvasores cognominatæ.*

§. XXXVI.

De Capitaneis, & Potestatibus.

Vasallus in capitaneum, & valvasorem dividitur: capitaneus est, qui inter vasallos tanquam caput eminet; & aut est proprius, qui a summo Principe, Imperatore, Rege, Pontifice feudum regale, & majus obtinet, & Capitaneus regis, vel regni dicitur, ut Dux, Comes, Marchio, quique provinciis, civitatibus, oppidis jure beneficii concessis auctoritate civili, & criminali, sicut posterior ætas indulsit; præsunt. Aut improprius, *qui a Principe, vel ab aliqua potestate, de plebe aliqua, vel plebis parte per feudum est investitus, is capitaneus appellatur, qui propriæ valvasores majores olim appellabantur,* inquit, feudista *hic* cujus hæc est sententia: qui a Principe,

vel Marchione, Comite, aut Duce, quos more italo, *Potestatem*; ut sæpius Otto Frisig., vocat, investitus esset *de plebe aliqua*, hoc est feudo minoris dignitatis, quam sit Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus, videlicet vico, aut pago illius Civitatis, vel Provinciæ, quam Dux, Marchio, Comes administrant. Cum vox *plebis* potius caussa exempli, quam denominationis posita sit, ut feudista hanc vasallorum speciem Duci, Marchioni, & Comiti opponeret; quasi dicat, qui ab Imperatore de Ducatu, Comitatu, Marchionatu investitur, proprie Capitaneus est; sed qui investitur non de his dignitatibus, sed de minore, is de plebe, hoc est minore feudo investitur; quem improprie capitaneum, & proprie valvasorem Italia vocabat, Hotom. *hic*, Vultej. *lib.* I. *c.* 4. *n.* 14., Montan. *lib.* II. *c.* I., Rothius *in Pand. feud. cap.* V. *q.* 12. *& cap.* IV. *q.* 4.

§. XXXVII.

De Ducibus.

Dux a feudista definitur, *qui a Principe* (hoc est supremo) *de ducatu aliquo investitus est*. Inepte: quum ignoto ignotum explicet. Dux Romanis erat militiæ nomen a ducendis exercitibus a Republica destinatus, qui militarem jurisdictionem habebat. Ævo Monarchiæ ducatus uti dignitas occurrit, Sueton. *in Neron. c.* 35. *Privignum Rufinum Crispinum, Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit*. Atque ab Augusti ætate, irrumpentibus ad imperium excidium Barbaris, ditionis limites armati milites custodiebant, nempe in Hispania, Germania, Pannonia, Britannia, Africa, Dacia, Armenia, Mesopotamia, Dacia, Cappadocia, Arabia, sub Claudio, Vespasiano, Trajano, atque Alexandro, sicut utriusque imperii notitia enarrat. His militibus Duces limitanei, seu limitrophi præerant, qui stipendia militibus solvebant, & jurisdictionem exercebant. Quemadmodum, Africa auspiciis Justiniani a Vandalorum tyrannide liberata his ducibus regebatur *l.* 2. *C. de offic. Præf. Præt. Afr.* Atque ut alacrius pugnarent, certa agrorum jugera Imperator concedebat *l.* II. *D. de evict.* Sic Augustus Cremonensium agros, Probus militibus Transrhenanis agros, domos, & horrea assignavit, Vopisc. *in Probo.*. Tandem clementia Principum agros cum pascuis, animalibus, servis, absque tributi onere habere hoc pacto ceperunt, ne alienarent, nec præscribi possent, ut se alerent *l.* 3. *C. de fund. limitroph.* In civilibus caussis, & criminalibus Duci, seu præfecto, & magistro militum suberant, modo caussa militaris, seu ut loquitur Vopiscus in Aureliano *peccatum castrense* fuisset; hinc forum militare audiri cepit, *miles ne vallum litiget extra*, teste Juven. *sat. ult. l. ult.* §. 4. *C. de re milit.*

tit.

tit. C. de off. mag. mil. Hoc enim privilegium simul cum militari disciplina solem vidit.

Auctis vero Barbarorum, qui omnes propemodum ex septentrione, & præsertim Scantia, viribus, & fracta Romanorum militum disciplina ob intestinas imperii seditiones, tributorum copiam, luxum Imperantium, otium militum, atque imperii divisionem a Constantino M. primum actam; Ducum officia, jurisdictio, dignitas, & nomen mutari cepit. Nam Duces in Germania, Gallia ante & post Caroli M. ætatem ad nos usque porrectam dicebantur, qui provinciis regendis præerant, non alio jure, quam precario, annali, & simplicis justitiæ administrationis, quam Imperator pro arbitrio auferebat, Altesser. *lib. 1. de Ducibus cap. 5.* Sæpius hoc officium, si non precibus, tamen pretio obtinebant, Greg. Turon. *lib.* VIII. *c.* 18. *Vicetius per emissionem Eulalii a Comitatu Arverno submotus ducatum a Rege expetiit; datis pro eo immensis muneribus, & sic in verbe Arverna, Rutbena atque Ucetica Dux ordinatus est.* De eodem Andr. Vales. *to.* II. *de rebus Franc. lib.* XIII. scribit, *Quippe Vicetius ex comite privatus factus non desperit se & innocentiæ suæ, atque etiam pecuniæ confisus, Childebertum adit, eique se purgat; & datis immensis muneribus, Ducatum Arvernorum, Rutenorum, & Uceticorum, quem petebat, accepit.* Copias, militum delectum, homines armatos tempore expeditionis jussu Principis describebant, vectigalia etiam auctoritate Principis imponere, & exigere poterant, Turon. *lib.* VI. *c.* 31. Dixi *lib.* 1. *tit.* 11. §. 2.

§. XXXVIII.

De Marchionibus.

Marchio dicitur a marchia, quia *marchia ut plurimum juxta mare sit posita princ. b. t.* Non recte, ut viris eruditis placet. Nam Marcha, vel March est vox germanica, & limitem significat, ut nihil frequentius in lege barbarorum, & chartis, videtur. Marchio est qui limitibus imperii, Romanis dux limitaneus, præerat. Dicitur & Marchæ raffen a graffen, seu graff germanis *judex*, quia non modo militari auctoritate provincias gubernabat, sed & lites, caussasque civiles dirimebat, Capit. Caroli Calvi *an.* 870. *quia vero periculosius longius a Marchia abducere, Dominus Rex commendabit suo Marchioni, qualiter eos constringat, & castiget*, Matth. de Nobil. *lib.* IV. *c.* 6. Herman. in notis Eginhardi *in vita Caroli M. c.* 1x. Hinc recte V. Cl. Albert. Krantz 3. *Wandal. lib.* III. *c.* 16. *Qua in re ridiculus est, qui feudorum usus conscripsit. Pollicetur enim in titulo docere quis sit Marchio; & ubi ad rem ventum est, ignotum per ignotum conatur ostendere.*

Mar-

Marchio, inquit, est, qui tenet Marchiam, at quæ sit Marchia, & unde dicta, debuit explanare. Marchionis quidem vocabulum veteribus incopertum est nisi quis modernorum renovans antiquitates, illuc inferat novum vocabulum. In nostris quoque annalibus (hoc est Germaniæ) *nullam ejus verbi legimus mentionem ante primum Henricum Saxonem, Romanorum Regem: qui primus, domitis Danis ad oppidum Slewicum cum eo transtulisset Saxonum coloniam, imposuit regioni præsidem, quem appellavit Marchionem: & illi regendos, tuendosque regni limites imposuit, provinciam, quasi Duci limitaneo..... & quam Romani simili ex caussa dixere provinciam, ille appellavit provinciam. Mecum diu reputans, multaque circumspiciens, nihil reperio de nomine origine probabilius, quam ex vulgari Saxonum dictum esse credam.... Marchiam autem vocant vulgo Saxones districtum unius villicationis, aut ditionis* (*inde Veltmarke nomen duxere*) *ut tum marchiam dicerent Saxones eam provinciam, quam sui juris per arma sunt consequuti. Inde Præsidi nomen inditum, ut marchio diceretur, qui illi jus diceret.* Hinc in Germania audiri ceperunt Marchia Misnensis, Badensis, Stiriæ, Moraviæ, & Brandenburgensis. Errat tamen Krantz. qui sub Henrico I. an. 1114. coronato Marchiæ vocem natam esse asserit, dum etiam ante Carolum M. innotuisset, ut Ant. Matth. *loc. cit.* probat.

Italia sub Longobardorum imperio rectoribus, quos ipsi *Duces* vocabant in provinciis regebatur, Civitatibus vero aut Comites, aut Gastaldi præerant; & eleganter Anonym. *in tabulis Geograph. medii ævi sect.* X. describit; *In Ducatus, Marchias, & Comitatus distributam fuisse Italiam a Carolo tot sunt testimonia, quot diplomata, & præcepta Regum, & Cæsarum Francorum, Italicorum, & Germanorum, in quibus Ducum, Marchionum, Comitum &c. creberrima mentio. Horum tamen omnium nomina adeo varie usurpata, & sæpe de eadem persona promiscue dicta, ut ipsorum distinctio non ita facile dignoscatur. Ducum institutio antiquissima a consularibus seculis apud Romanos, quibus Imperator Dux dictus: eodem titulo triumphantibus mox Cæsaribus arrogato. Duces item dicti exercituum ductores, cum Barbari, relictis suis sedibus, alienas quærebant. Antiqua etiam ea Comitum, sed posterioris tantum ævi Romani, ut ex Codice Theodosiano, & notitia utriusque imperii. Nam prioris ævi Comites ut illi Adriani apud Spartianum cap.* 18. *Amici tantum erant, & socii Imperatorum.... Ævi quoque Romani marchionis officium limitis custodiendi, ut in dicta notitia spectamus; secus vero quoad nomen Marchæ, sive Marchiæ, & Marchionis ante Carolum M. vere inauditum, & a solis Germanis profectum, ut mox*

pate-

patebit. Ducum, & Comitum dignitates a Romanis ad Gothos, ut ex formulis Cassiodori, a Gothis ad Longobardos, & francos exinde traductas produnt Scriptores ut in Collectaneis Dufrenii in Glossario v. Dux & Comes. Hinc in Italia Marchia Tervisina, Mantuana, Ferrariensis, Anconitana, Montisferrati, Spoleti, Thusciæ, Forojulii, Tridenti, Camerini, Veronæ, aliæque, non omnes a Carolo M. institutæ occurrunt, de quibus prolixe Anonym. *loc. cit. sect.* XI.

§. XXXIX.

De Comitibus.

Comes jure Romano est nomen dignitatis, quæ quandam cum Principe assiduam consuetudinem præfefert, seu sacrum Imperatoris comitatum observat, & posteriorum Imperatorum tempore constare ex equestri ordine solebat, non senatorio, & ita domesticum Senatum penes se habere cepit, cujus consilio domi, militiæque utebatur. Et locus ubi Comes vel Imperator erat, *Comitatus* dictus est, ut *can.* 109. Concil. Carthag. decernit Episcopum non posse, nisi litteris dimissoriis Metropolitani in Comitatum κομιτάτον proficisci, hoc est, uti ibi Ballamon inquit, *ubi est Comes vel Imperator.* ἤγουν ἔνθεν ἐστιν ὁ κόμης, ἤτοι ὁ βασιλεύς. Ex hoc Comitatu varia exierunt officia, & dignitates nempe Comes sacrarum largitionum, stabuli, metallorum, rerum privatarum, sacri patrimonii, commerciorum per Orientem, Ægyptum, mesiam, scythiam, Pontum, Illyricum, rationum. In Oriente, & Occidente major quam Dux erat, Comes *illustris*, Dux *spectabilis* dicebatur; Comes pluribus præerat provinciis. Sæpius nomen Comitis non illustre, sed spectabile, cæterisque minus dictum est, sicut ex utroque Codice, & imperii notitia constat, P. Greg. *Synt. lib.* XV. *c.* 8., Sixin. *de Regal. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 54., Perez. *ad tit. C. de off. Comis. Sacr. larg.*, prolixe Becmanus *Syntagm. Dignit. par.* II. *differt.* XII. *c.* I. §. 1. *& seqq.*, Lupus *to.* VII. *in Sabolia Concilior. cap.* 29., Besold. *differt. de Baron. cap.* IV. *n.* 1. *in opere politico*.

Profligata Romanorum ditione, alia gubernandi, & imperandi in Germania, Gallia, Italia, aliisque Europæ regionibus ratio visa est. Duces provinciis, Comites Civitatibus auctoritate militari, & jure dicendi potestate præfuerunt, Greg. Turon. *lib.* IV. *c.* 30., Altefer. *de Ducibus lib.* 1. *c.* 4. ut apud Arvernos Firmanus Comes sub Sigiberto, Gundovaldus Meldensis Comes, Trutmannus jussu Caroli M. Saxoniam rexit, Uuaddo Santonicum Comitatum habuit. Comiti minores judices nempe centenarii, millenarii, quinquagentenarii, decani, adsessores, aliique vel in bello, vel in pace suberant, Beat. Rhenen. *lib.* II. *rer. German.*, *ipsi nobiles, & cives habebant mancipia, unde de conjuratione servorum in flandris*

Mena-

Menapisco, & ceteris ad mare locis facta, meminerunt leges francorum unicuique fere civitati Comes præsidebat. Is veluti advocatum quemdam Episcopi agere cogebantur. Nominatur, aliquando judex fiscalis, centenarios a contenis dictos (quorum ante meminimus) vicarios, & scabinos sub se habebat. Erant præterea Comites ad custodiam maritimam, item ad marcham tuendam deputati, quos hodie Marchiones vocamus, germanice Marcgrafios. Et Heinec. *Elem. Jur. German. lib.* III. *tit.* 1. §. 1., *& seqq.*, Schmincke *in Notis Eginbardi in vita Caroli M. cap.* XI. Goldast. *in animadvers. ad Eginhard. loc. cit.* qui tamen cum ceteris decipitur, dum ad constituendum ducatum XII. comites requirit. Erat magistratus ordinarius, nutu autem Principis removeri poterat.

Hinc universa Germaniæ regio, Italiæ, & Galliæ gens triplici jurisdictione, videlicet Ducum, Comitum, & Regis ministrabatur, quibus cognita aut citius, aut sero Christi religione, Episcopalis tantum spiritualis auctoritas, deinde temporalis accessit. Fateor modum juris dicendi vel civilem, vel criminalem a Comite adhibitum simplicitatem redoluisse, & sola rei veritate inspecta, sententiam tulisse, sicut septemtrionalium nationum instituta jubebant, de quibus Magnus Olaus *lib.* XIV. *c.* 18. *Eliguntur enim ad hoc opus pium, & justum ruricolæ bonas possessiones in domibus, agris, & pascuis habentes, solius naturæ instinctu, bonitate, & ingenio, ac dotibus præditi qui citra ullam scientiam, ac literas sagaciter, judicant, ut appareat ex homine nativis bonis excellente, formari potius judicia & præcepta sapientiæ, quam ex præceptis sapientiæ formari hominem excellentem.* Etenim omnis eorum quæstio de contractibus jure gentium cognitis, vel criminibus eodem jure interdictis erat, nec formulæ nec stipulationes, aliive incautos homines decipiendi modi, quos Romani servabant, adhibebantur, idcirco naturæ lumen tanquam Justinianum adorabant.

Qua de re apparet quid sit Comes, nempe, *qui de aliquo Comitatu investitus est, princ. h. t.* vox Comitatus idem valet, ac jurisdictio, quia Comes etiam in Italia in civitatibus justitiam ministrabat, lex Baivvarior. *tit.* II. §. 4. *cap.* 5., & passim in legibus Longobar., præsertim *lib.* II. *a tit.* 40. *usque ad* 54., in quibus jurisdictio Comitis, & Episcopi concurrere solet. Nam in eadem Civitate Comes in jure dicundo, seu sua præfectura, Episcopus in sacra potestate popolum regebant, *lib.* II. *LL. longob.* 54. *l.* 1. *volumus ut Episcopi, & Comites concordiam, & dilectionem inter se habeant, & ad Dei, & Sancta Ecclesiæ protractum peragendum, & ut Episcopus suo Comiti, ubi ei necessitas poposcerit, adjutor, & exhortator exsistat, qualiter suum ministerium explere possit. Simili-*

ter

ter & Comites faciant contra suum Episcopum, ut in omnibus illis adjutor sit, qualiter intra suam Parochiam Canonicum possit explere ministerium, & l. seq.

Et ex lege Wisigothica 29. *lib.* II. *tit.* I. Comes injustitiam faciens ab Episcopo puniri poterat; nec dubito auctoritate Principis privari comitatu potuisse, sicut lex Baivvar. *tit.* II. *c.* 5. §. 9. inquit, quod si Dux audax, & rebellis fuerit, *donatum dignitatis ipsius ducati careat etiam, & insuper spem supernæ contemplationis sciat se esse condemnatum, & vim salutis amittat*. Sigon. *lib.* IV. *de Regno Ital.* Unde dicatur Comitatus: Recte Otto Frisigens. *lib.* II. *c.* 13. *de G. Fr.* I. *Cumque tres inter eos ordines, idest Capitaneorum, valvassorum, & plebis esse nascantur, ad reprimendam superbiam non de uno sed de singulis prædicti Consules eliguntur, neve ad dominandi libidinem prorumpant., singulis pene annis variantur. Ex quo fit, ut tota terra intra Civitates ferme divisa, singulæ ad commanendum secum diœcesanos compulerint, vixque aliquis nobilis, vel vir magnus, tam magno ambitu inveniri queat, qui Civitatis suæ non sequatur imperium. Consueverunt autem singuli singula territoria ex hac COMMINANDI POTESTATE COMITATUS SUOS appellare.*

§. XL.

De successione regalium dignitatum.

Hujusmodi tres dignitates Ducatus, Comitatus, & Marchionatus initio erant mera dumtaxat officia, militari disciplina, civili, & criminali auctoritate prædita, ærario publico administrationis rationem reddituta. Deinde seculo IX. & X. hereditaria evaserunt; (1) intestina Reipublicæ turbatio, bella, & in Germaniæ provinciis sub Carolo Simplici, & Hugone Capeto seditiones, & rapinæ, Alteser. *de Ducibus lib.* I. *c.* 5. *Labente Regum secundæ stirpis imperio, ac Carolo Simplici ob ætatem precario fere regnante, facile Duces, & Comites provinciales præfecturas jure dominii sibi vindicavere, easque transmisere ad suos heredes, & regios vassos sues facere.* Et paulo post: *Tandem summam rerum adeptus Hugo Capetus regni quidem ruinas ex parte restauravit, at cautioris consilio Medici usus, nimium alta Reipublicæ vulnera pendente manu tractavit, temporibus submisit animum, adultas potestates omisit, ne se imparem proderet, Ducatus, Comitatus, & minora feuda, in perpetua, ac hereditaria beneficia addixit, salvo jure summi imperii, fidei, & obsequii militaris. Hoc veluti fœdere, amata regno invidia fides integra mansit Ducibus, & Comitibus; sed nondum restituta regno Majestas impatiens consortis, nondum Proceres abstinuere regalibus, quibus manum injecerant, laborante Republica.*

 Christ.

Christ. Lupus *in Schol. Concil. to. v. de Concilio Coloniensi*. Non liberalitas tantum Principum feuda peperit, sed status monarchici natura, & ut populus libertati deditus, absque violentia sub beneficii specie, sponte sua, non præsensiens, servitutis jugum convehere assuesceret. Nam nullum vinculum tam arctius inveniri in imperando possit, quam beneficii sub fidelitatis, atque obsequii conditione collatio, quæ ex inimico amicum, ex potente obedientem, ex immiti mitem facit. Hinc feudorum inventio, purum πολιτεῦμα veterum francorum appellari potest.

(2) Negligentia Principum, qui vasallorum precibus, ut Comitatus, Ducatus, & Marchionatus ad eorum filios transferent, annuebant, & quod precarium erat, assiduis supplicationibus perpetuum evasit. Quin & tanta Principum ignavia fuit, ut jurisdictiones, ac potestates, perinde ac prædia ipsa jure commerciorum sub hasta proscribere permittebat. Atque illa jurisdictio, quam in Comitatibus, & provinciis tanquam magistratus exercebant, apud eos remansit, non jure officii, sed feudi, modo Reipublicæ majestati, a qua omnis fluit jurisdictio, salvis imperii legibus, & provocatione, recognoscerent, Bodin. *de Republic. lib.* III. *c.* 5. (3) meritum Patris, fides, & justitia cujus contemplatione filios officio, administratione, & lucro privare Principes non solebant, & ne Principibus damnum afferretur, *feudalia introducta sunt statuta & de fide servanda strictissima juramenta, quæ per unumquemque vasallorum instituendorum præstari, & sub pœna perditionis feudi inviolabiliter servari deberent. Est denique alia lex edita, ad magna feuda plura nullum accumulative succedere posse, ne sic plura magna accumulando, potentia Subditorum in tantum excresceret, ut dum tyrannica rabie immemor juramentorum, apicem dominandi, cujus appetitus per acquisitionem crescit, appeteret, imperii potentia schismatica turbatione vilesceret. Erat insuper Imperatorum consuetudo facile accusationes fractæ fidei, & perjurii admittere, ut fidelitas per quam solum persistit imperium nunquam negligentia parvipenderetur. Pœna vero erat privationis, fidem non servanti*; recte, inquit, Nicol. Cusan. *de concord. lib.* III. *c.* 28. Quæ succedendi ratio (mutatione Principum, & temporis lapsu ad fæminas quoque extensa) ante Caroli M. adventum in Italia quoque obtinuit, ut *lib.* I. *tit.* II. §. *6.* probavi.

§. XLI.

De Valvasoribus.

Hactenus de Capitaneis proprie vocatis: nunc de iis, quis improprie Capitaneos dicimus, seu majores valvasores, qui a Comite, Marchione, vel Duce feudum tenent. Etenim vetustissima lege

ge Regales dignitates infeudatione sibi vassos creabant, ut expeditionis necessitate, vel in pace servitia, atque obsequia exigere possent, & paratiores supremo Principi servirent. Sæpius Comites, vel Barones dicuntur; & subinfeudatione regalem dignitatem, ac si a summo Principe investiti essent, adquirunt. Præsertim, quia in regalium beneficiorum investituris subinfeudandi facultas concedi cepit. Idcirco subfeudum feudum regale dici potest; nec subvasallus in controversiis feudalibus aulam Imperatoris adire, sed sui senioris immediati cogitur, Strad. *par.* x. *sect.* 2. *n.* 69., Sixtin. *de Regal. lib.* I. *cap.* IV. *n.* 56. Antiquitas quoque Germaniæ *Ministeriales* appellat. Verum alii erant regni Ministeriales; alii ministeriales Principum, & Procerum: Ministeriales regni, seu imperii olim ex ordine nobilium, Ducum, Comitum, Marchionum, & Principum ad servitia militaria, vel aulica Imperatoribus præstanda obstricti assumebantur. Ministeriales Principum ad ministeria, servitia aulica, & militaria Ducibus, Episcopis, Principibus, Abbatibus, Comitibus, vel Marchionibus exhibere debebant; & de his Georg. Wachter apud Georg. *Estor. obser. feud.* xx. inquit, *Quemadmodum enim Principes, & Comites ex patrio instituto, Regem in castra proficiscentem tenebantur sequi, ita & hi dominos suos in expeditionibus Bellicis. Et si forte bellum non esset, munera tamen obibant Marescalcorum, Camerariorum, Dapiferorum, Pincernarum, item villicorum, scultetorum cet. apud eos Principes, a quibus prædia sua tenebant*. Non raro *ministerialis* vox plebejum hominem sordido muneri, & servili arti vacantem ostendit, sicut Estor *loc. cit.* probat.

Qui ab his Capitaneis improprie dictis, idest Comitum, Marchionum, & Ducum subvasallis feudum accipiebat, *valvasor minor* dicebatur §. *qui vero h. t.*, seu valvasinus. Et qui a minore valvasore, minimus valvasor erat §. *qui autem h. t.*, & I. *f.* 7., I. *f.* 14. I. *f.* I. olim minimus valvasor jus feudi proprium, & perpetuum non habuit, quia mortuo minore valvasore sine legitimis heredibus, feudum ad valvasorem majorem, seu Capitaneum, a quo tenebat, revertebatur. Proinde merito Hotom. textum corrigit, *qui autem a valvasoribus, feudum, quod a Capitaneis tenent, similiter acceperint, valvasini, idest minores* (minimi) *valvasores appellantur, qui antiquo quidem usu consuetudinem feudi nullam habebunt. Valvasore enim* (hoc est minore) *sine filio mortuo, feudum quod Valvasori minori* (minimo) *dederat, ad Capitaneum revertebatur*; quia minor valvasor semper feudi recti, & proprii jus obtinuit I. *f.* I. §. *notandum*, quod ex Conradi lege peti videtur *in lib.* III. *LL. Lang. tit.* VIII. *l.* 4.; *præcipimus etiam, ut cum ali-*

 quis

quis miles, sive de majoribus, sive de minoribus de hoc seculo migraverit, filios ejus beneficium tenere; de majore, & minore valvasore meminit, igitur minimum excludere voluit. In Curia tamen Mediolanensi valvasor major, minor, & minimus æqualis erant conditionis; idcirco a minimo valvasore feudum sine justa caussa auferri non poterat §. *sed hodie h. t.* & *d.* §. *notandum*, quia homines etiam infimos patriæ tuitionis causa in civitatem adsciscebant, *lib.* II. *tit.* 3., Vultej. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 14.

Præterea sunt & vasalli, *qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitaneis, seu a valvasoribus adquisierint plebei nihilominus sunt* §. *ceteri h. t.* Nam qui a Rege, Imperatore, Duce, Comite, Marchione, investitur, nobilis evadit; qui vero a majore valvasore, vel minore feudum accipit, plebejus remanet, nisi longam annorum seriem numerare valeat, quia feudum oneri militiæ adnexum sua familia possederit, quum nobilitatis mater antiquitas quoque censeatur. His plebeis vasallis comparat eos, *qui soldatam habuerunt, vel acceperunt, vel habent, per eam nullum pedagium, sed nec feudi usum adquirunt. Soldata autem est præstatio quædam annua gratuita quæ a neutra parte transit in heredem. Morte enim dantis, vel accipientis interveniente finitur. Soldata vero dicitur, quia plerumque in solidorum donatione consistit: quandoque autem in vino, & annona consistit.* Andr. Baldus, & Alver. pro *pedagium*, *paradogium* reponunt, sed Andreas a longobardis *nobilitatem* paradogium dici testatur. Cujac. *paragium* legit, quasi vasallis plebeis adcensiti, nullum habeant paragium, hoc est pares curtis domini esse non censeatur. Vultej. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 16. nihil definit. Ego nomen *pedagium* pro æqualitate conditionis accipi opinor, quasi feudista instruat, plebejos vasallos investitura nobilem conditionem non acquirere, sicut qui ab aliis senioribus investiuntur. Feudum soldatæ est, cum alicui gratuito certa pecuniæ summa vinum, vel annona quotannis præstatur, & nec ex parte vasalli, nec ex parte senioris ad heredes transit. Differt a feudo Cameræ, & Cavenæ, quia feudum soldatæ, annuam vel vini, vel pecuniæ, aliusve rei, non destinato loco, quotannis præstationem contribuit. Feudum Cameræ ex designato loco, ærario, thesauro, penu, cella etiam quotannis affert, Thom. de Marin. *de Gener. feudor. tit.* XXVI., Ardizo *in Sum. c.* 29., Zasi. *par.* II. *n.* 8., Henric. a Lochteren Stakebrant *differt. de feudis improp.* § VII.

Ex his constat, non modo in Italia, sed & in aliis Europæ provinciis quatuor feudorum gradus viguisse; etsi de inferioribus alibi affirmare non audeam. Primus eorum, qui immediate ab Impera-

peratore, vel Rege recognoſcebant, ut Duces, Comites, Marchiones. Secundus, qui a Marchione, Comite, vel Duce clientelam tenerent, ut Barones, quos feudiſta majores valvaſores, ſeu majores ſubfeudatarios, ut nominare ſoleo, appellat. Tertius, qui ab iſtis majoribus valvaſoribus beneficium haberent; & tales gradus nobilitate licet inæquali fruuntur. Quartus qui a minoribus valvaſoribus honorem acciperent, & paganos, & plebeos Italia dixit, Zaſi. *par.* v. *n.* 15., Montan. *lib.* 11. *c.* 1., Struv. *ſ. j. f. cap.* 111. 5. *n.* 2., Spiegel. *ad Gunth. lib.* 11. Et de his Landulphus Senior *in Hiſt. Mediolan. lib.* 11. *c.* 26. (qui circa an. 1100. floruit) ubi de ſeditione inter Capitaneos & valvaſores ex una parte, & ex altera inter populum Mediolanenſem agit, *Praterea factum eſt, ut in quacumque urbis regione Capitanei, & valvaſores populum ſuperabant, inbumaniter ipſum trucidabant*, & *lib.* 11. *cap.* 16. *Quo facto Rex paucis commoratus diebus Mediolanum, conſilio Vulperti edoctus* (qui erant Archiepiſcopus Mediol.) *cujus probitatem, atque induſtriam ultra omnes, & ſuper omnes habebat ſapientes, feſtinanter Albertum in cunctis præoccupans negotiis, univerſis tamen Epiſcopis, ex omnibus Italiæ civitatibus, nec non Ducibus, Marchionibus, Capitaneis, valvaſoribus Ottonem Uvalperti timore comitantibus, cum innumerabili, atque ineffabili peditum virorum fortium multitudine, Romam quo tenderet, iter agreſſus eſt*. Regionum tamen mores aliud ſæpius ſuadent: In Germania Electores, Duces, Comites, Marchiones, Landgravii, & Barones reperiuntur, & Barones a Comitibus nihil differunt; Archiduces, & Principes; omneſque regali fruuntur dignitate, & regalia exercent: de his Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 21.

TITULUS XI.

De ſucceſſione fratrum, vel gradibus ſuccedentium in feudo.

Hic titulus olim erat pars *tit.* 5., quem Gloſſographus diviſit; & ſuperius de inveſtitura, quæ eſt naturalis feudum adquirendi modus, egit, nunc de altero adquiſitionis modo, quamvis improprio, & ſucceſſio vacatur. Tria, ſucceſſionem deſcendentium, ſucceſſionem collateralium, & feudi quæſtionem comprehendit.

§. XLII.

De ſucceſſione deſcendentium.

In omni ſucceſſionis ſpecie, vel allodii, vel feudi primo deſcendentes ſuccedunt, qui a primo adquirente, tanquam a communi ſtipi-

stipite sanguinem trahunt, *princ. h. t.*, *per successionem quoque*, *sicut per investituram beneficium ad nos pertinet*, *mortuo enim eo*, *qui beneficium tenebat*, *prima caussa liberorum est*. *Filiis enim existentibus masculis*, *vel ex filio nepotibus vel deinceps per masculinum sexum descendentibus*, *ceteri removentur agnati*, & 1. *f.* 1. 3., 1. *f.* 8. 1. *f.* 14. 1. *f.* 19. Filius, nepos, pronepos, ceterique descendentes patri, avo, vel proavo nec ab intestato, nec ex testamento succedere dicitur: non ab intestato; quia tunc quis proprie intestatus decedit, dum testamentum facere poterat, & non fecit: non ex testamento, quia nulla suprema defuncti ordinatio in feudis valet. Qua de re filius, nepos, pronepos in jus ex prima investitura quaesitum, se potius immiscent, quam successionis titulo aliquid novi adquirit.

Nec distinguere opus est, an filius, nepos ve natus, an postumus, emancipatus, an suus, praeteritus, an institutus heres, legitimus & naturalis, an sequenti matrimonio legitimatus, primo, an secundo matrimonio natus fuerit. Nec unus alterum in pari gradu excludit; verum si disparem gradum occupant, advertendum, jure repraesentationis in infinitum usque porrecto successio non in capita, sed in stirpes contingit. Finge: vasallus tres filios genuit, qui omnes decesserunt; unus tres, alter quinque, tertius septem filios reliquit; tunc in feudo avi nepotes tantam accipiunt portionem, quantam, si eorum pater viveret, acciperet: unam tres, alteram quinque, tertiam septem habebunt, nec una altera major erit, quia unam repraesentant personam. Haec repraesentatio in infinitum durat, quia primus feudi adquisitor suo sanguini consuluisse praesumitur, qui in omnibus descendentibus persidet, 1. *f.* 1. §. *hoc quoque*, 11. *f.* 50., modo feudum talis sit naturae, ut successionem cognoscat, secus ad heredes, hoc est filios non transit, Fred. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* 111. *c.* 1. §. 1., Christin. *to.* VI. *decis. Belg.* 10. & 41., Scrad. *par.* VII. *c.* 5. *n.* 2., Duaren. *c.* IX. *n.* 2. & 3.

Haec, si feudum divisionem recipit. Si vero individuum, tunc maximus tantum stirpis succedit; & frater secundo natus aliquam fructuum portionem vulgo appanagium, loco alimentorum quotannis percipit. Et tamdiu primogenitura durat, donec ejus linea pereat; hinc, superstitibus liberis, primogenitus secundonato feudum renunciare non potest, quia filios jure ex investitura quaesito spoliare prohibetur. Si liberis careat, tunc potest, modo secundogenito cedat, quia si secundonatus, & tertionatus superstes est, in tertionatum transferre non valet, quamdiu secundonatus vivit, qui ordine investiturae jus quaesitum vindicat. Nec secundonatus jure cessionis succedit, sed proprio, quum primogenitura hanc tacite conditionem includat, si primonatus *nolit*, *vel non possit*, exemplo sub-

substitutionis, secundonatus succedat. Hinc etiam si primogenitus, antequam ei successio deferatur, vitio videlicet furoris, vel dementiæ laboret, vel religionis vestem induit, vel clericatum elegit, ut servire nequeat, secundonatus succedit, modo primogenitus filios non habeat. Si vero primogenito jam est delata successio, & postea furor, dementia, aliudve vitium supervenit, nec ejus filius, nec frater successionem vindicabit, sed curatorem accipiet, ne afflicto afflictio addatur.

§. XLIII.

De fæminarum successione.

Quamvis omnes descendentes clientela ad successionem invitet; nonnullos tamen ob sexum, ob legem, naturam, & conventionem repellit. Ob *sexum*, nempe fæminam: ob *legem*, clericum, monachum, servum: ob *naturam*, adoptivum, rescripto Principis legitimatum, mutum, surdum, cæcum, claudum, furiosum, mentecaptum: ob *conventionem*, natum ex matrimonio ad morganaticam contracto. De filia femina hic tantum disputabo, de ceteris infra locus erit. De fæmina, inquit, feudista *in princ. h. t. ad filias vero seu neptes, vel proneptes, vel ex filia nepotes, seu pronepotes successio feudi non pertinet. Proles enim fæminini sexus, vel ex fæmineo sexu descendens ad hujusmodi successionem aspirare non potest*, & 1. *f.* 1. §. 3., 1. *f.* 6. §. 1., 1. *f.* 8. §. *filia*. Ratio (I) est, quia prima feudorum institutio militare servitium petiit, quod fæmina præstare nequit, nec Europæ populi, nisi raro, exemplo vetustæ quiritum politiæ, feminas ad prælia ire permittebant. (II) hujus sexus pudicitia, & honestas, saltem appetenda, & custodienda virorum cætui immiscere se non patitur. (III) consilii fragilitas, quam Terentius pueris levi sententia laborantibus comparat, idcirco Romani ab ætate usque Regis Numæ, & Barbarorum institutio sub perpetua tutela continebant, conf. Ever. Otto *in præfat. Thes. tom.* IV. *p.* 7. (IV) inconstantia, qui secreta senioris facile prodit, consilia non præbet. Has rationes Hieronym. Garzonius *tract. de fæminis ad feuda recipiendis vel non* reprehendit, quum hujusmodi vitia in maribus inveniri possint, nec semper his fæmina laborat; veramque ipse rationem reddit, quia sic feudorum Dominis placuit. Sed quero, cur ita placuit? nisi ob rationes, quas retuli. Fateor nonnullas ex his desinere, sed ceteras remanere, Curt. *par.* III. *n.* I., Christin. *loc. cit.*

Nec tantum fæmina excluditur, sed & proles licet masculea ex ea descendens non succedit, sicut *hic* feudista instruit & ratio pronunciat, non quia serviendi capacitas non adsit, sed quod obstat matri, filiis etiam obstare debet; & jus nec delatum, nec quæsitum

tum matri ad filios non transfertur, nec plus commodi ad heredem transit, quam defunctus habuit. Transmittit ad filios mater, quod suum est, non quod non habuit, & alienum est: sicut qui tabernas argentarias, & ceteras, quæ in solo publico sunt, vendit, non solum, sed jus vendit; solum est publicum, & vendere nequit *l.* 32. *D. de contrab. emp.*, *can.* 24. 1. *q.* 7. Præterea de uno extremo ad alterum, nemo nisi per habile medium transit; mater est in medio, & inhabilis, igitur successionis in filium translationem impedit, quum sive in allodiali, sive feudali successione nunquam quis per saltum, sed statuto ordine succedat. Unde Paul. *in l.* 7. §. *fin. D. de S. R. P.* inquit, *in rusticis autem prædiis impedit servitutem medium prædium, quod non servit*, Philotheus Achillinus *in Somnio Viridarii lib.* 1. *c.* 187. (est in Monarch. Gold. to.1.) Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 30., Pistor. *lib.* 11. *q.* 34. *n.* 5.

Nec et fœmina, & ex ea nati succedunt, si clausula in investitura sit *pro te, & heredibus*, vel simpliciter concessio intervenit; quia vox *heres*, vel a jure, vel ab homine prolata, non de quolibet, sed feudali seu filio mare, non fœmina intelligitur. Nemo contrahentium ab ea lege discedere suspicitur, quæ suo contractui semper inhæret, 11. *f.* 26. §. *fin.*, 11. *f.* 49. ubi vox *heres* in investitura, hoc est hominis dispositione adhibita masculum dumtaxat ostendit. Perpetua, & primæva lex mares, non fœminas cognoscit, quæque tamdiu durat, donec contraria hominis voluntate non abrogetur. Et rebus judicatis in Germania obtinuit, Vultej. *loc. cit.*, Rosent. *cap.* VII. 36., quod turpiter nonnullis displicuit.

Interpretes disputant, an fœmina semel exclusa semper exclusa censeatur? Solutio ex investitura dispendet, quæ clausulam *pro te, & heredibus*, vel *pro te, & liberis masculis, & fœminis* continere solet. Equidem regula juris est, *donec masculus superest, locus fœminæ non pateat*, 11. *f.* 17., 1. *f.* 6. §. *quin etiam*, 1. *f.* 8. §. *filia*, etiamsi loci consuetudo fœminas ad feuda admittat, quia omnis consuetudo ita explicanda, ut, quantum fieri valet, juri communi non noceat, & deroget; præsertim cum consuetudo sit quodam Nationis pactum, quod a doctrina feudali sensum, & interpretationem haurit. Nunquam igitur fœmina simul cum mare succedit, & donec mas vivit successor, fœmina repellitur. Nunc ad quæstionem, quam feudista in 1. *f.* 6. dirimere satis videtur, *quin etiam si quis eo tenore feudum acceperit; ut ejus descendentes masculi & fœminæ illud habere possint, relicto masculo, ulterius fœminæ non admittuntur*. Scio hunc textum ab Interpretibus magnopere turbari, quos Rosent. *cap.* VII. 44. enarrat; sed adeo claritate scatet, ut cæcutire videatur, qui non cognoscat. Vox enim *ulterius*

rius tractum temporis non continuum ostendit, quo fæmina successionem nunquam obtinebit; & feudum ad Dominum redeat, Pistor *lib.* II. *q.* 36. Sed suspensivum, ut fæmina non succedat, donec masculus vivit, quo deficienti, ipsa succedit.

§. XLIV.

De casibus, in quibus fæmina succedit.

Feudista *in d.* §. *ad filias h. t.* casus excipit, in quibus fæmina succedit, *nisi ejus conditionis sit feudum, vel eo pacto adquisitum*, II. *f.* 50., I. *f.* 8. §. *filia*, videlicet fæmineum, vel pacto convenit, ut succederet. Nam omnis fæminarum successio ad tres casus, *conditionem feudi, pactum speciale, & loci consuetudinem* reduci potest. Ex conditione, si feudum fuerit fæmineum, hoc est quod fæmina prius per investituram adquisivit, de quo in II. *f.* 30. quia si masculus primo adquisivit, postea ad fæminam transiit, improprie fæmineum dicitur. Duplex vero est Interpretum opinio: prima tenet, filiam in feudo fæmineo non succedere, nisi speciali pacto exprimatur: secunda inquit, nullo opus esse pacto; & placet. Feudista enim in *d.* II. *f.* 50. accurate de successione agens, filiam succedere prohibet, & excipit, *nisi ex pacto, vel nisi sit fæmineum*, quæ distinctio vitiosa esset, si pacto indigeremus, ut fæmina in feudo fæmineo succederet. Præterea senior in feudi collatione fæmineam adprobavit qualitatem, in successione postea reprobare nequit, quia fæminis jam ex prima investitura jus semel quæsitum non auferendum, nisi justa caussa suadeat, latius dicam *ad* II. *f.* 30. Ex pacto, fæmina succedit, ut filia, neptis, proneptis, & deinceps: quia si tantum de *Caja* dictum esset, tunc ipsa tantum succederet. Verum in his duobus casibus, femina succedit, quoties masculi deficiant, nisi aliud investitura suadeat, nempe filii, & filiæ æqualiter succedant; quum pacta contractibus legem dicant.

Ex consuetudine, quæ hodie hac in re Gentibus in Europa nimium dominatur, sicut ex historia Geldriæ, Brabantiæ, Luxenburgi, Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Zutphaniæ, & Namurci tam in feudis minoribus, majoribus, quam regnis, & Dynastiis, ut in Regno Angliæ, Scotiæ, Siciliæ, Neapolis, Hungariæ, Lusitaniæ, Hispaniæ, aliisque constat. Unde regula, & investitura *pro te, & heredibus*, vel *liberis*, & simpliciter feudi concessio, jure longobardo fæminas excludit, nisi dictum sit ut succedant; hodie eadem investitura fæminas admittit, nisi dictum sit, ut non succedant, cum moribus vox *heres* etiam fæminas comprehendat, Christin. *to.* VI. *dec. Belg.* X. *n.* 6., Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* III. *c.* I. §. I. *n.* 18., Vultej. *lib.* I.

 c. 9.

c. 9. n. 46., Rothius in *Pand. feud. cap.* xv. *q.* 5. & 6., Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* xi. Duaren. *c.* x. *n.* 8.

§. XLV.

De successione Collateralium.

Exstincta descendentium linea, *vocantur primo fratres cum fratrum præmortuorum filiis, deinde agnati ulteriores, quod ita intelligendum est, si feudum sit paternum: hoc est, si fuit illius parentis, qui ejus fuit agnationis communis*, inquit, feudista *in §. his vero h. t.*, & 1. *f.* 1. §. 2., 1. *f.* 14. §. 1., 11. *f.* 50. Collateralis Linea duplici modo perpendi valeat; vel primi acquirentis, vel ultimi decedentis respectu: collateralis respectu primi acquirentis, non succedit, quia collateralis collaterali in feudo non succedit, 11. *f.* 50., cum frater, agnatusve a fratre, agnatove non descendat. At regula juris longobardici est, neminem in feudo succedere, nisi a primo adquirente descendat; & proinde descendens ascendenti tantum succedit, & improprie hæc agnatorum successio collateralis vocatur, cum descendens dicenda esset. Hinc feudista *in* 1. *f.* 1. *Sin autem unus ex fratribus a domino feudum acceperit: eo defuncto sine legitimo herede, frater ejus in feudum non succedit.* Exemplum esto: Mævius habet duos fratres Cajum, & Titium, clientelam adquirit; Mævius relicto filio decedit, feudum ad filium transit; si filius sine liberis moritur, feudum non ad suos patruos Cajum, & Titium, seu fratres sui patris devolvitur, sed domino aperitur, quia Cajus, & Titius a primo adquirente non descendunt quum frater fratrem non genuisset, Sonsbec. *par.* ix. *n.* 88., Duaren. *cap.* xi. *n.* 12., Gudelin. *par.* iii. *c.* 2. *n.* 4. Si vero hic filius fratres, vel fratrum filios haberet; hi, quia a primo stipite descendunt, succedunt 11. *f.* 50. Aliud exemplum feudista *hic* exhibet. *Si enim Titii avus de novo beneficio fuerit investitus, Titio sine legitimo herede masculo defuncto, ejus feudi successio non pertinet ad ejusdem Titii patruum magnum, nec ad prolem ex eo discendentem imo revertitur ad dominum. Ad cognatos enim ejus beneficium non pertinet, neque beneficii successio.* Si avus Titii novum feudum adquisivit, Titio sine legitimo herede defuncto, feudum non ad patruum magnum Titii, nec ad prolem ex eo descendentem pertinet, sed domino cedit, quia patruus magnus non descendit ab avo Titii, sed a proavo natus, & avi Titii est frater. Et si patruus magnus non succedit, nec proles ex eo orta succedere potest, quia quod patri obstabat, etiam ex eo natis obstare debet.

Si cum agnatis, hoc est fratribus, fratrum præmortuorum filii concurrant, in stirpes, non in capita jure repræsentationis succedunt. Finge: Mævius sine descendentibus decedit, superstite tantum

tum Cajo fratre, & ex altero fratre Sejo, filiis, seu respectu Mævii nepotibus. Nepotes simul cum Cajo patruo succedunt, sicut antea in allodio sanxit Imperator in *Nov.* 118. *c.* 4., Curt. *par.* 111. *n.* 60., Scrad. *par.* VII. *c.* 7. *n.* 15., Cujac. *hic*. Hoc enim repræsentationis jus cunctis propemodum post infractas Romanii imperii leges placuit, & de eo, inquit, Isaac. Pontan. in *Histor. Gelrica lib.* XIV. *Apud Gelros iisdem his diebus declaratio facta trium Tetrarchiarum, Neomagensis, Zupthaniensis, & Arnhemiensis, super statuto Cæsareo, quod jus, repræsentationis dicebatur, tangens præcipue, successionum, ac linearum gradus. Estque pronunciatum, ut liberi in locum parentum defunctorum, ut & avorum, aviarumque tum & patruorum avunculorum, & amitarum succederent: & idem de fratribus quoque uterinis, & consanguineis, orumque liberis accipiendum*. Ultra autem fratrum filios jus repræsentationis cessat jure civili, & feudali, & tunc remotiorem proximior excludit, dixi *lib.* 1. *tit.* 8., P. Ludewig. *lib.* 11. *opusc. feud.* 2. *differt.* 15.

Si itaque nemo succedit, nisi a primo adquirente descendat: satis illa quæstio vexata statim dirimitur, an frater utrimque conjunctus, fratrem ex uno latere tantum; seu an frater consanguineus germanum excludat? Jure civili ex *auth. cessante C. de legit. hered.* Germanus, qui ex utroque latere junctus consanguineum vincit. At hæc authent. a jure feudali exulat, quia non respicit duplex vinculum, sed an a primo adquirente descendat, idcirco ambo succedunt, Curt. *loc. cit. n.* 56. Altera subingreditur controversia, an fratrum filii, qui soli sunt, in capita an in stirpes succedunt? Finge: Mævius decedit, & ex uno fratre præmortuo duos nepotes, ex altero quinque, ex tertio septem relinquit? Prætermissa opinione, in capita succedere suadetur, quia omnes in pari gradu sunt, nec repræsentationis jure indigent, igitur pares in successione esse debent, quod satis a jure Romano statutum est, cui inhærendum, quoties jus feudale deest, Ulpian. *tit.* XXVI. §. 4.

§. XLVI.

De probatione feudi.

Denique hæc successio locum sibi vindicat, exclusis cognatis, in feudis antiquis, de quibus si controversia oriatur, an antiqua, an nova fuerint; ille probare debet, qui nova esse affirmat, quia antiqua præsumuntur. Verum judex arbitrabitur, an agnatus, an dominus, utroque in probatione deficiente, jusjurandum deferat §. *si vero h. t. Si vero Dominus, vel alius beneficium defuncti novum esse dicat, agnatus autem illius proximus paternum esse contendat: tunc onus probationis incumbit illi, qui novum dicit. Sed scio aliter pronunciatum esse, Bonus enim judex caussa cognita diligenter intuebitur,*

cujus potius jurejurando dirimenda sit hæc quæstio, unoque scilicet in probatione deficiente.

Si itaque feudi possessor decedat, & senior, aliusve, illud novum esse contendit, defuncti agnatus antiquum afferat, si neuter possidet, senior probare cogitur. Nisi legitima, fortiorque concurrat præsumtio, quæ paternum esse suadet, tunc ad agnatum qui paternum esse dicit, pertinebit. Aut si senior feudum possideat, etiam agnato onus probationis incumbit, qui si non probet, controversia jurejurando senioris diximetur, I. *f.* 12. Si agnatus possidet, seniori tunc incumbit probatio, qui novum esse contendit. In nostro autem textu nec dominus, nec agnatus possidet, & si neuter suam probare poterit intentionem, judicantis religio æstimabit, utrius jurejurando litem dirimere valeat. Si ex utraque parte æquales perpendet probationes, reo jusjurandum offert, cui lex potius, *quam* actori favet, indulgetque, *l.* 125. *D. de R. J.* Si potiorem actoris caussam, atque indicia considerat, etiamsi reus possideat, actori deferre debet Sacramentum, & litem dirimere. Nam in jure feudi sæpe possidenti, sæpe non possidenti defertur jusjurandum, si quod animum judicis commoveat, II. *f.* 33. §. *Sacramentum*.

T I T U L U S XII.

De fratribus de novo beneficio investitis.

SI fides Alveroto, hic titulus usque *ad tit.* XXIII. exclusive, a quo ipse librum III. incipit, durabat; sed postea Glossa divisit. Actum de paterni feudi successione, nunc an in feudo novo frater fratri succedit. Et primo simultaneæ investituræ casum proponit, deinde plures casus declarat.

§. XLVII.

De successione fratrum in feudo novo.

Si duo fratres de novo beneficio, & non de paterno simul investiti fuerint: uno sine herede defuncto, ad alterum non pertinet ejus beneficii portio, nisi facta fuerit eo pacto investitura. Recte, quia in feudo novo fratribus concesso, locum non habet jus accrescendi, I. *f.* I. §. *fin autem*. Hinc patet error eorum, qui asserunt a jure Longobardicorum *simultaneam investituram* non cognosci. Nam, teste hic feudista, & in I. *f.* I. I. *f.* 14. II. *f.* 18. Duo fratres simul de feudo novo sunt investiti. Jure Longobardico simultanea dicitur investitura, si duo, pluresve de feudo investiantur, ut simul pro indiviso possideant, hoc pacto, ne alteri succedat, nisi ita conventum fuerit. Et hæc simultanea investitura etiam jure Germani-

manico, de quo in *prolegom. istarum prælectio* dixi, invaluit. Neque hoc dumtaxat modo simultanea investitura contingit, sed & aliis videlicet, si pactum fuerit investiri, ut unus in alterius parte succedat: aut pro indiviso possideant: aut ut unus, donec vivat, fructus percipiat, quo decedente, alter succedat, Fleischer. *Inst. cap.* XIV. §. 2. Riccardus de Antiquis, sive Christianus de Senckenberg *de usu juris feud. in German.* §. 45. ubi universæ Germaniæ simultaneam investituram vindicat, *princ. b. t.*, *&* 1. *f.* 14., 1. *f.* 1. 1. *f.* 20., pacto, vel consuetudine, vel lege fieri potest, ut frater fratri in feudo novo succedat, sicut in Regno Franciæ, & Neapolitano servatur. *Si duo fratres in caussa (hoc est domo) communi post mortem patris remanserint, id est habitaverint simul, & unus eorum feudum adquisivit, plerique dicunt ad alium non pertinere, sed ad dominum, nisi per pactum. Sed neque vivente eo, qui acquisierit, neque post mortem ejus: fructus tamen erunt communes, donec simul habitaverint. Quod si cum equis, & armis communibus, vel pecunia communi sit acquisitum, adbuc idem dicunt: ne forte invitus dominus alium quam quem voluerit, sibi acquirat vasallum. Dum tamen meminerimus id quod de communi expensum, alteri pro parte competenti esse restituendum.*

Nec, si unus frater de communi pecunia feudum adquisivit, succedit alteri: sed tantum feudum erit commune, & mortuo fratre, ejus portio deficiens non ei, sed domino aperitur, licet suam partem in feudum habebit. Si autem feudum fuerit individuum, totum fratri superstite accrescit, quia singuli ab initio solidum habuerunt, exemplo servitutis *l.* 17. *D. de servit.* sicut Ducatus, Comitatus, Marchionatus, qui divisionem respuunt, Cujac. *hic*, de ceteris hujus tituli conditionibus dixi *lib.* 1. 20.

TITULUS XIII.

De Investitura, quam Titius accepit a Sempronio.

HActenus de successione descendentium, & collateralium in feudo antiquo; nunc quærit an maritus uxori succedat? & hanc investituræ formulam proponit. Sempronius Titium hac conditione investivit, *ut habere ipse, & heredes sui legitimi masculi, & iis omnibus deficientibus feminæ*. Titius, superstite tantum filia, decessit; filia a domino investita fuit, hoc est renovationem investituræ petit, & concessit. Hæc feudum in dotem dedit: & superstite marito, sine liberis decedit. Feudum non ad maritum, sed seniorem devolvitur.

Ex

Ex hac patet, (1) pater nequit suum feudum filiæ in dotem dare: sed filia feudum recte in dotem marito concedit, quia datio patris in dotem est alienatio, quum dotis dominium ad filiam transeat, *l.* 14. *D. ad l. falcid.* Dum filia feudum in dotem dat, non alienat, quia naturali jure dominium non amittit, & tantum marito administrationem concedit *l.* 75. *D. de jure dot.* (2) mulier feudum in dotem æstimatum dare non potest, nec pactum de lucrando apponere, secus alienatio esset. Denique edictum Prætoris *unde vir*, & *uxor* a re feudali exulat, *dixi lib.* 1. 15., Hotom. & Cujac. *hic*.

T I T U L U S XIV.

De vasallo decrepitæ ætatis, qui feudum refutavit, ut filii investirentur.

DE successionis re iterum agere continuat, & quærit. *Quidam vasallus cum decrepitæ ætatis esset, feudum suum in manu domini ad hoc refutavit*, *UT SEJUM, ET SEMPRONIUM FILIOS SUOS DE EODEM BENEFICIO INVESTIRET*. *Vasallo mortuo. Sempronius sine legitimo herede, Sejo adhuc superstite, decessit. Lis est inter dominum, tanquam novum feudum sibi delatum esse dicentem: & Sejum paternum esse contendentem. Unde eorum sententia prævaluit, qui dixerunt hoc feudum quamvis refutatum, nihilominus esse paternum*. Si Sabinus vasallus vir ætatis decrepitæ, feudum hac conditione refutavit, ut Mævius, & Cajus ejus filii de eodem feudo investirentur. Sabino mortuo, Mævius sine legitimo herede, Cajo fratre superstite, decessit. Inter seniorem, & Cajum contentio oritur: Dominus novum, Cajus paternum esse, inquit. Italiæ sapientibus paternum declarari placuit.

Ratio sapientum est, quia patris refutatio filiorum juri nihil detrahere potuit, sive senioris auctoritatem, sive patris voluntatem intuearis, 11. *f.* 26. §. *Titius filios*, 11. *f.* 39. Filii paternum feudum potius providentia, seu voluntate majorum, quam patris obtinent 11. *f.* 18. Neque hæc patris refutatio primævam feudi qualitatem immutavit, vel immutare potuit. Quælibet feudi natura non nisi consensu domini, & eorum, quorum interest, immutatur. In nostro textu, pater refutatione nihil aliud egisse videtur, quam ut ipse senectute pressus, simulque clientelaria forsitan non sustinens onera, in filios refutavit: Proinde nec feudo mutato, sed paterno manente, merito seniore excluso, filii jure agnationis succedunt. Quin imo si contingat, filios prius decedere, pater eis succedit, quamvis ascendentes descendentibus in jure feudali non succedant. Nam hac

hac in re non proprie pater ſuccedit filiis, ſed id quod ſuum eſt, recipit, recuperat, retinet.

Refutatio eſt feudi renunciatio ſeu ceſſio a vaſallo facta: & triplici modo contingit, vel ſeniori, vel agnato, vel extraneo ceditur. Diſputatum acriter eſt, an vaſallus, etiam invito Domino, ei renunciare poſſit? Quid ſentio, aperiam. Vaſallus invito ſeniori recte feudum refutat, II. *f.* 38. ibi. *Si voluerit unius ſolius partem refutare, aliis ſibi reſervatis: hoc facere poterit: quia vaſallus etiam ſine Domini voluntate, recte feudum refutare poteſt: poſt refutationem tamen ad ſerviendum non tenetur: ſed eum quidem tunc offendere non debet*. Ratio, quia feudum, ſeu feudalis contractus præcipue favorem vaſalli reſpicit, cui renunciare valet: quamvis in aliis contractibus obligationi jam conſtitutæ, altero non conſenſiente, nemo renunciare poteſt *l.* 5. *C. de O. & A.*, modo renunciet tempore, & loco opportuno, ſecus prohibetur. Hinc tempore belli, in quo ſenior vaſalli opera indiget, non recte renunciat, Curt. *par.* IV. *n.* 135., Sosbec. *par.* XII. *n.* 117.

Agnatis ſuis vaſallus etiam refutare poteſt: ſed diſtinguendum. Si feudum novum poſſidet, refutat, quin agnati conſenſiant, niſi eorum contemplatione datum fuerit. Aut antiquum habet, & ſi refutat, agnati non præjudicantur, ſicut *lib.* III. *tit.* 28. §. 30. ſedulo probavi. Aut pater filio, vel deſcendenti refutat ſive feudum novum, ſive antiquum, refutatio valet, quia filius in novo, & antiquo feudo patri ſuccedit; & hæc refutatio anticipata ſucceſſio dici poteſt II. *f.* II., & mortuo refutatario, etiam vivo refutante, ejus heres intra annum, & diem inveſtituræ renovationem petere debet: quum refutatione omne dominium utile in refutatarium tranſiiſſet. Neque refutatione feudum ſuam amiſit qualitatem, atque ſi antiquum fuerat, tale remanet, quia in inveſtitura vocatis nocere non poteſt ut hic feudiſta reſpondet. Neque pater ſimpliciter refutavit, ſed ſub conditione, ut filii de feudo tanquam paterno inveſtirentur, nec aliter refutare poterat, quia filii, vivo etiam patre, jus etſi imperfectum in feudo vindicant, quum in inveſtitura primus inveſtiens, & adquiſitor eos vocaverit, II. *f.* 18., Gloſ. *in* II. *f.* I. *in fin.* In patre feudum poteſt novum, in filiis paternum; nec refutare valet filiis uti feudum novum, niſi ii conſenſiant, ad quos deinde ſucceſſio pertinet, Zaſi. *par.* III. *n.* II., Alver. hic. Denique refutario extraneis fieri non poteſt, quia hæc alienatio cenſetur.

T I T U L U S XV.

De investitura in maritum facta.

ALteram de feudo paterno quæstionem hic declarat, & quærit coram quo judice dirimatur oportet, sicut in sequentibus titulis de foro feudali passim agit.

Vasallus superstite tantum una filia decessit: illa vero maritum accepit, cui dominus, accepta pecunia, partem feudi, quod pater puellæ habebat, retenta sibi parte altera, dedit. Nunc quidam agnatus defuncti cum marito agit, dicens totum hoc feudum esse paternum, & ideo omnimodo esse ad se devolutum. E contra maritus contendit, hanc partem quam ipse habet, novum feudum esse, & ideo domino apertum. Quæritur igitur, utrum apud dominum eundem, & in ejus curia cogatur agnatus defuncti litigare vel apud agnati judicem, vel arbitrum utriusque consensu electum hoc esse debeat? Mihi & aliis placet potius apud judicem ordinarium, vel arbitrum, quam apud eundem dominum hoc litigium fore determinandum. Item placet agnatum non semper esse cogendum probare feudum hoc esse paternum, sed ab adversa parte novum esse probandum. Qua deficiente in probatione, tunc agnato (ut dictum est) caussa cognita detur electio, quatenus vel juret esse paternum, vel alteri parti referat jusjurandum: & ille, aut juret aut taceat.

Species est: Mævius vasallus, filia superstite, decessit; hæc succedere non poterat, quia fæmina, & feudum ad Dominum redibat. Filia, vel ejus maritus partem feudi, soluto pretio, a seniore redemit, alteram partem senior retinuit. Peracta, & investitura, & pretii solutione, agnatus defuncti mævii apparuit, & partem feudi a Genero mævii redemtam, jure successionis ad se pertinere contendit, quia feudum seniori aperiri non poterat, cum agnati superessent, & paternum esset. Gener novum esse, & domino aperiri potuisse affirmat. Quæsitum est, in hac controversia quisnam judex cognoscere debeat? Feudista ordinarium, vel arbitrum respondit.

Ratio responsi est, quia licet senior inter suos vasallos sit judex ordinarius, tamen hac in specie judex ordinarius, hoc est Comes civitatis, vel judex territorii, non Curia, vel pares, judicabit; ne in propria causa judicet. Nam maritus, qui cum agnato contendit, caussam a Domino recognoscit, a quo partem feudi redemit; si succumbet, contra Dominum de evictione ageret, 1 1. *f.* 46., idcirco caussa ad Dominum pertinet, quia ad suum incom-

commodum tendit, *tit. C. ne quis in sua cauſ.* Et quamvis hæc cauſſa apud pares Curiæ decidi videretur, nihilominus ob partem, quam ſenior retinuit, melius ad judicem ordinarium, vel arbitrum recurritur: Si enim partem non reſervaſſet, pares Curiæ judicarent; atque ita hic textus cum *d.* 11. *f.* 46. componi poteſt, Alver., Andr. & Cujac. *hic*. Sed Franc. Curt. *par.* VII. *n.* 4. hunc textum *ad.* 11. *f.* 46. corrigi arbitratur, ubi pares Curiæ cognoſcere, non judex ordinarius, debent. Et ſuadet; cui addo; hæc partis retentio non efficit, quominus pares Curiæ non cognoſcant, cum hic agnatus partem a Genero petens, etiam ſenioris partem a ſe retentam petere intelligitur, diſſen. Roſent. *cap.* XII. 2. *n.* 24.

Conſtituto in hac controverſia Foro, quis probare debeat feudum eſſe aut novum, aut paternum? Agnatus paternum, maritus novum contendit. *Placet agnatum non ſemper cogendum probare feudum hoc eſſe paternum, ſed ab adverſa parte novum eſſe probandum*, §. *placet h. t.*, & 11. *f.* 11. §. *ſi vero*, 11. *f.* 26. *prin.*, quia feudum potius paternum, quam novum, ſicut potius rectum, quam non rectum præſumitur, Zaſi. *par.* XI. *n.* 28. Maritus ſi in probatione deficiat, agnatus, cauſſa prius a judice cognita, aut juret paternum eſſe, aut parti, id eſt marito jusjurandum deferat, & maritus aut jurare, aut lite cadere cogitur, quia turpe eſt nolle nec jurare, nec jusjurandum referre *l.* 38. *D. de jurejur.* Hæc electio datur agnato etiam non poſſidenti, quia feudum eſſe paternum præſumtio eum defendit, quod Hotoman. more ſuo arguens non animadvertit.

§. XLVIII.

De quæſtione feudali.

Altera quæſtionis ſpecies *in* §. *illud tamen h. t.* proponitur, in qua duo feudum antiquum eſſe contendunt. Feudiſta reſpondet. *Illud tamen ſciendum eſt, quod ſi inter duos, qui dixerint ſe eſſe vaſallos, de feudo fuerit dubitatio: alter alterum invitum trahere non poteſt ad Dominum, vel ejus curiæ judicium* (Cujac. *judicem* legit.) *Si vero cum ſua Curia Dominus vocaverit eos, nemini eorum licet illius domini, vel ejus curiæ examen declinare.* Hotom. neſcire fatetur, & textum inconſtantiæ, & iniquitatis arguit, quaſi partes ad duellum concitaret. Cujac., & Gotofr. intelligunt, ideo alter alterum invitum non trahit, quia invicem ſe vaſallos eſſe negant, & ſe pares non habere contendunt. Secus ſi de re ad feudum pertinente ageretur, tunc alter alterum ad dominum, vel ejus curiam trahet. Male: nam ambo de feudo litigant, & ambos vaſallos ſe eſſe profitentur. Roſent. *cap.* XII. 2. *n.* 25. & 31. nihil concludit. Sonsbec. *par.* XIV. *n.* 8. attingit, quia ſi uterque dicit ſuum eſſe feudum, oportet al-

 terius

terius eorum non esse, cum duo ejusdem rei in solidum vasalli esse non possunt. Si igitur alter alterum ad seniorem vocare vellet; alter diceret, alterum ex nobis esse ejus domini vasallum necesse est, & sic ille senior noster judex esse non potest.

Ego, nisi abalienor, veram rationem, cur alter alterum invitum non trahit, suspicor, quia forsitan unus ex his audacter asserebat feudum sibi competere, nec judicum sententiæ obtemperare velle, quum majorem rationem haberet, aut habere crederet. Tunc actor auctoritatem vindicare non potest, ut invitum ad seniorem trahat. Senior, audita rei quæstione, eos ad suam Curiam vocat, & tunc comparere necessario cogitur, quia est forum competens, nec ei judicium senioris, vel ejus curiæ licet declinare. Pares cognoscunt, quia facilius feudi qualitatem callere possunt; intervenit & dominus, cum non satis constaret, quis litigatorum esset vasallus. Si enim inter duos vasallos contentio esset, solus senior cognoscit; & in tit. 20. h. lib. dicam. An vasallus dominum, vel pares curiæ recusare, declinare, vel ejus jurisdictionem prorogare possit? in seq. tit. dabo.

T I T U L U S XVI.
De controversia feudi apud Pares terminanda.

Supra plures controversiarum species exhibuit, in *hoc tit.* docet, si quæstio inter seniorem, & vasallum oriatur, coram quo judice dirimi oporteat. Et regulam constituit, *si inter dominum, & vasallum de feudo orta fuerit contentio: per Pares illius domus, sicut lex Conradi dicit, dirimatur. Si tamen pares habeat, & si quidem dominus & vasallus consenserint in eligendis paribus: nulla dubitatio est. Si vero dissensiant, tunc quid faciendum sit, quæritur. Sed prævaluit eorum sententiam qui dixerunt, dominum debere eligere prius quem, aut quos voluerit. Et vasallus similiter hoc faciat secundum numerum a domino comprobatum. Ille tamen vasallus, qui fidelitatem domino non juravit, domino, vel vasallo dissentiente, pro pari non est eligendus*, & 1. *f.* 18., 11. *f.* 20., 11. *f.* 39. §. 1., 11. *f.* 34., Joan. Blanc. *lib.* IV. c. 1. *n.* 3. quia pares melius caussæ cognitionem scire, nec odio, amore, vel pecunia ob jurisjurandi religionem jam domino præstitam corrumpi præsumuntur. Si autem vasallus, & senior in eligendo dissentiant: Dominus eligere potest, quem, quos, & quot volverit, quia dignior prius eligere debet. Et vicissim vasallus totidem, servato numero a seniore electo, seligere valet. Quod si vasallus eligere noluerit, Pares a seniore electi soli caussam dirimunt, Schenck *hic n.* 8.

Exci-

Excipit *hic* feudista; *ille tamen vasallus, qui fidelitatem domino non juravit, domino, vel vasallo dissentiente, pro pari non est habendus*. Par Curiæ non censetur, qui fidelitatem seniori suo non juravit, licet feudum ab eo cognoscat; & recte: quia jus feudale ideo plurimum de Parium integritate confidit, quia jurisjurandi religio eos veritatem dicere compellit. Quod si communi consensu vasallus, & senior hunc Parem injuratum eligant, electio valet, cum consentienti, & volenti nec injuria, nec dolus irrogetur *l.* 34. *C. de Transact.* Si autem senior pares, seu convasallos non habet, controversiam judex ordinarius cognoscet, Alver. *hic*.

Quamvis Parium jurisdictio fuerit ordinaria, & jure civili judex ad judicandum cogi possit *l. fin.* §. 14. *D. de Muner.*, tamen feudistis pares cogi non posse placuit, nisi caussam jam cognoscere cepissent, tunc perficere coguntur. Et si cognoscere nolunt, judex ordinarius, vel arbiter cognoscet. Hodie moribus Germaniæ, sicut suæ regionis Ictus Zasi. *par.* XI. *n.* 20. testis est, vasalli, statim ac Dominus petit, judicare solent; Alver. *in* II. *f.* 46. Verum hæc opinio a multis retenta mihi arridet. Generaliter enim pares ad judicandum electos vel Dominus si facultatem habet, vel judex ordinarius judicare compellet, nisi aliter justa suadeat caussa. Nam judicare auctoritate, & utilitate est munus publicum, quod quisque acceptare tenetur. Hinc judex datus, aut ordinarius *l.* 13. §. 2. *D. de vacat. mun. l.* 18. *C. de Decur.*, Rosent. *cap.* XII. 4. 51. An autem pares recusari possint? jure civili judex delegatus etiam a Principe recte recusatur *l.* 16. *D. de judic.* judex ordinarius si est suspectus ex Justiniani constitutione, adjungitur loci Episcopus, & utriusque industria caussa *amicabiliter* dirimatur *auth. si vero C. eo.*, quæ hodie moribus exulat. Sed recte tam delegatus, quam ordinarius recusari potest *arg. l.* 10. *D. de jurisdict.*, quia coram suspecto judice periculosum est litigare, cum ambo amore, odio, favore, amicitia, pecunia corrumpi valeant. Quæ recusatio ante litis contestationem proponenda, quia lite apud eum contestata, caussis recusationum actor, aut reus renunciasse intelligitur, cum in eum consenserit, Wisenbac. ad *l.* 16., Perez *ad tit. C. eo. n.* 23., Cujac. IX. *obs. c.* 23. ubi de modis recusandi prolixe agunt. De Paribus, qui sunt ordinarii judices, idem dicendum; sive soli, sive cum domino, sive solus dominus judicent, & arbitri eliguntur, qui caussam recusationis cognoscant. Nam domino recusato, Pares cognoscunt; Paribus recusatis, superior Curia judicat, finge, Imperator; si hæc Curia non exstat, ad judicem ordinarium confugitur, Ardizo *in sum. c.* 35., Blanc. *lib.* IV. *c.* I. *n.* 20., Rosent. *cap.* XII. 4. *n.* 60.

Ex his colligitur, (1) si est controversia inter duos vasallos feudalis, eorum dominus cognoscit II. *f.* 51. §. *praeterea si inter*, Duaren. *c.* 20. *n.* 2. Buddingh. *dissert. de orig. & nat. contract. feud.* §.55., quia praecipuus directi dominii effectus, ut beneficii infeudatione senior in vasallum jurisdictionem adquirat, quae, cum a lege feudali maneat, ordinaria dicitur. (2) Si Dominus, & vasallus litigant, Pares Curiae judicent, ut *hic* feudista, & d. §. *praeterea*; sive de feudi investitura, sive felonia, fidelitate, amissione, & simili quaestio oriatur, ne Dominus in propria caussa judicet, I. *f.* 10., I. *f.* 11., II. *f.* 32., I. *f.* 23., I. *f.* 26. (3) Si dominus cum extraneo litigat, qui adhuc non est vasallus, nec feudalis agitur causa, aut si de feudo simpliciter promisso, nondum tradito disceptatur, aut si dominus pares curiae non habet, aut si aliter loci consuetudo expostulat: aut si dubitatur, uter litigantium sit vasallus, aut si pares judicare non possunt, judex ordinarius, qui in Italia erat Comes Civitatis, cognoscit, Rosent. *cap.* XII. I. *& seqq.*, Vultej. *lib.* II. *c.* 2. *n.* 34., & *lib.* IV. *tit.* I. 2. *&* 3.

Nec vasallus senioris, & Parium jurisdictionem prorogare, & in alium judicem consentire possunt, quin dominus assensiat, quia haec jurisdictio est naturalis, a lege orta, & moribus Italiae, aliorumque adprobata, & recte inter jura senioris recensetur. Hic senioris consensus, vel expressus, vel tacitus sufficit, quo vasallum, ne coram alio judice litiget, impedire valet, Curt. *par.* VII. *n.* 19., Sonsbec. *par.* XIV. *n.* 36., Alver. *in* II. *f.* 15. §. *illud n.* I.

TITULUS XVII.

De eo, qui sibi, vel heredibus suis masculis & feminis investituram accepit.

IN antecedentibus titulis plura obscura enucleavit, nunc alia interpretari aggreditur; videlicet quoddam investiturae pactum, hac formula conceptum, *pro se, vel heredibus masculis, vel his deficientibus feminis per beneficium investituram feudi accepit.* Vasallus, relicta tantum filia, decessit, haec successit, sicut in investitura dictum erat; postea nuptias contraxit, & marito suo feudum in dotem dedit. Ex his nuptiis, duobus filiis procreatis decessit. Unus ex filiis duas filias, alter unum masculum reliquit. Controversia inter filium filii ex una parte, & consobrinas, seu sorores patrueles ex altera instituitur. Filius, inquit, totum feudum ad se pertinere, quia solus est masculus ex primo adquirente descendens: filiae e contra succedere contendunt, cum patri sine herede masculo decedenti successerint. Feu-

Feudista in hac specie respondit, *cumque inter sapientes sape super hac quaestione sit disputatum: tandem pro masculo pronunciatum est: Non enim patet locus faeminae in feudi successione, donec masculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus*, & 1. *f. 6.* §. *quin etiam*, 1. *f.* 8. §. *filia*. Hinc duplex eruitur regula: prima, mulier in dotem feudum dare valet, conf. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 82., secunda, in feudali successione, donec ex linea prima adquirentis masculus superest, faemina nunquam succedit: & si faemina, mare non existente, succedit, quae filium & filias procreavit, filius, exclusa sorore, admittitur, licet successio intermedia fuerit faeminea, quia incidens faeminae persona feudi originem non mutat. Investitura non vocavit faeminas, nisi masculis deficientibus, qui, nihil refert, an a stirpe masculea, an faeminea, descendant. Nec inspiciendum quibusnam personis feudum descendat sed principium perpendimus. Filia primi adquirentis in hac specie idcirco successit, quia masculus non supererat, & licet post tres descendentium successiones feudum esset possessum, tamen semper heredes vasalli primi adquirentis intelliguntur, sub conditione donec masculus non superesset, qui an statim, an postea nascatur, nihil refert. Placet Alveroti opinio *hic n.* 5. qui contra Andream animadvertit, ut si faemina succedat, & postea masculus superveniat, masculus faeminam jam in successione repertam non excludit, sed feudum retinebit. Sicut in hac quaestione, postquam filia primi adquirentis successit, a suis filiis deinde natis non excluditur. Hinc aliud est feudum adquirere, aliud retinere: faemina, si masculus est, adquirere non potest; sed si adquirit, & supervenit masculus, retinet, quia initio successionis nemo obstabat, Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 79., Curt. *par.* 111. *n.* 33.

§. XLIX.

De recognitione feudi.

Ex contrario sensu aliam quaestionem proponit; *si ille, qui proprium feudum suum militi pro beneficio dedit, duobus filiis relictis decesserit, quorum unus filia tantum relicta obiit: alter vero filio masculo relicto superstite defunctus est: quod miles non debet feudum per faeminam recognoscere, donec superest masculus ex eo, qui primam investituram fecit. Alii dicunt per filiam debere recognoscere, cum de paterno allodio esset hoc feudum: alioqui si aliunde esset, verum esset, quod dicitur per faeminam non debere recognoscere.* Hotoman. verba *proprium feudum suum* delet, & *proprium*, hoc est allodium legit, & feudistam de allodii infeudatione intelligit. Alvero. *hic n.* 5. & Curti. *par.* 111. *n.* 16. verba, *alii dicunt per filiam debere recognoscere cum de paterno allodio esset*, usque ad finem,

nem, non in omnibus libris inveniri scribunt. Quicquid sit, duce æquitate; si pater feudum hac lege adquisivit, ut, deficientibus masculis, fœminæ succederent; si militi subinfeudavit, deinde, duobus filiis relictis, decessit, qui in patronatum feudi successerunt: postea unus ex filiis decessit, filio superstite, alter, relicta filia. Miles iste feudum recognoscere, hoc est hominum exhibere, investituram petere, & servitia præstare a solo filio, non filia tenetur, quia sicut in stirpe vasalli, donec masculus extat, fæmina non succedit; ita & de patroni stirpe sensiendum. Nepos igitur in feudum avitum, non neptis succedit.

Aliud suadet æquitas: si pater non feudum, sed suum allodium alteri infeudavit, & duobus filiis relictis, decessit; unus filium, alter filiam reliquit. Vasallus tam a filio, quam filia feudum recognoscere debet, quia in allodiis fæminæ, & mares simul succedunt, & iniquitatis pactum esset, si conveniretur, ut, superstitibus masculis, fæminæ in alode non succederent. Cur autem fæmina in allodio, quod pater, vel avus jure feudi alteri concessit, succedit? Nonne est verum feudum, a quo fæmina generaliter tam uti vasalla, quam domina excluditur. Hac ratione moti Rosent. *cap.* VII. 34. *n.* 8., Curti. *loc. cit.*, & Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 56. etiam in hac feudi specie successionem negarunt. Negarem, nisi aliter æquitas ministraret, hoc est, modo in legitima, vel dote, vel alimentis non lædatur; his salvis, successionem negabo. Si itaque vasallus intra annum, & diem, in hac specie, a filia, & filio æqualiter investituræ renovationem non petierit, beneficium amittit.

TITULUS XVIII.
De duobus fratribus a Capitaneo investitis.

ALteram investituræ formulam interpretatur, nempe: *duo fratres Titius, & Sejus a quodam Capitaneo de novo beneficio simul investiti sunt: eo videlicet tenore*, ut quamdiu ipsi, *vel eorum heredes masculi viverent, & masculis deficientibus, fæminæ, si superessent, feudum haberent*. Unus ex fratribus decedit, frater superstes ex investituræ pacto, ei succedit. Verum si hic frater, relicto descendente, etiam fæmina, decedit hæc patruum excludit. Rationem addit, *unusquisque enim sibi, suisque heredibus videtur prospexisse*, *l.* 40. §. *fin. D. de pact.*, frater non descendit a fratre, nec ipsi, sed suo descendenti, speciali pacto, consulere voluit, Pistor. *lib.* 11. *q.* 35. *n.* 7.

In hoc textu occurrit mentio investituræ simultaneæ, quam nonnulli perperam a jure longobardo ablegant., & nihil aliud est, nisi

nisi duorum pluriumve in eadem investitura vasallorum vocatio, ut Capitaneus seu Marchio, Dux, Comes, vel suum allodium, vel sui feudi portionem duobus fratribus de novo infeudavit, qui tamen invicem non succedunt, quia simultanea tantum investitura jus succedendi non tribuit, nisi pacto sponteat, 1. *f.* 1. §. *sin autem*, 1. *f.* 14. §. *si duo*, & noster textus concinit. Simultanea etiam investitura contingit, si vasallo consentiente, alius a Domino in sui feudi possessionem immittitur, & utilis dominii fructus ambo percipiunt. Consensu vasalli opus, quia de ejus agitur præjudicio; & possessio tradenda est, secus expectativa feudalis diceretur, Pistor *lib.* 11. *q.* 20. *n.* 2., Roth. *in pand. feud. cap.* XII. *q.* 44. Simultanee investiti reciprocam succedendi societatem adquirunt. Unus sine alterius consensu alienare nequit, secus instar agnati jus revocandi exercet II. *f.* 26. §. *Titius*. Denique *in* §. *ult.* *h. t.* si frater sine herede masculo, vel fæmina decedat, ejus portio, hoc est medietas non domino, sed alteri fratri aperitur, cum pacto mutuam successionem adquisivissent.

T I T U L U S XIX.

An removeri debeant testes, qui pares esse desierunt.

SAepius de investitura, ejusque pactis dominum inter & vasallum quæstio instituitur, quæ, cum a paribus dirimenda sit, quærit, quonam tempore eorum conditionem inspicere oportet? & respondet, *tamen mihi, & quibusdam aliis videtur sufficere eos tempore investituræ saltem tales fuisse. Quid enim peccavit, qui investituram accepit, si illi, quos eo tempore, ut pote idoneos adhibuit, postea pares esse desierunt*. Si itaque senior in nova investitura pares duos saltem, aut tres adhibuit, & postea, vel amisso feudo, vel status mutatione pares esse desierint; nihilominus, orta de investituræ pacto, successione, vel natura quæstione inter dominum, & vasallum, ad probandam investituram recte idonei testes æstimantur. Ne rei gestæ veritas inopia probationum periret, *l. pen. C. de haret.* Nam conditio testium tunc inspicitur, cum testimonium perhibent, licet tempore depositionis mutata fuerit, sicut de testamentariis testibus, inquit Ulpian. *in l.* 22. §. 1. *D. qui testam.*; aut si communis consensus pares esse censebat, qui tales non erant. Aliud autem est, si ab initio non fuerunt pares, & postea pares evaserunt de investitura testari non possunt, quia investituræ non interfuere, ut recte contra Andream *hic* Alver. *n.*3., Curt. *par.* 11. *n.* 23. & 24.

TITULUS XX.
De controversia inter Episcopum, & vasallum.

JAcobus Cujacius hujus tituli epigraphen concipit, *si inter Dominum, & fidelem de feudo fuerit quaestio;* & controversiam satis concinam superioribus titulis annexam continet.

§. L.

De judicio Parium.

Mævius senior Titium de annuo reditu ex cellario, penu, vel ærario suo præstando, hac lege investivit, ut Titius ipse, donec viveret, frueretur, nec morte Mævii Senioris extingueretur. Decessit Senior, Titius a successore investituræ renovationem simul cum annua præstatione petit, cum ob mortem senioris investituræ confirmationem exposcere debeat. Senioris successor eum vasallum esse negat. Quæsitum est, an paribus Curiæ quæstionem dirimere oporteat?

Feudista respondit, *laudatum sæpe scio, pares illius Curiæ secundum præfatum modum esse eligendos prius., ad quorum spectat officium ut illum prius de suo recto feudo investiri faciant: sed fidelitatis jusjurandum differatur, donec de principali caussa cognoscatur. Ex illo enim apparebit, utrum jurare debeat, an non: quod totum expeditæ quæstionis est. Sed si constiterit, vasallum aliquid aliud præter id, de quo quæritur, ab eodem domino tenere pro feudo: tunc quin debeat de suo recto feudo investituram accipere, & fidelitatem jurare, & sic ad principalem caussam accedere, non est dubitandum.* Ex rebus judicatis, ut vox *laudatum*, hoc est *judicatum* ostendit, sic respondit, hoc judicium paribus competere, quos prius senior, deinde vasallus elegerit. Et modus judicandi erit, ut electi Pares vasallum de recto suo feudo investiri curent, non præstito fidelitatis jurejurando; & investitura, aut realis, aut saltem verbalis esse debeat, ut Parium jurisdictio fundata dici posset. Hoc igitur investituræ quæstio colore, Pares de Principali caussa cognoscunt, id est, an prædecessor vere investituram egerit. Si dominus vicerit, illa investitura colore quodam acta, corruit. Si vicerit vasallus, senior de recto feudo investire eum debet, & vasallus jusjurandum fidelitatis præstabit. Neque investitura est de feudo novo, sed veteris investituræ renovatio, quam veram Pares, vel testato, vel iisdem paribus judicarunt.

Ex hoc responso rejecta fuit vasalli exceptio, de quo hic, *opponit enim vasallus, quod dominus eum negat esse vasallum, & ideo in ea curia pares non habet. Item dicit vasullus, quod prius de suo recto feudo debet investiri, quam a nemine judicari.* Videlicet,

licet, si negas me esse tuum vasallum, igitur apud Curiam tuorum Parium me convenire non potes, sed judex ordinarius cognoscere debet. Hic senior erat Episcopus, vasallus coram Archiepiscopo litigare debuerat. Præterea, vasallus inquit, si tua Parium Curia me judicare vellet, prius possessionem, seu realem investituram juris incorporalis mihi infeudat nempe annua decem percipiendi obtinere debeat, ut forum competens constituatur. His exceptionibus senior Episcopus obloquitur, hanc caussam coram aliis suæ Ecclesiæ vasallis decidendam, an investitura vera vel non fuerit, an jurare vel non debeat. Episcopi senioris probatio obtinuit, quam supra retuli. Ex his constat, Episcopos tam in Italia, quam Germania bonorum suæ Ecclesiæ infeudatione vasallos sibi constituisse, quos media ætas *vassos*, *ministeriales*, & simpliciter *vasallos* appellat.

In proposita quæstione idcirco vasallus investitur, quia pares erant sibi judices incompetentes, cum Titius nihil aliud ab Ecclesia teneret. Si enim aliud feudum sine controversia ab Episcopo, seu Ecclesia recognosceret. Tunc Pares investire de feudo, de quo certatur, fidelitatem jurare, & in possessionem immitti curabunt, quin principali caussæ id noceat. Nam vasallus possessionem, vel quasi, de qua spoliatus erat, agit, & interdictum Prætoris, spoliatum ante omnia restituendum jubet, & restituta possessione, investituram prædecessoris renovat, *cap. 82. extraord. Si qua contentio de beneficio inter aliquos (prout sæpe fieri solet) orta fuerit, si unus dominus, vel loco domini habeatur, & alter vasallus, vel loco vasalli habeatur: si per pares secundum usum regni judicium ventiletur, primo de suo recto beneficio investiri debet, & si possessio aliqua perturbata fuerit, modo restitui debet.*, Andr. *hic* ubi Lipar., Zasi. *par.* XI. *n.* 25.

TITULUS XXI.
De milite vasallo, qui arma bellica deposuit.

HActenus egit de controversia inter vasallum, & seniorem respectu investituræ orta, aliam nunc attingit, quæ ex voluntate prorsus vasalli dependet, qui suam conditionem, & statum mutavit, cum ad religionem vel clericatum transiisset, & statim feudum amisit.

§. LI.
De vasallo clerico.

Quæsitum est, an assumpta religionis, vel clericatus veste, donec vixerit, feudum retinere posset? Respondet, *judicatum est, domini,*

mini, vel agnati conditionem esse potiorem, eo quod desiit esse miles sæculi, qui factus est miles Christi: nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.

His verbis tria declarantur, primum, monachismo, vel clericatu feudum amitti; secundum domino, vel agnato aperiri; tertium hujus privationis caussam ostendit. Primo, si vasallus habitum religionis, vel clericatum assumit, feudum amittit, II. *f.* 26. §. *qui clericus* II. *f.* 30., II. *f.* 36., in quibus muto, surdo, cæco, claudo, aliisve imperfectis comparatur, quia elegit statum, qui cum militari conditione componi non potest, sicut assidue sacer Canon iis arma tractare negat. Nec refert, an in ordine minori, prima tonsura, an in majori, sacerdotio; an in superiori sacræ dignitatis gradu, Episcopatu, seu Archiepiscopatu, Primatu, Patriarchatu, Cardinalatu, vel pontificatu reperiatur, ut communi propemodum Interpretum sententia obtinuit. Et recte: quia feudalis textus generaliter clerico successionem, & feudi retentionem negat, nec distinguit, & rebus judicatis in variis Europæ dynastiis, & tribunalibus invaluit, Rosent. *cap.* VII. 29., Pistor *lib.* II. *q.* 33., Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 128., Rothi *in Pand. feud. cap.* XXII. *q.* 10. Bammacar. *ad d.* §. *qui clericus q.* I. *& seqq.* Nec, si velit, per substitutum servire potest, & admittitur, quia hujusmodi substitutus serviret ex illo jure, quod clericus haberet, ejusque personam repræsentaret. Sed clericus nullum jus in feudi successione vindicat, quomodo in alterum transferre valet. Et si per substitutum servire concederetur, feudista non tam sedulo, nec tam generaliter clerico, vel monacho successionem, & retinendi feudum facultatem negasset.

In nostro textu, inquit, *hic donec vixerit, feudum retinere conatur, quod dominus, vel agnatus ad se pertinere contendit.* Vasallus jam clericus factus feudum retinere conabatur, nihilominus hæc ejus intentio, & voluntas rejecta est, cum clericatus, & monachatus assumptione dominus, vel agnatus jus adquisiverint. Et in II. *f.* 30. docet, *ex hoc illud descendit, quod dicitur clericum, nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi posteaquam habitum religionis assumpserit, postposuerit.* Verba, *nullo modo* ostendunt, sive suus substitutus servire velit, semper feudum ipso jure amittit. Præterea in omni clientelarum investitura, nisi aliter constet, assidua conditio militaris intelligitur, videlicet ut in pace, & bello serviat. Senior vasallo beneficium concessit, dum hæc servitia præstare poterat; si deinde vasallus statum mutat, aliasque obligationes sibi imponit, conditionem in suo feudo tacite jacentem infringit, violat, & renunciasse censetur; & si dominus scivisset, non concessisset. Unde, & naturæ feudi, & concedentis volun-

luntati adversatur, cujus beneficio indignus, & incapax evadit. Duo enim officia inter se distincta, & contrarias requirentia obligationes ab uno administrari nec lex, nec ratio permittit. Quia imo senior ne volens quidem, repugnantibus proximioribus feudi agnatis, ad successionem admittere potest ob illud jus, quod clericatus, vel monachatus assumptione, quasi de medio sublato, adquisiverunt. Atque hæc est naturalis textus beneficiarii, & Interpretum intellectus, quem nonnulli inferioris subselli feudistæ perturbare, aut in paucis negare auserunt.

§. LII.

De casibus, in quibus clerici succedunt.

Plures vero exceptiones ex feudalis textus mente eruuntur, in quibus clericus, aut monachus succedit, & (1) si voluntas hominis, nempe senioris in feudum clericum succedere, vel retinere expressit; vel voluntas legis, consuetudinis, vel statuta admittat. Nam tantum potest voluntas hominis in re sua, quantum lex in restringenda, aut extendenda bonorum civium administratione, & actibus civius communi populi consensu adprobata valet, Sonsbec. *par* IX. *n.* 115., Pistor *lib.* II. *q.* 33. *n.* 27., & hodie in Germania clerici in feudo succedunt, illudque retinent, Boehmer. *de feud. Ecclesiast. c.* II. §. 4. (2) si clientela nullum servitium præstare teneatur, quia causse exclusionis est servitium, qua cessante exclusionem cessare oportet, aut si annuum canonem soluit, Scrad. *par.* VII. *c.* 5. *n.* 30., quum solutio canonis, aliave præstationis obligatio, & clerici in divinis usibus officium mutuo se se non destruunt, & ambobus vacare potest. (3) Si fraude patris, vel agnatorum clericatus habitum induit, ut ei successionem eriperet, is, si habitum legitime deponit, succedit, quia fraus nemini patrocinatur, etiamsi, re adhuc non integra, clericatum abjiciat, præsertim si in tenella ætate parum mente pollens clericatui se mancipavit. Hæc tamen fraus non præsumitur, nisi probator, Curt. *par.* III. *n.* 25., Vultej. *loc. cit. n.* 140., Bammac. *loc. cit. q.* 12. *n.* 218. (4) Si monachus intra probationes annum a religione exivit. Sed recte primus Jac. Ardizo *in sum. c.* 97., qui ceteris postea placuit, præsertim nostro Andreæ, distinguit, *ad tollendas istas ambages potes dicere, ut re integra, idest nondum habita quæstione de feudo clericatum dimittat, quod feudum retinere possit, & eum recuperat: alioquin si jam habita est quæstio de amissione, vel res non est integra, quod tunc non recuperet, licet clericatum dimittat*; quod & de monacho intelligitur. Res integra tunc dicitur, quoties nondum disputatum est, quisnam succedere debeat, quia fortasse, vivo patre, aliove feudi possessore, legitime habitum dimi-

dimisit; nec dici potest feudum amisisse, quod nunquam possedit.; amittimus, quod habemus, amittimus nostra, non ea, quorum dominium, vel possessionem non tenens, Andr. *hic n.* 2. Non displicet exceptio Alveroti *hic n.* 7. quod si clericus tempore mortis patris, aliusve vasalli laicus invenitur, sed ob delictum exauctoratus est, non sponte dimisit, quia infamiam contraxit, & infamis in Curia Domini stare non potest, non succedit, 11. *f.* 37.

(5) Si in militaris feudi investitura, vel tacite, vel expresse ex senioris indulgentia, vel ante, vel postea obtinuit, ut per substitutum servire posset, modo idoneus sit 11. *f.* 55. §. *firmiter*. Aut si alicui dignitati feudum fuerit annexum, clericus, qui dignitatem possidet tanquam vasallus natus illud feudum possidet. Sed an monachus, donec in vivis agit, monasterium clientelam retineat, & per substitutum serviat. Recte placuit, statim, servata superiori distinctione, feudum vel domino, vel agnato aperiri. Nec hodie, Clerici, Cardinales, Episcopi, & Monachi in nostro regno feudis succedunt, Bammac. *loc. cit. q.* 7. *n.* 141. *&* *q.* 6. *n.* 105. Quæsitum est, an Equites hierosolymitani, Melitenses, Teutonici, & similes in feudum succedant. Prætermissa opinione: dicam, succedere, quia etsi votum castitatis, obedientiæ, & paupertatis emittant, arma tamen contra Christi hostes non amiserunt, sed exercent. Non obstat obedientiæ votum, quod nomine tantum celebrari, & exequi videtur, nec religio limites tam arctos tenet, sicut monastica vivit; nec servitii assidue senior indiget; fateor tamen non succedere, si vel eorum statuta, vel regulæ qualitas aliud suadeat, Pistor *lib.* 11. *q.* 33. *n.* 22., Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 132. & *seqq.*, Alver. *hic n.* 9. Vasallus igitur, qui clericatum, vel monachatum induit, si feudum est novum domino, si antiquum agnatis aperitur, qui dominum excludunt. Ex his constat, clericum in feudo non succedere, tamen posse a seniore scienter investiri, sicut & fœminam, & quamlibet personam succedendi, retinendique incapacem, cui senior per substitutum servire permissit, suoque juri renunciat, 11. *f.* 40., Strykius *Exam. jur. feud. cap.* VI. 18.

TITULUS XXII.

De Milite vasallo, qui contumax est.

IN Superioribus titulis noster feudista varias beneficiorum controversias enodavit, & cum feudalis quæstio vel coram seniore, vel paribus, vel ordinario agenda, judiciarium ordinem, quem citatio præperat, requirit, non immerito de citatione, & vasalli contumacia, aliisque agit. Do-

Dominus vocat militem, qui ab eo feudum possidebat, dicendo eum in culpam incidisse, per quam feudum amittere debeat, hic non respondet: quaeritur, quid faciendum sit domino? Respondeo eum ad curiam vocari debere, & si non venerit, iterum eum debere vocari usque in spatio tertio septem, vel decem dierum, arbitrio ejusdem curiae terminando. Quod si neque venerit ad tertiam vocationem, hoc ipso feudum amittat. Et ideo debet curia dominum mittere in possessionem. Sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio: alioquin & beneficium, & possessionem amittit: ut in Lombardia de iis, qui ad palatium venire contempserint, l. si cujuscumque.

§. LIII.

De citatione, & contumacia.

Duos continet partes: Prima pars docet, vasallum ter legitime citatum, feudum amittere, si apud senioris sui Curiam comparere recusavit, modo anno etiam transacto non venerit. Nam citationis ordo est: si senior ob vasalli feloniam, aliamve caussam feudum sibi apertum esse intendit, tribus edictis eum ad Curiam vocare debet, spatio vel septem, vel decem dierum. Si his tribus edictis, vasallus non paruit, dominus in sui feudi possessionem immittitur, & anno possidet. Transacto anno, vasallus, & possessionem, & feudum amittit; secus si intra annum venerit, tunc possessionem recuperat, sed litis expensas Domino reficere debet, & interim Dominus coram Curia feloniam, vel aliam caussam probabit, *princ. h. t.* Ordo judiciarius jure feudali, & civili idem fere est, cum Italia jure romano, & pontificio assidue seculo XI. & XII. uteretur. Initium omnis jurisdictionis, & actionum instituendarum a titulo de *in jus vocando* nascitur, quod posterior Romae aetas *citare* dixit, licet citatio sit quoddam judicii praeludium, & vellicatio potius, quam partium, seu rei, & actoris conflictus; quum judicium proprie a litis contestatione ordiatur.

Olim aliud erat in *jus vocare*, aliud *citare*: Citari dicebatur reus cum ipsa cognitionis die, quae ante ei dicta est, in foro, & tribunali eum praeco evocabat; an praesens, nec ne esset. In jus vocare erat, adversarium, olim propria auctoritate, hoc est jure XII. tabb., & pandectarum, vocare apud eum, qui jurisdictioni praeerat, juris experiundi caussa *l. 1. D. de in jus voc.*, Duaren. *lib. 1. disput. ann. c. 7.* Hodie citare, & in jus vocare idem valent. Et omnis citatio aut simplex, aut peremptoria est: *Simplex*, non constituit quem contumacem, nisi tertio facta sit: *Peremptoria* simplices citationes ita perimit; ut qui praefinita die non venerit, contumacem declaret, *l. 68. & seqq. D. de judic.* Radevic. *lib. III. de G. Fr. 1. c. 27. legitimas inducias jurisperiti vocant judicis edi-* *ctum*

ctum unum, mox alterum, & tertium, & unum pro omnibus; quod PEREMPTORIUM nominatur. Hæc autem citatio, seu peremptorium edictum duo edicta continere debet; non tria præcessisse oportet, quia edictum peremptorium non est quartum, sed tertium *l. 9. C. quomodo & quand.* Noodt *lib. 1. obser. c. 8.* Olim singulæ citationes decem dies habere debebant, jure novissimo triginta; hodie præcipue moribus, vel breviores, vel longiores, habita locorum ratione *Nov. 53. Nov. 112. c. 3. l. 1. C. de Dilat.* In hoc textu feudista veteri juri, quod decem dies dabat, & juri pontificio, quod septem indulgebat, adhæsit *can. præsenti v. q. 2.* Fatendum pro diversis curiarum moribus, personarum qualitate, loci absentia, itineris difficultate, aut periculo, aut majora, aut minora temporis spatia concedi, quæ judex arbitrabitur.

Contracta a vasallo contumacia, dum tribus citationibus legitime actis parere noluit, Dominus a paribus suæ Curiæ in illius feudi possessionem immittitur; qua vasallus spoliatus ex feudo nihil percipit, & jurisdictionem, si quam habet, etiam amittit, quia ob contumaciam infamis evasit, & infamis judicare non potest. Hæc consuetudo in Neapolis regno etiam servatur, dum feudatarius, vel Baro pro capitali crimine est contumax, ejus jurisdictio sequestratur, & regia Curia detinet, eamque exercet, donec tædio affectus compareat, & contumaciam purget. Interim fructus vel procurator, vel alius nomine Baronis ab eo designatus percipit, Lipar. ad Andr. *hic lit. t.* Neque hæc vasalli contumacia uno modo contrahitur, sed & pluribus, quos Vultej. *loc. cit. cap. XI. n. 27.* ad duo reducit, nempe vel circa *judicia*, vel *negotia*, quæ extra judicia contingunt. Circa judicia, si vasallus domino suo justitiam facere nolit, *II. f. 24. §. illud tamen*: si ad judicium, seu curiam Parium vocatus venire recusat: si judicio stare condemnit. Circa negotia, si servitium non præstat, si hominium exhibere nolit, si requisitus domino a se læso satisfacere repugnat, *II. f. 24. §. est & alia, II. f. 55. §. insuper.* Atque his contumaciæ speciebus feudo privari potest, Gudelin. *par. VI. c. 2. n. 2.* Neque tribus necessario edictis, & citatione contumax evadit, sed si una peremptoria legitime vocatus venire detractet, *l. 72. D. de judic.*, Christin. *to. VI. dec. Belg.* 83. *n.* 15., Hanneton. *lib.* IV. *c.* 3.

Vasallus postquam judicio paruit, exceptiones, vel declinatorias, vel peremptorias proponere valet, lis contestatur, utraque pars probationes apponit, jusjurandum præstat, non autem *calumniæ* si vasallus cum domino, vel vicissim litigat: Si autem duo vasalli in Curia disceptant, recte hoc calumniæ jusjurandum exigunt, cum hoc privilegium vasallo tantum & domino invicem agenti competat, *II. f. 33. §. in qui-*

quibus, Hannet. & Gudelin. *loc. cit.*, Ardizo *in sum. c.* 133. Denique annus, de quo feudista *hic* meminit, quo transacto, vasallus feudum amittit, legi Imp. Ludovici in *l.* 3. *LL. long. lib.* 11. *tit.* 44. convenit, ubi annus, & dies datur ei, cujus bona ob aliquod crimen fiscus vindicat, si intra annum, & diem non comparverit. Adjungit diem, ut annum non supremo die, sed sequenti intelligatur.

§. LIV.

De juris ordine non servato.

Secunda pars est: Si vasallus de suo seniore conqueritur, quia *feudum malo ordine intravit*, hoc est antequam de culpa, felonia, ingratitudine convinceretur, ante caussæ cognitionem, juris ordine non servato, propria auctoritate, eum possessione feudi privavit, eamque sibi vindicavit. Vasallus commonuit, ut possessionem relinqueret, cui dominus *perperam*, id est inhoneste, & crudeliter respondit. Quæsitum est, quidnam vasallus gerere debeat? Feudista consuluit in §. *si vero h. t. Eum Curiam debere vocare, & in eadem Curia de domino conqueri: Curia autem debet adire dominum, eumque, salva reverentia, competenter cogere, ut vel possessionem restituat & acquiescat, vel judicio Curiæ se committat. Quod si ter admonitus facere distulerit, tunc licet vasallo ad aliam majorem Potestatem adire, & sibi consulere: & si dominus ei justitiam facere noluerit, poterit eum deprædari.*

Vasallus ex hoc textu triplici contra dominum violentum possessorem remedio uti potest. Primo, debet pares Curiæ convocare, & coram iis de spoliatione conqueri: Curia extrajudicialiter seniorem monet, & *salva reverentia*, hoc est modeste precatur, ut vasallo possessionem restituat; atque si aliquod juris fovet, illud apud Curiam deducat, ejusque judicio se subjiciat. Secundo, si dominus ter adminitus, & citatus, nolit comparere, nec possessionem restituere, nec Curiæ sistere, & contumaciam contrahit. Ad majorem potestatem, hoc est *Comitem* ordinarium civitatis judicem, qui Parium sententiam de possessionis restitutione latam exequi jubet, adire potest; quia ubi ceptum est judicium, ibi finiri oportet. Tertio, si nec parium sententiæ, nec judicis præcepto adquiescere ob potentiam nolit, licet vasallo eum *deprædari*, hoc est familia judicis ad possessionis restitutionem compelli. Vox enim *deprædari*, non ulcisci, sed jus suum alio modo non recuperandum, persequi significat. Et quamvis Pares ob ordinariam, qua fruuntur, jurisdictionem, dominum, salva reverentia, cogere potuissent, nihilominus senioris potentiam timebant. Nulla vasallo via jus suum adquirendi, nisi propria aucto-

rita-

ritate, supererat, Gudelin. *loc. cit. n.* 3., Alver. *hic n.* 3. Et dominus ob hanc contumaciam, feudi proprietate privatur, quia ob eandem caussam etiam vasallus feudo caderet; & mutua dominum inter, & vasallum fidelitas, & benevolentia esse debet t t. *f.* 7., Glos. *hic in fin.* Nec cum Andrea, & Glossographo verbum *deprædari* intelligere necesse est, quia dominum judex proscripsit, seu bannivit, & tunc quilibet & in persona, & in rebus eum offendere potest; & idcirco feudista deprædandi facultatem vasallo tribuit. Nam vasallus ob eadem contumaciam non proscribitur, sed feudo cadit; cur vero dominus proscribendus, & non proprietate privandus? Pari enim justitia judicandi sunt, nec pœna delicti fines excedere debet; quod Interpretes Glossæ innixi non animadverterunt.

Hinc etiam eorum error patet, qui vasallum interdicto *unde vi* contra dominum uni non posse negarunt. Interdictum unde vi, seu reciperandæ possessionis ei competit, qui ex possessione fundi, vel ædium, hoc est rei immobilis vi dejectus est. Et duplex est, unum de vi *quotidiana*, alterum de vi *armata*; de vi quotidiana fit sine armis, sine multitudine; de vi armata, quæ coactis hominibus, armatisve contingit; quorum differentias exponit Cujac. *in parat. C. unde vi*. Interdictum unde vi, sive armis, sive sine armis facta fuerit possessionis dejectio, non tantum domino, & possessori competit. Sed & qui vel civiliter, vel naturaliter possidet, uti est vasallus, fructuarius, emphyteuta, & ille, qui, vel per se, vel per alium veluti procuratorem, actorem, colonum possidet. Nam hi, si per vim feudo, sive in re corporali immobile, sive solo cohærente, uti prohibeantur, & dejiciantur, spoliatorem possessionem restituere cogunt *l.* 1. §. 9., *l.* 3. §. 13. 14. 16. & 17. *D. de vi, & vi arm.* Hoc interdicto adversus dominum utitur vasallus, atque extraneum, si ex possessione beneficii ejiciat, sive juste, sive injuste possideat, quia etiam prædoni hujusmodi interdictum datur *l.* 1. §. 30. *D. de vi, & vi arm.*, *l.* 1. §. 39. *l.* 31. §. 1. *D. depofit. cap.* 5. *de restit. spoliat.*, & rebus judicatis in Germania obtinuit, Vultej. *lib.* 11. *c.* 1. *n.* 23., Jac. a S. Georg. §. & *dicti vasalli n.* 7. Quamvis libertus contra patronum, & liberi contra parentes istud interdictum non habeant, sed actione in factum uti possunt, quia infamiam continere saltem de facto videtur *l.* 13. *D. eo.*. Nisi fuisset vis armata, tunc recte libertus contra patronum, & liberi contra parentes interdictum exercent *l.* 1. §. 43. *D. eo.*, Cujac. ad Paul. *v. sent.* 6. §. 4. Etenim libertus libertatem, & jura civitatis a Patrono accepit, non mirum si ejus persona sancta videri debet; sed vasallus est homo liber, & dum vio-

violenter suum vasallum a possessione deiicit, mutuam lædit fidelitatem, & fidem frangendi fides frangenda est. Fateor vasallum obsequiose in seniorem interdicto agendum, & querelas, & caussas spoliationis injustas coram paribus proponere, & declarare, quod actionem famosam intendere nolit, Schenck *ad d.* §. *si vero*.

§. LV.

De moribus.

Pauca colligi possunt, quæ aliarum Gentium mores ex nuper dictis immutarunt. In Regno Neapolitano tituli, & nomina feudorum sunt Barones, Comites vetustiora, Duces, Marchiones, Principes recentiora. In Germania triplex olim erat Status, Nobilium, ingenuorum, & servorum: inter *nobiles* recensebantur Duces, Marchiones, Landgravii, hoc est Comites provinciales, Burggravii hoc est cujusdam Burgi judices, Principes, Comites, & Barones. *Ministeriales* erat homines proprii, melioris conditionis, quam servi, ut prolixe in *prolegom. bb. prælect.* dixi, Fleischer. *Inst. jur. feud. cap.* VII. §. 5. Hodie dividitur in electores, Duces, Marchiones, Landgravios, simplices Comites, & Barones, Rothius *in pand. feud. cap.* V. *q.* 13. Jus etiam Longobardicum quatuor vasallorum species cognoscit: in Hollandia, vicinisque Gentibus tantum innotuit vasallus, qui a Comite Hollandiæ feudum tenet, & subfeudum dare potest. Primi vasalli *mannen*, subinfeudati *mans mannen* dicuntur; nec subinfeudatio ulterius conceditur, Voet *digres. de feud. n.* 20. Jure Longobardo Ecclesiæ, Monasteria, & loca pia clientelas accipere possunt, sed non hodie, si *amortizatio* servetur, nisi Princeps consensiat, Gudelin. *de feud. par.* II. *c.* 2. *n.* 8. Clerici, sicut & imperfecti in feudis moribus succedunt, Gudelin. *loc. cit. n.* 9. Nec refert, an plebejus, an nobilis fuerit, Greneveg. *ad* 11. *f.* 21. Fæminæ præsertim in Regno Neapolitano in feudis succedit, licet testator eam præterire, & agnatum proximiorem instituere possit: Eodem jure frater fratri in feudo novo succedit, ut in *Codice* dicam.

TITULUS XXIII.

In quibus caussis feudum amittatur.

ANdreas, Alverotus, & Cujac. ab hoc titulo librum tertium incipiunt, sed Glossographus hanc beneficiorum farraginem in duos, non tres libros divisit, & primo titulos XXVIII., secundo LVIII. adsignavit. Obertus mediolanensis Consul ab Anselmo filio suo rogatus, ut eum doceret caussas, quibus vasallus feudo privari posset. Obertus filii voto indulgens, respondet, se non pos-

se omnes caussas colligere, nec certa definitione circumscribi, quia natura ex se substantia semper agens novas res edere properat. Nec omnis ingratitudo, & læsio vasalli feudo mulctat, sed quam *egregiam*, hoc est non vulgarem appellamus. Sicut non omnis metus, vel vis transactionem rescindit, sed qui in virum constantem cadit, hoc est, *qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat*, *l.* 13. *C. de Transact.* Non sequitur,; vasallus dominum læsit, ergo feudo privandus. Præsertim, quia in Italia varius erat Curiarum usus, unde instruit, *quomodo enim vasallus, quam humiliter, quam devote, quam benigne, quam fideliter erga dominum suum debeat se habere potius ex naturalibus, & bonis Curiarum consuetudinibus percipi potest, quam lege, aut scripto aliquo possit comprehendi*. Non omnes consuetudines, inquit, adprobari, sed quæ naturali rationi conveniunt. Ex his constat, ævo Oberti jus feudale variis Italiæ moribus innixum, & paucissimas curias, fuisse, quæ pacta, conditiones investiturarum, vel aliquam consuetudinum collectiunculas conservarent.

§. LVI.
De feudi definitione.

Postquam filium ita instruit, primo feudi definitionem proponit, postea caussas feudi amittendi nonnullas recenset. *Beneficium nihil aliud est, quam benevola actio, tribuens gaudium capientibus, capiensque tribuendo: in id, quod facit prona, & sponte sua parata, ut ait Seneca. Hujus autem generis species quædam est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: ususfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum, heredesque suos masculos, sive fæminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat: ad hoc ut ille, & sui heredes fideliter domino serviant: sive servitium illud nominatim, quale esse debeat, sit expressum, sive indeterminate sit promissum*. Hæc definitio, seu descriptio cunctis propemodum Interpretibus placuit, quamvis non paucis laboret vitiis, quæ, antequam detegamus, interpretari oportet. Et primo vasallus dum feudum accipit, beneficium, accipere dicitur, & beneficii definitionem, philosophico more ex Seneca definit, postea speciem beneficii esse feudum instruit. Sæpius in jure feudum vocatur *beneficium*, quia benevolentiam continet, & gratitudinem senioris, imo & honorem, & dignitatem vasallus infeudatione consequitur, ab eo facta, qui jus dignitatem conferendi possidet. Plus dicam: nemo beneficium conferre cogitur, est libera concessio, non imperio, sed sola; tacitaque conventione inventa. Præsertim apud Germanos, de quibus Carolus Spenerus *Observ.*

Observ. de Consuetudine feudorum matre §. IV. *Principes, Optimates Germaniæ, imperiorum nomine Germanis adeo inviso, beneficiis concessis sibi obligare ad perpetuam fidem Comites, ut saltem hoc modo nobiliori gauderent clientela, soliti. Jus bonis moribus probatum, ut tales clientes fidem præstarent; servitia addicerent, statim aliis etiam placuit, & sine lege communi consensu receptum est. Legem libera concessio non admittebat: nam cogi non debebat, nec poterat beneficium. Sed etiam ut fides deinde servaretur, boni Germanorum mores suaserunt, unde ei mandandæ minime legibus opus erat.*

Adhibet vocem *proprietas*, quam ipse senior reservat, & *usufructus*, quem vasallo concedit, licet vasallus possideat majus jus, quam fructuarius. Hunc usumfructum Interpretes *utile Dominium*, proprietatem *directum* dixerunt. Hæc locutio ætate Oberti ignota erat, sed non immerito a professoribus primum Bononiensis Academiæ, ni fallor, inventa, cum in jure quoddam jus dominio proximum, & simillimum occurrat, uti est jus Emphyteuticum, cui actio in rem utilis competit, Duaren. *lib.* I. *disput. anniver. cap.* 17., & *in cap.* II. *de feud. n.* 2. Vox *rei immobilis* ostendit, feudum non nisi in rebus immobilibus, prædiis nempe rusticis, urbanis, provinciis, civitatibus, castris, territoriis, vel quæ pro immobilibus habentur, ut jura incorporalia, de quibus *lib.* II. *tit.* I. disputatum est, consistere posse, etsi non raro mobilibus clientelam quoque attribuamus. *Ad heredes suos masculos, sive fœminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat.* Hujusmodi hereditaria qualitas beneficiis non a primæva eorum origine, sed a seculo IX. & X. adoptari visa est. Non paucæ tamen species antiquos natales retinuerunt, nempe feudum Guardiæ, Gastaldiæ, Cameræ, Cavenæ, Soldatæ, Joan. Blanc. *lib.* III. *c.* 3., quæ olim propria, hodie impropria existimantur. *Fideliter domino serviant*, quia usufructus rei immobilis concessio fundamentum a fide, non qualibet, sed feudali, hoc est summa, & non raro ligia repetit; nec esse, nec concipi feudum sine fidelitate, sive jurata, sive injurata potest; & qui fidelitatem præstare nolit, beneficii incapax evadit, II. *f.* 3. §. *nulla*. Hæc necessaria hominii præstatio in perturbato Reipublicæ statu, in politico regimine feuda invenit. Verum fides sine opere, id est servitio, indigum seniorem non juvat; idcirco servitia vel militaria, vel paganica naturaliter conjungi ceperunt; quæ vel locorum consuetudo, vel pactum investituræ sæpius auxit, immutavit, in modo, tempore, loco, personis, & remisit. Hactenus mens Oberti.

§. LVII.

Oberti culpa.

In *prolegom. cap.* 1. §. 2. satis vitia hujus descriptionis deteximus, nunc addo. Non recte *servitiorum* meminit, quia servitium non est substantia feudi, sed natura; definitio substantiam rei definitæ, non naturam comitari debet, secus nunquam definitio perpetua esset. Substantia immutabilis, natura mutabilis est, natura, non substantia feudi, pacto remitti potest, unde feudum *francum* exoritur. Hinc non placet Hotomanni definitio *disput. feud. cap.* IV., *feudum est clientela militaris ea lege contracta, ut cliens pro beneficio accepto militarem operam præbeat: vicissimque patronus suam illi fidem, benevolentiamque præstat*. Oberti definitio abundat, Hotomanni deficit; quia non omnia feuda sunt militaria, nec omnia servitia castrensia, vel aulica, vel paganica præstant, cum viris etiam pace claris vel consilio, vel sapientia concedantur, quamvis primi feudorum natales a militia dependeant. Sed cujusque rei definitio constans initio, medio, fine & perpetua esse debet, quia rei essentia, a qua sumpta est, etiam immutabilis existit. Præterea Obertus *de mutua dominum inter & vasallum fidelitate* nihil dixit, & proinde necessarium beneficii præsidium prætermisit. Nam constitutione feudi, ultro citroque necessitudo, & obligatio nascitur, de fide invicem præstanda II. *f.* 52., II. *f.* 26. §. *domino*, II. *f.* 47. quo vinculo in re feudali nihil sanctius existimari debet. Nos cum Vultejo *lib.* I. *c.* 2. *n.* 9. *in proleg. loc. cit.* definivimus, *est ususfructus quidam rei immobilis sub conditione fidei*, quæ definitio genere, & specie constans in omni feudorum ætate vera putatur, ibique explicavimus.

Præterea feudum dicitur *quidam ususfructus*: nam illa utilitas, quam fructuarius a re fructuaria percipit, differt ab ea, quam vasallus habet, diversoque vivit jure. Vasallus rem vindicat, non fructuarius, II. *f.* 8. Vasallus, vel ædificando, plantando, aut serendo, feudum immutare potest, modo non deterius reddet, II. *f.* 28. §. *si vasallus*, II. *f.* II. quod fructuario non permittitur. Si dominus rem alienare velit, in qua alteri usumfructum constituit, fructuarii non indiget consensu. Sed senior feudi proprietatem alienare non potest, nisi vasallus consensiat *l.* 3. §. *ul. D. usufr. quem caveat.* Vasallus servitutem constituere, & acquirere in feudo potest, non fructuarius. Fructuarii jus cum persona expirat, vasalli jure novissimo ad heredes feudales transit, II. *f.* 23. In usufructu ex neutra parte fidelitas, vel servitium præstatur. In feudo ex parte senioris protectio, ex parte vasalli fidelitas adesset oportet. Quælibet? minime: non statim ac fides ponitur, illico feudum poni neces-

necesse est. Cum subditi suo Principi fidem debent, & præstant, & tamen inter classem vasallorum non recensentur. *Vasallitica* in feudo indigemus *fidelitate*, hoc est ministeriali, sive certis innixa operis in toga, vel sago præstandis. Ut vasallus dominum præ cæteris colat, & vereatur, ejus bona animi, corporis, & fortunæ promoveat, augeat, non lædat. Hæc si negligat, feudo cadit, nec aliam severiorem meretur pœnam, sublatoque feudo ipsa fidelitas perit. Nisi vasallus simul fuerit, & subditus, tunc amisso feudo, adhuc majori pœna afficiendus erit. Hinc fides subditi, amissis etiam bonis, perdurat.

TITULUS XXIV.

Quæ fuit prima caussa beneficii amittendi.

HIc titulus est pars antecedentis, seu Epistolæ, in qua postquam filium suum beneficii etsi non sedulo definitionem, tanquam præfatione proposita docuerit, transit ad recensendas amissionis feudi caussas, quas proprie filius callere cupiebat. Et XIII. enumerat, nempe si intra tempus investituram non petit, si ter in judicium vocatus non compareat, si in acie dominum dimiserit, si de imminenti periculo eum non admonuit, si stuprum dominæ, filiæve intulerit, si domini vicum, castrum, civitatem, provinciam aggrediatur, si impias manus in eum ingesserit, si graviter injuriis lædat, si vitam insidiatur, si ei justitiam facere nolit, si servire recusat, si delator domini sit, si a vinculis non liberet. De his propemodum omnibus *in lib.* I. *tit.* 5. & 17. actum est, ceteras, quas non attigi, exponam.

§. LVIII.

De investituræ renovatione.

Omnis beneficii renovatio, vel morte senioris, vel vasalli contingit. Si vasallus, defuncto seniore, ab ejus herede intra annum, & diem investituram non petit, feudo cadit, *princ. h. t.*, & I. *f.* 22., II. *f.* 40., II. *f.* 52., II. *f.* 55. §. *praterea si quis*, sive heres senior admonuerit, sive non, quia dies pro homine sciente & prudente interpellat. Ratio, quia investituræ petitio, est devotionis, reverentiæ, atque obsequii census, estque censualis professionis imago ut vasallus cognoscat, se non defuncti beneficio feudum accipere, sed gratia heredis senioris, sicut vetusta feudorum origo, & indoles suadet, quæ, inventa successione, adhuc remansit, etiamsi vasallus fidelitatem domino, & ejus successoribus jurasset, Curt. *par.* IV. *n.*45. Atque, si legitimo tempore clientelarum usibus statuto, non petat, clientela in commissum cadit. Pluribus vero ex caussis

caussis excusatur, quas *lib.* III. 3. §. 9. exposui. Cur intra annum, & diem, & non intra aut longius, aut brevius tempus petere debeat? Ex jure civili profectum suspicor, quo liberis, & parentibus intra anni spatium, agnatis, & cognatis, viro, & uxori intra centum dies agnoscenda bonorum possessio conceditur *l.* 1. §. 12. *D. de succes. edic.*, vel quia moribus Italiae, & Imperatorum constitutionibus ita placuit. Nunquam tamen dominus hoc tempus corripere valet, cum vasalli favorem respiciat, sicut pendente dilatione a jure concessa judex nihil innovat, nec illam praecidere potest *l.* 3. *C. de dilat.* Interim intra annum & diem si non petat, morae purgatio, verum celeris, locum habet, etsi jure feudali nihil statutum videatur, sed aequitas aliud suadet, dissent. *hic* Alver. *n.* 7. Excusatur denique si possessio feudi non penes vasallum, sed alium sine sua culpa, aut dolo reperiatur, quia non petendo amittit feudum, sed amittere non potest, quod non habet, Andr. *in* II. *f.* 40. *n.* 2. Zasi. *par.* VII. *n.* 7., Alver. *hic n.* 11. Aut si senior bannitus, vel excommunicatus fuerit: si infans sit, & tutore destituatur: si in furorem inciderit: si capitalis intervenit inimicitia inter seniorem, & vasallum, cui senior caussam praebuit: si senior nimium abest, & procuratorem non reliquerit: si vasallus feudum sibi delatum ignoraverit: si vasallus in pupillari aetate vivat, & similia, de quibus alibi disputatum est, Fleischer. *Inst. jur. feud. cap.* XV. §. 30. Nec intra annum, & diem a servitiis liber est, quia feudi natura nihil immutat. Olim feudalis mediolanensium curia & aetate Oberti ad petitionem investiturae non tenebatur, ut *hic*, & II. *f.* 40., cum diversis Italia consuetudinibus uteretur.

§. LIX.

De contumacia.

Vasallus in judicium, hoc est ad Curiam Parium Senioris vocatus si comparere renuat, feudo cadit §. 1. *h. t.*, II. *f.* 22. In jus vocatio pluribus ex caussis fieri potest; unam Obertus in hoc §. exponit, *si dominus investituram pollicendo vasalli fidelitatem petierit; & illo non praestante dominus tribus vicibus, convenienti tempore interposito, forte septem dierum spatio, ad Curiam suam super hoc reclamaverit: & vasallus tribus vicibus citatus a suis paribus jurare noluerit: si tamen beneficium tale sit, ut pro eo jusjurandum fidelitatis fieri debeat. Sunt enim quaedam feuda ita data, ut pro his fidelitas non sit praestanda.* Species Oberti est: Dominus de novo feudo Maevium abusive investivit: postea petit, ut fidelitatem juraret, cum dominus realem investituram agere paratus esset. Vasallus legitime ter citatus contumaciam contrahit, dominus ad Parium Curiam proclamat, quae admonet ut juret. Si jura-

jurare noluerit, feudum amittit. Nam pares Curiæ in quæstione inter dominum & vasallum de feudo novo, vel antiquo, uti competentes judices cognoscunt 11. *f.* 16., 1. *f.* 18. Nec dominus annum, & diem expectare tenetur, quia non feudi antiqui renovationem, sed novi fidelitatem exposcit. Nec citatio statim properanda, verum septem, aut decem dierum spatio una ab altera distare debet, 11. *f.* 22. Nec in omni feudo novo hanc actionem dominus habebit, sed in eo dumtaxat, quod fidelitatem præstare cogitur. Sunt feuda, quæ pactum investituræ a juramento fidelitatis, non a fidelitate, libera declarat. Excusari potest vasallus si ad Curiam non accedit, & fidelitatem pollicetur, vel privilegio, vel itinere non satis securo, ut exemplum ex Alb. Krantz. in 11. *f.* 22. retulimus.

§. LX.

De imminenti periculo.

Imminens periculum, *Præterea si vasallus scierit aliquem contra dominum suum assaltum, vel mortem, vel captionem, aut patrimonii grandem jacturam facere molientem: debet dominum suum super hoc quam citius potest certiorare, ut proinde dominus sciens, prudensque periculum valeat declinare*, §. *præterea h. t.*, 11. *f.* 39. §. *fin.*, 11. *f.* 7., 11. *f.* 26. §. *licet vasallus*, & Imp. in *Nov.* 115. *c.* 3. §. 13. sanxit, liberos, paterna succesione privari, si patrem negligentia, vel contemptu ab hostibus non redemerint. Verum si vasallus monere seniorem, ejusque inimicis terra, marique oppugnatum resistere non potuit, excusatur; aut, si ejus denunciatio nihil proficere manifesto cognosceret. Quæsitum est, an si vasallus non denunciavit, & dominus periculum evasit, feudo cadat? Veritas solutionis relucet ex quæstione, an delictum, quod non nocet, puniri debeat? Ulpian. *in l. ult. D. quod falso tut.* docet, si quis interrogetur, an tutor esset? & affirmat, nulla actione tenetur, nisi adolescenti nocuisset; & communiter interpretibus mendacium, quod nemini nocet, non puniri placuit. Nihilominus recte Curt. *par.* 1 *v. n.* 15. feudo cadere, inquit, quia textus feudalis non distinguit. Sed ego addo, quia est res mali exempli, sicut Paul. in *l.* 38. §. 5. *D. de pœnis*, ubi ob abortionis, aut amatorium poculum, relegatione, si honestior, damnatione in metallum, si humilior reus fuerit, prohibet. Præterea si vasallus, etsi denunciare non potuerit, sed resistere valebat, & non fecit, etiam feudum amittit. Sicut Gregor. X. *in cap.* 13. *de Elect. in* VI. punit clericos fructibus suarum Ecclesiarum, dum iis, qui regalia, custodiam, vel advocationis titulum in Ecclesiis, monasteriis, vel quibuslibet piis locis usurpare conantibus se non opposuerunt. Conductor quoque, qui militum in domo conducta devastationem domino non denunciavit,

sed

ſed migravit, aut ſi reſiſtere potuit, & non reſiſtit, ex locato tenebitur, *l.* 13. §. 7. *D. locat.* Et merito Ulpian. in *l.* 65. *D. de furtis*, inquit, *qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret, tametſi mutato conſilio id domino poſtea reddidit, fur eſt: nemo enim tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſiit*. Et Gajus *in l.* 5. *D. de vi bon. raptor.* Nam non pœnitentia ſed pœna crimen delet, late Cujac. *ad tit. C. de apoſtat. t.* x.

§. LXI.

De juſtitiæ negatione.

Si juſtitiam ſuo domino facere noluerit §. *illud tamen non lateat, quod ſi quis ſuo domino juſtitiam facere noluerit: feudum, quod tenebat perdet: ſicut in alio libello tibi ſcripſiſſe hoc credo.* II. *f.* 6. *v. honeſtum*, II. *f.* 22. *in fin.* Quæritur, quid ſit *juſtitiam facere*, Hotom. *judicio ſe ſiſtere* intelligit, ſicut in legibus Bajoar. *cap.* XVI. 2. *Si quis liber homo alteri libero, qui eum mallat* (hoc eſt in jus vocat) *dedignabitur juſtitiam facere*. Sæpius oſtendit, *legibus vindicare* II. *f.* 27. §. *ſi judex*. Andreas, & Alver. *hic* de vaſallo contumace intelligunt, qui occaſione feudi a domino ad Curiam vocatus juri parere, aut domino juſtitiam de feudo exhiberi noluit. Cujac. *in* III. *f.* I. tribus modis declarat: primo, ſi vaſallus curiam aliquam habeat, in qua dominus litigare debet, & vaſallus ei jus reddere nolit; quod noſter Frider. II. in Conſt. *ſi vaſallus lib.* III. 19. ſanxit, *ſi vaſallus a domino ſuo publice requiſitus pro eo fidejubere noluerit, vel feloniam contra ipſum filios, vel uxorem commiſerit, vel ſervitium quod ei debet, ter ſubmonitus non præſtiterit, vel rationem pro eo in Curia ſua conquerentibus de eo, quod ad dominum ſpectat, per ſententiam judicis facere noluerit, dominus poteſt de eo, quod tenet ab ipſo ipſum per exguardium diſſaſire*, hoc eſt cognitione Parium per definitivam ſententiam feudi poſſeſſione privare. Secundo, ſi vaſallus judex cauſſæ feudalis in Curia domini electus, juſtitiam facere nolit, aut ſi ex æquo, & bono non judicaverit. Tertio, ſi vaſallus occaſione feudi a domino in jus vocatus obtemperare noluit, etiamſi nullam culpam commiſiſſet. Hic tertius ſenſus Vultejo *in lib.* I. *cap.* XI. *n.* 29. arridet; qui quidem cum II. *f.* 22. ſatis convenit, de quo obertus ſuo Anſelmo ſcribens dixiſſe refert. Zaſius *hunc* §. dupliciter *par.* x. *n.* 53. excipit, *active*, & *paſſive*. Active, ſi vaſallus domino juſtitiam facere denegat, uti eſt vaſallus potens, qui ab inferiore feudum recognoſcit, & tamen ejus juſtitiam non tuetur, & de hoc Obertus proprie loquitur. Paſſive, ſi vaſallus judicio ſenioris ſtare nolit, & tunc in re feudali ter citatus, ſi venire renuat, feudum amittit. Ceterum interpretatio Cujacii, & Zaſii recte feudiſtæ convenit, cum pluribus modis juſtitiam non fieri contin-

tingit possit. Unum animadverto, vasallum super alia re, quam feudali citatus recte justitiam denegat, & judicio Curiæ se sistere non tenetur; quia in re non feudali nulla Curiæ, vel domino in vasallum jurisdictio competit.

§. LXII.
De delatore.

Si delator domini sui extiterit, & per suam delationem grave dispendium eum sustinuere fecerit, §. *item si h. t.*, & 1. *f.* 17. Delator, idem est ac accusator, vel criminis denunciator, dum nempe vasallus criminaliter seniorem accusat, ejusve crimina magistratui denunciat. Verum feudista de vasallo calumniante intelligendus, quia si crimen in judicio probaverit, feudo non cadit; cum nocentium crimina nota esse oporteat *l.* 18. *D. de injur.* Sicque Interpretibus visum est; immerito. Si enim vasallus crimen non probat, in pænam calumniatoris incidit, & senior nihil pænæ damnique patitur. Si vasallus crimen probat, senior damnum, pænamque sustinet, quod noster feudista *hic* fieri prohibet. Ratio est reverentia seniori exhibenda, conservanda, & colenda. Et respicere videtur ad *Nov.* 115. *c.* 3. §. 7. ubi filius patris delator, exheredatione dignus sancitur. Servum domini delatorem Gratianus *in l.* 6. *C. de delator.* Severissimæ subiicit pænæ, *etiamsi vera contra dominum detulerit*, inquit, in *l. ult. C. eo.* excepto crimine læsæ majestatis. Si patronus accusat libertum de crimine, cujus pæna, vel novissimum erit supplicium, vel deportatio, ejus hereditatem amittit, si major xxv. fuerit *l.* 14. *D. de bonis libert.* Sed vasallus etsi minor xxv. an. & xiv. major seniorem deferat, feudo privatur, sicut si in eadem ætate constitutus, si intra annum & diem investituram non petat, feudo cadit, 11. *f.* 55. §. *preterea*, quod male Alverotus negavit, Schenck *ad h.* §. Satis odiosum apud Romanos, & Barbaros erat delatoris nomen, Cujac. *ad l.* 2. *D. de jure fisci.*, prolixe Henr. Brencman. *de l. Remniæ exitu c.* 1. *& seqq.* Non recte Curt. *par.* vi. *n.* 62. *Delatoris* nomen, in nostro textu, ad eum tantum extendit, qui bona ad fiscum pertinere denunciat. Nam Alver. *hic n.* 1. *&* 2:, Capyc. *in invest. v. feuda amittuntur* § 21., aliique & de accusatore, simplici denunciatore, & delatore rectius accipiunt. Sola delatio privat vasallum, nec requiritur, ut ex ea dominus grave damnum sentiat. Nec distinguere opus est, an caussa fuerit criminalis, an civilis, an ipse, an alius ejus nomine accusavit, an pro accusatore fidejussit. Si vero ante sententiam ab accusatione obsequio ductus desistat, excusatur, Capyc. *loc. cit.*, Vultej. *lib.* 1. *c.* xi. *n.* 33.

§. LXIII.

De carceribus.

Denique, *si cognoverit dominum inclusum, & eum, cum potuerit, non liberavit: feudum perdit* §. *item si delator b. t.*, eandem caussam Fridericus II. in d. Const. *si vasallus* expressit: modo *injuste* in carcere detineatur, secus si ex delicto, vel culpa, sicut Andr. *hic n.* 43., Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli* 1. *n.* 37. Hinc si aere vel suo, vel alieno gravatus in carcerem coniicitur, vasallus pecuniam solvere non tenetur II. *f.* 26. §. *licet vasallus*, cum ex lege julia bonis cedere posset.

§. LXIV.

De constituenda feudorum amissione.

Recensitis his feudi amittendi modis, sapienter subjungit, *praedictis modis beneficium debere amitti, tam naturalis, quam civilis ratio suadet: quae potest colligi, si quis novam constitutionem justas exheredationis caussas, & alias constitutiones veteres, justas ingratitudinis, & repudii caussas, quibus matrimonia recte contracta solvuntur, & donationes jure perfectae revocantur, subtiliter scrutatus fuerit.* Ex iisdem igitur caussis, quibus exheredatio liberorum, parentum, & fratrum contingit, matrimonia dissolvuntur, & donatio revocatur, feudo vasallus, privari potest. Quod generaliter non intelligimus, sed si justa, eadem, vel major ratio suadeat; nam saepius una caussa justa ad exheredationem, divortium, vel donationis revocationem, injusta vero ad feudi privationem censebitur, Rosent. *cap.* x. 13. Ego constanter affirmo, omnes caussas, quas Justinian. *in Nov.* 115. *c.* 3. pro liberorum exheredatione numeravit, justas esse, ut vasallus feudo spolietur, quia satis ratio naturalis, & civilis concomitatur. De divortii causis dico: lege Romuli, nuptiis confarreatione celebratis, quatuor tantum causis fieri potuisse, si *vinum bibisset*, si *veneficium circa prolem adhibuisset*, si *partum alienum pro suo subdidisset*, si *adulterium commisisset*. Et sexcentis ab urbe condita annis nemo suam uxorem praeter unam ex his quatuor caussis repudiavit. Postea incertae, atque arbitrariae divortii causae esse ceperunt, judicium de moribus invaluit. Donec Constinus M. eas, rejectis levioribus, definierit, nempe si mulier maecha, venefica, aut lena esset: & maritus si homicida, si veneficus, si sepulchrorum violator accusaretur; non vero si ebriosus, aleator, aut fornicator. Haec inaequalitas Patribus Ecclesiae, Lactantio, Nazianzeno, Chrysostomo, & Hieronymo displicuit, ut viro quidem uxorem adulteram, non uxori virum adulterum dimittere liceret *l.* 1. *C. Th. de repud.* conf. Ever. Otto *in praef. to.* IV. *Thesaur. p.* 6., Bingham. *O. E. lib.* XXII. *c.* 5. §. 3., Noodt *ad tit. D. de divort.*   Prae-

Præterea supervenit Constitutio Theodosii senioris *an.* 449. *in l.* 8. *C. de repud.* & novas caussas, pænasque adjecit: *Ex parte mariti*, si adulterium, cædem, veneficium, perduellionis, sepulchri violati, falsi, sacrilegii, plagii, abigeatus, insidiarum vitæ uxoris, latrocinii, lenonum receptatoris, impudicarum fæminarum cætus crimen commiserit, aut servilibus verberibus uxorem affecerit. Hanc ultimam Justinian. *Nov.* 117. *c.* 14. abrogavit. *Ex parte uxoris*, si adulterii, veneficii, homicidii, plagii; sacrilegii, sepulcri violati, latronum fautrix damnetur: si extraneorum virorum, viro ignorante, & nolente, convivia appetierit, si eo nolente, foris pernoctaverit, vel circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis interfuerit, si vitæ mariti insidiata est, crimen falsi contraxerit, machinationibus contra imperium immiscuit, aut audaces manus marito ingerit. Res sic se habuit, usque ad Justinian. *an.* 528., qui hanc Theodosii legem adprobavit, & unam addidit, nimirum naturalem viri, aut uxoris imbecillitatem, & usque ad duos annos, jure novissimo, triennium expectavit *l.* 10. *& auth. sed hodie C. de repud.* Denique anno 541. in *Nov.* 117. *c.* 12., primus aliam invenit, si vir, aut uxor vitam monasticam amplecti vellet, Balsam. *ad can.* 5. *Apostol.* Nonnullas vero in Oriente, & Occidente hac de re deinde legimus, quas, cum instituti mei non sit, vid. Selden. de *uxor. hebr. lib.* III. *c.* 29. *& seqq.*

Nunc ad rem. Noster feudista, dum ad legitimas divortii caussas provocat, legem Theodosii junioris intelligere voluit. Atque omnes, quicquid Rosent. *loc. cit.*, alique teneant, legitimos amittendi feudi modos agnosco, cum in his gravitas sceleris, infamia rei, maxima jurium læsio occurrat, & vasallus in Curia Senioris stare non potest. Nec obstat, si in jure feudali expressæ non reperiantur, *quia natura novas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, ut aliæ emergant caussæ, quibus videatur juste adimi posse feudum: ideoque judex discretus, & solers, & æquitati obsecundare solicitus, cuncta subtiliter dispensans, provideat, si qua fuerit antiquioribus caussis similis, seu major: ut proinde sciat, utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum*, §. *sed quia h. t.* Nec Obertus caussas exheredationis, & divortii recenseret, ad *Constitutionem*, hoc est *nov.* 115., & *ad d. l.* 8. filium suum instruendo remittit, easque si justas non cognovisset, non meminisset. Ante Justinianum caussas exheredationis arbitrium patris, & judicis religo præfiniebat; sed cum de re magni momenti, de expulsione filii a patris hereditate ageretur, quam filius omni jure sibi vindicare poterat, harum gravitatem, numerum & cognitionem merito reservavit. Theodosius etiam non quaslibet, sed ma-

maximas voluit caussas esse, quibus matrimonium, divino, humanoque jure firmatum, dissolvi posset. Si quidem obligatio, atque amor patris erga filium: sanctitas, perpetua consuetudo, individuus usus matrimonii erga maritum, & uxorem consideretur, major in his, quam in vasallo erga seniorem & vicissim obligatio relucet. Recte itaque iisdem caussis vasallus feudo cadit. Quod & de revocandæ donationis caussis sensiendum nemo dubitat. Sapienter, etiam noster Obertus subdit, *quod non ex omni caussa, ex qua opinio vasalli gravatur, beneficium amittitur. Nam & sæpe dejerat, & beneficium nihilominus retinet: ut puta qui beneficii portionem alienat absque domini scientia, beneficium quidem retinet, sed fidem promissam servare non videtur §. illud enim h. t.*. Videlicet non omnis ingratitudo, non omnis infamiæ nota unde vasalli opinio apud bonos gravatur, privat eum feudo, ut si portionem feudi seu medietatem alienat sine domini consensu, illam amittit, & tamen perjurus fuit, dum contra fidelitatis sacramentum alienavit: si totum alienasset, totum amisisset; unde non semper contra fidelitatem agens feudo privatur, Andr. *hic n.* 48.

§. LXV.

De feudo aperto ob feloniam, cui cedat.

Denique sæpe quæsitum est vasallo propter justam culpam a feudo cadente, utrum ad dominum, an ad successorem vasalli beneficium pertineat. Sed hæc distinctio, tam ratione, quam moribus comprobata est: ut si quidem vasallus ita in dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat; non ad proximos, sed ad dominum beneficium revertatur, ut hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem. Si vero non in dominum, sed alias graviter deliquerit, vel grave quid commiserit, sicut ille, qui fratrem suum interfecit; vel aliud grave crimen (quod parricidii appellatione continetur) commiserit, feudum amittit, & non ad dominum, sed proximos pertinet; si tamen beneficium fuerit paternum. Sic enim sæpe pronunciatum scio. Si vasallus contra Constitutionem bonæ memoriæ Lotharii Imperatoris beneficium alienaverit, quia dominum contemnere videtur, ad dominum beneficium pertineat. Scriptum enim est, ut pretio se cariturum agnoscat.

Postquam caussas, & regulas de feudorum amissione tradidisset, merito quærit, cuinam feudum jam amissum cedat? Distinguit; si ingratitudo vel contractus, vel criminis in Dominum tendit, non Vasalli agnatis, sed Domino aperitur. Si in alios, non in Dominum deliquit, ad agnatos revertitur. Ratio distinctionis moribus, & rebus judicatis adprobatæ, hæc est; ut Dominus suæ injuriæ ultionem haberet, §. *ult. h.* 1. 11. *f.* 26. §. *si Vasallus.* Nec refert

refert an feudum novum, an antiquum fuerit, an hereditarium, an ex pacto, & providentia censeatur. Neque hæc distinctio in feudo novo servatur, sed tantum in antiquo, quia feudum novum, vasallo vel in Dominum, vel in alium delinquente, semper ad Dominum, exclusis descendentibus, redit, II. *f.* 37., II. *f.* 55. §. *callidis*, Duaren. *cap.* XVII. *n.* 3., Wesenbech. *cap.* XVI. *n.* I. Zasi. *par.* x. *n.* 100., Alver. *hic n.* I. *&* 4. Exemplis Obertus se expedit: Si vasallus suum fratrem interficiat, feudum ad agnatos pertinet; si contra Lotharii constitutionem alienat, ad Dominum redit, quia ipsum contemnit, Valtej. *lib.* I. *c. ult. n.* 136., Alver. *hic*, & dixi *lib.* IV. 14. §. 28. Mozzius tract. *ex quibus cauf. feud. amit. n.* 133.

T I T U L U S XXV.

Si de feudo vasallus ab aliquo interpellatus fuerit, & Dominus eum defendere noluerit.

AB hoc titulo Cujacius suum IV. librum exorditur, & satis præcedenti titulo cohæret, in cujus postremo §. actum est, quomodo culpa, & felonia vasalli Feudum ad Dominum pertinet, nunc quomodo culpa Senioris, vasallo succurri oporteat.

Speciem continet, quæ est: vasallus de sua clientela interpellatus est, statim seniorem monuit, ut eum defenderet, Dominus ad judicem venire renuit; & vasallus caussa cecidit. Dominus se ab eo investituram accepisse negabat, sed vasallus idoneis testibus se suum clientem esse probavit. Quæsitum fuit, quid juris? Sapientibus Mediolani, inter quos Obertus de Orto, & Gerardus Capagisti, placuit: *Si vasallus cum de feudo interpellabatur auctorem suum, id est Dominum, ut eum defenderet vocavit, & de hoc probare possit: si in eo judicio vasallus fuerit victus de re aliena investitum fuisse: ut Dominus vasallo ejusdem æstimationis, quod erat tempore rei judicatæ, feudum restituat, vel nummos in feudum dandos numeret: & hoc cum certum est vasallum de feudo victum fore.*

Ratio primæ partis responsi est; quod inter cetera jura, quæ vasallus in feudo consequitur, illud residet, ut si res aliena ipsi a Domino sciente, vel ignorante rem esse alienam, concedatur, eamque rem verus deinde Dominus in judicio, vel extra evincat, vasallus recte contra dominum de evictione agit, & dominus aliam rem æque bonam jure feudi tradere, vel ipsi illius feudi æstimationem solvere cogitur II. *f.* 8. Et de illo pretio vasallus rem immobilem emere, eamque jure feudi a domino recognoscere debet. Atque ita Interpretes verba textus *vel nummos in feudum dandos*, hoc est in emptionem alicujus rei immobilis, vel quæ pro immobili-

bilibus habetur, convertendos intelligunt. Verum in *d. lib.* 11. *tit.* 8. probavimus, nihil moribus præsertim Germanicis, & naturæ feudi nocere, si de vero pecuniæ feudo accipiatur, cum pecuniam quisque simpliciter in feudum dare potest. Præterea vasallus tunc de evictione contra Dominum agere valet, cum ad sui tuitionem in judicium vocaverit, secus & feudum, & evictionem amittit, quia dolus præsumitur *l.* 53. §. 1. *D. de evict.* Si rem sibi infeudatam alienam esse ignoravit 11. *f.* 8., si nec in culpa fuit *l.* 56. §. 3. *D. eo.* Cessat etiam evictio, si imprudentia, aut errore judicis vasallus victus est, quia injuria vasallo illata dominum contingere non debet *l.* 51. *D. eo.*, aut si res ex natura sua evincatur, uti est res restitutioni, vel retractui, seu prælationi subjecta, Perez *ad tit. C. de evict. n.* 8., aut si dominus sine dolo malo pactus est, ne evictionis periculum præstet: Dolus est, si rem alienam, vel pignoratam, vasallu non monito, & ignoranti infeudavit *l.* 21. *C. eo.* Evicto feudo, vasallus expensas, & meliorationes in eos factas consequitur *l.* 9. *C. eo.* Denique hæc denunciatio, de qua hic feudista jam jure civili in evictione invaluit *d.* 1. 9. *l.* 8. *eo.*

In secunda responsi parte obtinuit, *sed si dominus neget hoc Feudum unquam ab eo tenuisse, nec ab eo domino ipsum vasallum vel ejus antecessores unquam investituram accepisse: Et hoc vel per instrumentum publice confectum, vel per pares Curtis vasallus poterit probare: Dominus ad restitutionem feudi tenebitur: alioquin dominus sacramentum subire cogetur, istum qui est in caussa, vel ejus antecessores a se, vel a suis antecessoribus unquam hoc feudum tenuisse, vel investituram accepisse: quo facto dominus absolvendus erit.* Senioris oppositio est, nec se, nec prædecessores suos vasallum de clientela jam in judicium de evictione vocata investivisse, & proinde contra eum agere nequit. Vasallus vel brevi testato, vel Curiæ paribus si investituram probat, & senioris negationem opprimit, senior ad restitutionem alterius feudi, aut ejusdem æstimationis tenetur. Sed si vasallus indiciis, levibusve argumentis probaverit, nec judicis menti satisfecerit, Senior, nec se, nec prædecessores suos investituram tali vasallo egisse jurare debet, & absolvetur, 11. *f.* 33. *Andr. hic n.* 4. Glos. *in fin.*

TITULUS XXVI.

Si de Feudo defuncti contentio sit inter Dominum, & agnatos Vasalli.

Noster Feudista prius plures casus recensuit, nunc alios Farraginis instar adjungit, quos, salva methodo, in novem partes distribuam. Prima pars agit de feudi adquisitione in §. *Si quis*

per

per triginta, *&* §. *feudum ea lege*. Secunda de viribus investituræ *in* §. *si facta*, §. *in generali*, §. *si vasallus de beneficio*, *&* §. *beneficium*. Tertia, de controversiis *in* §. *si de feudo*, §. *inter filiam*, §. *defuncto*, §. *mulier*. Quarta de successione §. *qui Clericus*, §. *adoptivus*, §. *naturales*, §. *Titius cum Sempronio*, §. *filii nati*. Quinta de fidelitate faciunda §. *si minori*, §. *omnes*. Sexta, de expectativa §. *moribus*. Septima, de prælatione §. *Titius*. Octava de modis, quibus amittitur vel non feudum §. *vasallus si feudum*, §. *si vasallus culpam*, §. *vasallus feudum*, §. *licet vasallus*, §. *si vasallus feudum*, §. *vasallus feudum*. Nona, de amissione proprietatis §. *domino*.

§. LXVI.

De feudali præscriptione.

Prima pars de adquisitione, quæ duplex est vera, ut investitura, & præsumtionis, ut præscriptio, de qua in §. *si quis per triginta annos rem aliquam ut feudum possedit*, *&* *servitium domino exhibuerit: quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest*. In jure præscribere idem est ac excipere, hinc præscriptio doli, temporis, fori, rei judicatæ occurrit *l. 29. D. de except. rei jud.*, *l. 3. 9. 10. 12. D. de diver. temor. præscrip.* Et aliud est usucapio, aliud præscriptio: usucapione dominium, & directa actio adquiritur; præscriptio exceptionem tantum, quæ peremptoria vocatur, parit; utraque vero securitatem possessori præstat. Usucapio all. XII. tabb., præscriptio a Constitutionibus Principum inventa est; unam tamen originem ambæ agnoscunt, videlicet *bonum publicum* & *dominorum negligentiam*. Bono publico, litibus finis imponitur; negligentia attentiores, & diligentiores rerum suarum dominos facit. In re mobili annus, immobili biennium sit oportet in Italia; atque locorum distinctio ut res mobilis tam in Italia, quam extra, immobilis in Italia tantum usucapiatur, interpretatione Prudentum invaluit. Postea Justinianus, confusa usucapione cum præscriptione annum in triennium, biennium in x. an. inter præsentes, xx. inter absentes, bona fide, & justo titulo comitante, immutavit *l. unc. C. de usucap. transfor.*, & hodie præscriptio, & usucapio idem est & ambobus Modestini definitio in *l. 3. D. de usurpat.* convenit, *est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti*, etsi aliquæ differentiæ adhuc sint, vid. Cujac. *in parat. C. de præscrip. long. temp.*, Groslot. *lib. de præscrip. princ.*, *princ. Inst. de usucap.*

Res ita se habuit usque ad Theodosium juniorem, qui primus præscriptionem in Oriente xxx. an. introduxit, qui Codicem suo nomine Theodosianum composuit *l. 3. C. de præscrip. 30. an.*, eamque

que Valentinianus junior in Occidente anno xxv. post Theodosii legem promulgavit, sicut ex ejusdem Valentin. Nov. *de Episcopali judicio*, & *Nov. de præscrip. trigint. an.* constat, ut contra Cujacium jam a Viris Clarissimis Sirmundo *ad Sidon. Apollin. lib.* VIII. *Epist. 6.* & Joanne a Costa *ad cap.* v. *de Præscript.* probatum est. Quædam erant nihilominus actiones, ut hypothecaria adversus debitorem, & actio finium regundorum, quæ xxx. an. non peribant, idcirco lex Constantini primum xl. an. præscriptionem invenit. Lex Theodosii cunctis post romani imperii ruinas nationibus, nempe Burgundionibus, Belgis, Francis, Gallis, Saxonibus, Svevis, Wisigothis, & præsertim in Italia Longobardis arrisit, ut ex eorum legibus patet; & *lib.* 11. 15. §. 41. probavimus. Et hæc in feudis tripliciter considerari potest: *Ex parte vasalli* duobus modis; vel utile dominium in re aliena; vel utile, & directum præscribit. Primo modo Feudum Constituitur; secundo dissolvitur. *Ex parte domini*, si in alterius fundo, aut jure utile dominium adquirat, hoc est tanquam verus Senior a possessore illius fundi servitia exigat; & possessor sponte præstat.

Vasallus in re aliena utile dominium præscribit, & adquirit, si per xxx. annos rem illam uti feudalem possedit, & domino, ad quem res pertinet, servitia præstiterit, *d.* §. *si quis*. Hinc his solemnitatibus indiget, (1) feudista nullam intervenisse investituram supponit: nam si investitura facta esset, eamque vasallus producat, sed non plene probat, in feudi tamen possessione per annum steterit, sciente, & consentiente Domino, tunc feudum retinebit, si factam fuisse investituram juraverit, 1. *f.* 26. *in fin.* (2) possessio, sicut etiam in alodio, debet esse continua, quia ut 30. an. quis possedisse dicatur, in omni temporis parte possedisse tenetur, secus xxx. annos non complevit. Nec interrupta; ad heredes tamen transit, qui defuncti personam repræsentant, ut si defunctus xv. an. possedit, ejus heres etiam xv., præscriptio non interrupta morte vasalli, sed completa vocatur, modo heres investituræ renovationem petierit 1. *f.* 24., Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 13. Roth. *in pand. feud. cap.* XI. *q.* 5. Nec qualibet tricenalis possessio satis erit, sed illam possessionem requirimus, quam animo in feudum habendi tenemus *d.* §. *si quis* ibi, *ut feudum possedit*. Ut si possedit feudum, ut pignus, etsi xxx. annis, aut amplius possedisset, nunquam ut feudum adquirit, quum non possederit animo rem illam in feudum habendi, nec quis caussam suæ possessionis mutare potest, *l.* 33. §. 1. *D. de usucap.*, Creditor non suo, sed debitoris nomine possidet, Paul. *in l.* 13. *D. eo. pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus*. Quin imo, licet 40. annis omnis

omnis actio pereat, idque verum, si actio jam nata fuerit, sed in pignore actio pignoratitia ante debiti solutionem non nascitur, & debitori competere non potest. Creditor actionem non adhuc natam quomodo præscribere valeat?

(3) Servitiorum præstatio, vel exhibitio: præstare servitium est cum effectu servire, exhibere servitium est in solo apparatu se ostendere. Nam ad hanc feudalem præscriptionem idcirco servitia requiruntur, ut rem illam tanquam feudalem possidere voluisse, constare possit. Secus senior non cognosceret, an sub feudali qualitate rem suam quis possideat: nec ejus negligentia argueretur. Verum cum xxx. an. spatio servitia receperit, vel oblata viderit, tacite rem suam in feudum ei contulisse præsumitur, *d.* §. *si quis* ibi *servitium domino exhibuerit*, & II. *f.* 33. ibi, *servitium ejus quasi a vasallo recipiente*. Et sufficit semel servitium præstitisse, semperque vasallum ad servitia paratum esse constabit, Bammac. ad *d.* §. *si quis n.* 13., Duaren. *cap.* VIII. *n.* 2. Si autem senior xxx. annorum spatio servitiis non indiguit, & vasallus adhuc possidet, exceptionem habet, nec investituram probare, sed jurare tantum cogitur sibi feudum esse concessum, quum possessio plurimi in jure feudali existimetur II. *f.* 33. *princ.*, Andr. *bic n.* 2. Eodem sacramento se tueri potest, si præscriptionem non compleverit, & in possessione reperitur, I. *f.* 26. §. *si autem*, Wesenbec. *cap.* VI. *n.* 3., Rosent. *cap.* VI. 29.

(4) An bona fide opus sit? Jure civili in præscriptione 10. vel 20. an. requiritur; in præscriptione autem 30. mala fides nihil nocet, fur quoque & raptor tanti temporis spatio liberatur *l.* 3. *C. de præscriptio.* 30. hoc discrimine; ut si quis bona fide rem alienam 30. annis possedit, & ejus deinde possessionem amisit, eam contra quoscumque possessores etiam verum dominum vindicare potest, si malam fidem habuit, exceptionem, hoc est actionem contra se institutam elidit, & tutus erit; sed si res ad verum dominum sine violentia redierit, jus vindicandi non habet *l.* 8. I. & 2. *C. de præscrip.* 30.

Sapientes in Italia, inter quos Obertus, Gerardus de Capagisti, Martinus, Bulgarus, Jacobus, & Hugo, cum xxx. an. præscriptionem jure civili cognitam admisissent, de bona fide non videntur cogitasse, qua hæc præscriptio non indiget. Verum, inducta Christi religione, & jure Pontificum sanciente, præscriptio non tantum boni publici, sed & religionis, conscientiæ, & peccati ratione considerata, bonam fidem in omni temporis momento exposcere cepit, *Cap. fin. de præscript.* Attamen tanto annorum lapsu bona fides præsumitur, & quisquis possessorem in mala fide fuisse

 dicit,

dicit, & malam fidem non probat, semper possessor vincet, quia præsumtio vim habet, ut probationem contineat, quæ non nisi alia probatione tolli potest. Et si probationes æquales sint, tunc melior possessoris conditio existimatur, Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 14., Rothius *loc. cit. q.* 9. Nec titulo opus est; quia senior statim ac vasallum feudum possidere permittit, servitia exigit, eumque uti suum vassum agit, & considerat, veram feudi investituram concedere censetur, II. *f.* 33. *pr.*, præsertim cum in clientelarum concessione multa senioris liberalitas reluceat. Scientia enim Domini, & patientia vicem investituræ occupat, Struv. *S. J. F. Cap.* VIII. 12. *n.* 3., A Sande *ad Consuetud.* Gelr. *tit.* 1. *cap.* 11. Et feudum perinde constituitur, ac si vera investitura intervenisset, nec in contrarium probationes admittit, Rosent. *Cap.* VI. 79. *n.* 1. Male Interpp. feudum præscriptione adquisitum *informe*, atque *improprium* appellant. Adest investitura, licet non expressis domini verbis tamen tacitis constituta.

§. LXVII.

De ususfructus feudalis præscriptione.

Non modo præscriptione allodium in feudum commutatur, hoc est vasallus jure feudi utile rei dominicæ dominium adquirit, sed & feudum in allodium transit, dum utrumque dominium vindicare intendit, nec a domino recognoscere, nec investituram petere, nec servitia præstare, sed libertatem omnino vindicat. In qua præscriptionis specie Interpretes magnopere disputant. Quid sentio, aperiam: Aut senior in possessione juris vasallitici, aut vasallus in suæ libertatis possessione reperitur. Si senior possidet, etiamsi vasallus nunquam servitia præstiterit, aut vasalliticæ qualitatis argumenta ostenderit, nihilominus contra seniorem utile & directum dominium præscribere non potest. Nam statim ac se vasallum declarat, feudum suum allodium esse repugnat, quum a domino ipse sponte sua recognoscere fatetur. Nec Dominus dum sua re non utitur, amittit suum jus, sua res est vasalli obligatio, ut serviat, investituram petat, fidelitatem jurat. Hoc jus non amittit, si plusquam XXX. annis servitia non exegit, modo in libertate existat exigendi, dum necessitas urget. Hujusmodi libertas eum in possessione juris vasallitici constituit, quod non amittit, si diu non utatur. Secus Regna, & Ditiones quælibet statim interirent, quoties subditi homagium, obedientiam, tributa Principi longo temporis spatio non præstitissent. Atque in hac libertate semper vivere præsumitur. Nec vasallus, etiamsi per mille annos non servierit, in militiam non iverit, immunitatem a serviendo adquirit, Duaren. *cap.* XVI. *n.* 5., Bammac. ad §. *si quis*

quis q. 6., Scrad. *par. vi. c. 6. n. 62.*, & Impp. in *l. 35. C. de decurio.* rescripserunt eos, qui advocationis obtentu curialia onera declinant, ad publica officia compelli, & rationem addunt, quia *etsi necessitas non exigit, tamen patria non remittit*.

Aut vasallus in possessione suæ libertatis reperitur, nempe si a domino legitime vocatus servire noluerit, si jusjurandum præstare, vel feudum recognoscere recusaverit; & jus illud, vel prædium non feudum, sed suum allodium esse contendat. Et dominus vasalli exceptioni adquiescat, & vasallus suam libertatem xxx. annis possederit, jam domini possessio interrupta est, & vasalli incepit, quum unius extinctio, alterius nativitas censeatur. Nec animo vasalli, nec senioris nomine, sed suo possidere dicitur, dum feudum negat, modo bona fides interveniat. Hinc non recte Cuja. *lib. 1. f. 31.*, & Vultej. *lib. 1. c. 9. n. 19.* vasallum nunquam senioris dominium præscribere posse opinantur. Nec obstat Friderici lex *in* 11. *f.* 55., qui Lotharii constitutioni in posterum feudorum alienationes vetanti innixus, alienationes etiam præteritas, *nullius temporis præscriptione impediente*, prohibuit. Nam de præscriptione 10. vel 20. an., non 30. loquitur, cui derogare noluit, cum 30. an. spatio omnis actio pereat. Nec tricenalem hanc præscriptionem jure Longobardo generaliter receptam abrogare præsumitur, Glos. ad 11. *f.* 40., Alver. *ad d.* §. *si quis n.* 4., Rosent. *Cap.* ix. 2. *97. n.* 19. dissen. Clarus §. *feudum q.* 45.

§. LXVIII.

De præscriptione tertii.

Sæpius non de præscriptione contra Dominum, sed privatum agitur. Nempe si Mævius feudum a Sempronio possidet, Titius bona fide illud occupat, servitia præstat, investituram renovat, & 30. annis possidet; excluso Mævio, Titius Sempronii vasallus evadit. Nam hoc temporis spatio utile dominium præscripsit. Nec refert, an Sempronius sciverit, an ignoraverit, quia ejus ignorantia nihil nocet, atque hoc spatio Titii vasalli qualitatem adprobasse præsumitur. Eadem præscriptio juvat, si unus vasallus fines alterius feudi præscribat, Clarus §. *feudum q.* 45., Pistor *lib.* 11. *q.* 8. *n.* 2. *& seqq.*, Rothi. *in Pand. feud. cap.* xi. *q.* 19., conf. Curt. *par.* iv. *n.* 90. Hactenus dicta de præscriptione adversus inferiores a Principe conveniunt. Si privatus velit contra Principe regalia præscribere, illa requiritur præscriptio cujus initi non extet memoria, sicut juris publici professoribus probatum est.

§. LXIX.

De præscriptione utriusque dominii.

Ex parte senioris præscriptio contingit: Si senior vasalli sui clien-

telæ possessionem occupat, vel mortuo vasallo, nullus successor apparet, qui investituram petat, credens lineam vasalli periisse, feudi possessionem ingreditur, & tanquam allodium 30. an. sine contradictione possedit. Si post hoc temporis spatium agnati veniant, excludere potest, quia dominium utile cum directo consolidatum est, Hanneton. *lib.* II. *c.* I., Zasi. *par.* VI. *n.* 24.. Si enim vasallus 30. an. utile dominium adquirit, cur senior eodem spatio utrumque adquirere non possit? Et sicut vasallus libertatem, & feudum in allodium mutare, & adipisci valet, ita ex feudo fieri allodium consolidatione respectu domini contingere non prohibetur. Jure enim Longobardo allodia, & feuda 30. an. adquiruntur. An hæc præscriptio vasalli agnatis noceat? Distinguam: si, vivo vasallo, Titius nempe ejus feudum præscripsit, eo mortuo, agnati a Titio feudum revocabunt, quia unius negligentia alteri nocere non potest, taciturnitas vasalli non præjudicat agnatis, qui nullum jus a defuncto habent, sed a primo adquirente recognoscunt. Præterea, vivo vasallo, agnatis nulla actio competit, & actio non adhuc nata præscribi non potest, nec præscriptio currit ei, qui agere non valet *l.* I. §. I. *C. de annal. excep.* Nec proximiorum agnatorum negligentia remotioribus nocet, qui negligentiæ accusari non possunt, dum agere vetebantur. Aut, mortuo vasallo, agnati 30. annis successionem non petierint, amplius non admittuntur; verum remotiores agnati recte revocabunt, quia donec agnatus proximior vivit, remotior non succedit, proximiore decedente, remotioris jus nascitur, cui desidia proximioris incommodum non affert II. *f.* 26. §. *Titius*, Scrad. *par.* VIII. *c.* 6. *n.* 5. & 7., Rolent. *Cap.* IX. 2. 85., Pistor *lib.* II. *q.* 8., Andr. *in* I. *f.* 8. *n.* 9. Nec refert an feudum fuerit ex pacto, & providentia, an hereditarium, quamvis in feudo hereditario, ut Neapolitanis placet, præscriptio patris filiis, agnatisve noceat, quia ex ultimo defuncto illud habere videntur, conf. Decius *consil.* 445.

§. LXX.

De præscriptione feudi Ecclesiastici.

Nunc de feudi ecclesiastici præscriptione. Tricenaria Theodosii præscriptio non tantum imperio placuit, sed etiam ecclesiæ, deque ea primum Concil. Chalcedon. an. 451. sub Marciano Imp. celebratum *can.* XVII. meminit., quem Gratian. *in c.* I. XVI. *q.* 3. refert, Gelasius Papa *an.* 492. in *can.* 2. *eo.*, aliique Pontifices, & Concilia *in d. q.* 3. relata. Atque a Theodosio ad Justinianum in Ecclesia præscriptio tricennalis obtinuit. Justinianus quadragenariam immutavit, ne Romana quidem excepta ecclesia *Nov.* III. & 131. *c.* 6. a qua non recte Irner. vel quisquis alius auth. *quas actio-*

actiones C. de Ss. Eccl. desumpsit, & illa verba, *sola Romana ecclesia gaudente centum annorum spatio*, *vel. præscriptione gaudente* de suo adjecit, Wissenbac. *syllog. error. Irner. tb.* 1., Groslot. *lib. de usucap.*, Cujac. 5. *obs. c.* 5., quamvis Ever. Otto *in præfat. Thes.* 10. v. dubitet.

Gregorius I. in *can.* 2. XVI. *q.* 4. qui *an.* 600. Florebat, quadragenariam Romanæ Ecclesiæ concessit, & cognovit. Verum Joannes VIII. qui *an.* 872. 19. *Calen. Januar.* creatus est Pontifex primum in *can. ult.* XVI. *q.* 3., Innoc. III. *an.* 1198. Pontifex electus *in cap.* 13. & 14. *de præscript.*, & Bonifac. VIII. *in cap.* 2. *eo. in* VI. centenariam in Romanæ Ecclesiæ favorem admiserunt. Hæc de varia præscriptionum ætate., Florens *ad cap. auditis de præscript. c.* 3. His præmissis, dicam; in feudi ecclesiastici præscriptione, non nisi 30. an. tempus admitti, licet sæpius canonicum jus, præsertim Greg. IX. decretalium 40. an. cognoscat. Nam jus canonicum in re feudali longobardicas præscriptiones observat, quibus a primæva feudorum origine se submisit, & jura tam circa bona, quam personas a conciliis, Patrebus, & consuetudine adquisita, atque excepta supprimere voluit, iisque sponte sua derogavit, ut sentit etiam Rothius *in pand. feud. cap.* XI. *q.* 8., Struv. *s. j. f. cap.* VIII. 12. *n.* 3. Plus dicam: si rem Ecclesiæ quis uti allodium præscribere velit, 40. annis, indiget. Si uti feudum, 30. anni sufficiunt: nam primo casu Ecclesia totum amittit, secundo penes eam salva manet proprietas. Quin imo ex devolutione utilitatem percipere poterit.

§. LXXI.

De inutili præscriptione.

Sæpius præscriptio, seu simplex temporis lapsus, nec prodest, nec nocet, cum lex non adprobet. Nec distingui oportet, an feudum sit, an allodium. Hinc regula, *non valenti agere non currit præscriptio:* videlicet tempore interregni, dum imperium vacat, præscriptionem non timet: si ecclesia vacat, caretque Prælato, vel habet, sed ad agendum non idoneum, ut captivum, suspensum, excommunicatum, aliove modo detentum *cap.* 4. 10. 14. 15. *de præscrip.* Dormit quoque præscriptio tempore schismatis, & belli, ut Imp. Justinianus an. 554. expulsis ex Italia Gothis, pacatoque regimine, præscriptionem currere noluit, apud Dio. Gotofr. *in Constitut. Justiniani p.* 655. Merito idem Imperator ann. 565. ad Narsetem Italiæ Rectorem scripsit, ut bona Titiorum familiæ gothico, Barbarorumque bello occupata ei restitueret, etiamsi præscriptio longissimi temporis transiisset, *cui omnino derogamus, ac plenitudine potestatis nostræ derogatum esse volumus*, apud Cuja. *x. obser. c.*
12.

12. Contra minorum bona præscriptio 30. vel 40. an. servatur; nec restitutionem in integrum impetrare possunt *l. 3. C. de præscrip. 30. vel 40. an.*

§. LXXII.
De pacto investituræ.

Ad adquisitionis formulam pertinet §. *feudum ea lege datum ut ipsi, & heredes sui masculi, & feminæ, & cui dederis habeant: iisdem culpis amittitur, quibus & aliud feudum. Quod si vasallus alienavit: feudum esse definit apud emptorem h. t.*, 11. *f.* 48. Natura feudi est, ut sine domini consensu non alienetur, huic autem conventio in investitura apposita derogare potest. Et si verba *cui dederis* adsunt, vasallus quocumque titulo, aut venditionis, aut donationis, aliusve alienationis in alterum etiam extraneum, non modo uti feudum, sed uti allodium, illaudato domino, transferre valet. Quamdiu autem apud vasallum manet, propriam feudi naturam retinet, & jusjurandum fidelitatis, & servitia præstare tenetur. Nec fœminæ, vivis maribus, succedunt, si vasallus feudum potestate, qua uti poterat, non alienavit. Hinc feudum cum hac clausula concessum vasallus in allodium tenere prohibetur, cum titulo feudi accepisset. Dum vero alienat, in emptorem allodii naturam assumit, nec emptor ad onera feudalia obligatur, ut *hic*. Nisi aliud ex investitura constet, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 31., Alver. *hic n.* 2., Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 89., Hotom. & Schenck *ad d.* §. *feudum*.

§. LXXIII.
De viribus investituræ.

Secunda pars de viribus investituræ agit. Et primo regula juris est, peracta verbali investitura, dominus omnino ad realem investituram, hoc est ad tradendam feudi possessionem cogitur §. *si facta h. t. Si facta de feudo investitura pœniteat dominum, antequam possessionem transferat, an præstando interesse vasallo, liberetur, quæsitum fuit. Responsum est, prætermissa illa condemnatione, dominum possessionem feudi, de quo investituram fecit, tradere compellendum*, 11. *f.* 7. *in fin.* 1. *f.* 4., nec erit pænitentiæ locus, nec præstatione illius, quod interest, liberatur. Ratio, quia verbali investitura jam feudum adquisivit, jam jus obtinuit, quo sine investiti voluntate non privandus. Aut si dominus in traditione moram contrahat, omnem utilitatem interim investito præstabit. Nec quælibet possessionis traditio juvat, sed *vacua*, hoc est ab aliis non occupata intervenire debet. Hæc vero senioris obligatio tunc nascitur, quum tradendi facultatem habeat, secus omnis utilitatis, præstatione, damni refactione vasallo facienda, eximitur, sicut alibi

alibi dictum est, Wesenbec. *cap. n.* 15. *&* 16., Sonsbec. *par.* 1x. *n.* 31. Peracta investitura, vasallus actionem pro feudo intendandi, aliosque conveniendi consequitur, *& sive obtineat, sive non* (*licet ignorante domino fiat*) *omni tempore firmum erit illud judicium, nam & transigere recte poterit: nec quod accepit transactionis nomine feudum erit*, §. *si vasallus de beneficio b. t.*, 11. *f.* 8. §. 2., 11. *f.* 25., 11. *f.* 43.

Miratur *hic* Hotoman., cur senior rem inter vasallum, & alios judicatam, etiam ignorans ratihabere cogatur? Male: nam vel vasallus & alius de feudo agunt, & uterque ab eodem domino recognoscere contendunt, quia jurisdictio senioris litem dirimere debet, sive sciens, sive ignorans, sententia in judicio lata, sibi nocet. Nec ab eo, qui vicit, feudum vindicare potest ex illius persona, qui succubuit, quia rei judicatæ exceptione repellitur, *arg. l.* 9. §. 2. *D. de except. rei jud.* Et hæc, si vasallus non possidet, & contra possidentem agit. Si vero vasallus possidet, & Titius nempe eum in judicio conveniat, & rem suam esse, nec ad vasallium, nec ejus dominum spectare contendit. Si Titius vicerit, domino scienti nocebit; Et exceptione rei judicatæ repellet. Si dominus fuerit ignorans, ei non præjudicat *l.* 63. *D. de re judic.* Quare feudista *in d.* §. *si vasallus* intelligitur, si dominus ex persona vasalli victi, aut vincentis, contra sententiam venire vellet, quia sive sciverit, sive ignoraverit, ipsi sententia nocebit, cum jure suo utens vasallus litigaret, Alver. & And. *hic*. De transactione feudali egi *lib.* 111. 27. §. 36.

§. LXXIV.

De subfeudo & generali bonorum alienatione.

Ex investituræ virtute, & utilis dominii translatione, subinfeudandi facultas vasallo competit §. *beneficium b. t. a vasallo in feudum, si nihil fraudem legis fiat, recte dari potest: dum tamen militi detur*, 11. *f.* 34. §. *similiter* 11. *f.* 55. §. *illud*, ibi dicam, & *lib.* 11. 20. §. 56. disputavi. Sive ecclesiasticum, ex pacto, & providentia, hereditarium, sive regale, sive non regale fuerit, sive in totum, sive pro parte subinfeudat. Modo tria copulative serventur, ut subinfeudatio *sincere*, hoc est sine dolo malo, *persona æquali*, & *iisdem conditionibus*, quibus subinfeudans accepit, contingat *d.* §. *similiter*, *&* §. *beneficium*, Pistor *lib.* 11. *q.* 44.

Et quamvis vasallus uti frui feudo possit, subinfeudare, quin dominus consensiat, atque alienare si dominus assentiatur. Attamen: cum diversam a rebus aliis naturam conservet, si bona sua vel sponte, vel coacte alienat, nunquam in generali bonorum alienatione feuda continentur, §. *in generali alienatione*

ne vasalli non continetur feudum, nisi nominatim dictum sit; h. t., qui non immerito ex parte senioris, & vasalli intelligi potest. Si dominus bona sua vendat, sub hac generali venditione jura sui vasalli, seu utile vasalli dominium non veniunt. Si vasallus etiam bona sua generaliter alienat, nec directum senioris dominium comprehenditur, cum in primo casu vasalli, in secundo, senioris conditio læderetur. Nemo in generali alienatione ea vendere sentit, quæ specialiter venditurus non fuisset, nec feudum etiam alienare præsumitur, cum ex alienatione amissionis pœnam contraheret 11. *f.* 52. 11. *f.* 55. Sed cur feudum cum bonorum universitate non transit, & jus patronatus Ecclesiæ, res sacra, & religiosa transit? *cap.* VII. *de jurepatr. l.* 24. *D. de contrab. emp.*, *l.* 53. §. 1. *D. de Actio. emp.*, nisi aliud convenerit, Cujac. *ad l.* 4. 5. *& 6. D. de Contrab. emp.* Respondeo, ita lex feudalis, & lex civilis, & canonica jubet, præsertim quia in feudo damnum senioris, & vasalli consideratur. Feudista excipit, *nisi nominatim dictum sit*; quod ex parte vasalli intelligi nequit, quia ipse alienare, uti velit, prohibetur, rectius ex parte senioris declarari videtur, Hotom. *bic.* Quæsitum est, an feuda in fideicommissi restitutione includantur? Distinguendum; si est feudum ex pacto, & providentia, vel mixtum, non venit; si mere hereditarium, continetur. De feudo ex pacto, & mixto *bic* §. sentit, non de hereditario, quod jus Longobardum ignorabat. Et ita communiter placet, Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 243.

§. LXXV.
De feudi controversia.

Tertia pars est de feudi controversiis; Si dominus, & agnatus de feudo contendunt: Dominus novum, agnatus antiquum astruit; agnatus in feudi possessione constitui, & conservari interim debet, postea super principali quæstione cognoscendum. Si dominus feudum novum esse non probaverit, electio est agnati, ut juret, vel jusjurandum domino deferat §. *si de feudo h. t. Si de feudo defuncti militis contentio sit inter dominum, & agnatos defuncti, domino novum feudum, agnatis vero paternum esse contendentibus: agnati in possessione feudi, de quo quæritur, constituendi sunt. Eo facto, super principali quæstione cognoscendum est. Utroque autem deficiente in probatione, electio jurisjurandi agnatis danda est*, 11. *f.* 20. Hinc tam in litibus allodii, quam beneficii prius possessorium, deinde petitorium cognosci oportet. Nam si defunctus tempore mortis possidebat, ejus agnatus, deficiente descendentium linea, in possessione servandus est, donec de petitorio, an feudum sit novum, an antiquum, agatur. Et propter hanc possessionem a defuncto in agna-

tum

tum perductam, jurejurando possidentis agnati caussa dirimitur, idcirco potius antiquum, quam novum præsumi oportet, Bammac. ad *d.* §. *si de feudo*, ibi Andr. Sed si senior *statim* velit suam actionem probare, audiendus, & tunc diuturna possessio agnatis non prodest. Senior dicit, *hodie constat de feudo*, *hodie agamus*, *l.* 3. *D. ut in possession. legat.* Doloque facit, qui petit, quod restituturus est, *l.* 8. *D. de doli excep.*

Eadem possessorii, & petitorii judicii ratio est, si inter agnatum, & defuncti filiam quæstio de fundo quodam nascatur. Agnatus feudum, filia allodium esse intendit, *super possessione apud quam remanere debeat, quærebatur. Responsum est, apud filiam possessionem interim esse collocandam: deficientibus vero hinc inde probationibus, per jusjurandum caussa cognita res decidetur, electione danda agnatis* §. *inter filiam b.t.*, II. *f.* 51. §. *si contentio*, II. *f.* 41. Nam filia in possessorio potior est, quam agnatus, quia filia heres defuncti conservari debet in possessione rei hereditariæ, quam defunctus tempore mortis possidebat, donec de petitorio agatur. Præsertim cum qualibet res allodialis, non feudalis præsumatur. Si filia allodium non probaverit, nec agnatus feudum, agnatus cum XII. sacramentalibus jurans vincet, modo aliqua præsumtio eum tueatur, II. *f.* 33., II. *f.* 41., Si pro filia præsumtio esset, filia juraret, & vinceret, Bammac. *hic n.* 17. Alver. *eo. n.* I. Similis quæstio inter seniorem, & filiam contingere potest. Dominus feudum, filia allodium esse inquit, filia in feudi possessione manere debet, donec judex seu pares Curiæ petitorium cognoscant §. *defuncto b. t.* quod si filia allodium, vel dominus feudum non probet, filia cum XII. sacramentalibus jurare debet, & obtinebit, quia ei præsumtio favebat, secus ad jusjurandum non teneretur, nec vinceret. Denique tam in primo, quam secundo casu filiæ possessio indulgetur, quia agnatus, vel dominus statim feudum probare non poterant. Nam si paratam obtulissent probationem, possessionem filia non impetrasset.

Alia litis species in §. *mulier b. t.* occurrit, nempe filiis primi matrimonii, aliis exclusis, successio & in feudo & in alode competit. Hæc non erat totius Italiæ consuetudo, sed localis, in mediolanensi civitate tantum recepta, sed omni æquitati adversa, cum æqualiter filii primi, & secundi matrimonii ad matris bona, sive feudalia, aut allodialia succederent. Hæc tamen matrimonii species ad *Morgencap* contracta dicebatur, qua speciali pacto filii ex secundo matrimonio nati non succedunt, nisi in certis rebus, a feudo autem, & ceteris rebus excluderentur II. *f.* 29. In Italia enim etiam ævo Glossatorum variæ leges scilicet Alemannica, ripuaria, salica, Longobardica, Romana vigebant. Attamen hæc

consuetudo, nec de uno loco ad alium, casu ad casum porrigenda est, Alver. *bic*. Et *tit* 29. *b.l.*

§. LXXVI.

De successione feudi.

Quarta pars est de successione. In omni successione, vel feudi, vel allodii prima caussa est liberorum; sed non omnis filius, vel descendens in feudo succedit. *Clericus* non succedit, nec qui votum religionis assumsit, §. *qui Clericus b. t.*, de quo *in* 11. *f.* 21. prolixe diximus, Ursin. *de succes. feud. par.* 1. *q.* 9. *art.* 1. *& seqq.* Nec *filius adoptivus*, quia nemo in Clientela succedere valet, nisi ex primi adquirentis sanguine descendat, quem in investitura concessor consideravit, §. *adoptivus b. t.* Nec lex civilis supplere potest, quod natura necessario requirit; filius adoptivus hodie talis est, cras emancipatione alius apparet. Nec unquam Clientela ad seniorem devolveretur, si vasallo filium vel adoptare vel adrogare liceret, Hotom. *ad d.* §. *adoptivus*, Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 176., nisi aliud vel consuetudo, vel investituræ pactum suadeat. Displicet vero Interpretum opinio, quæ, exstantibus agnatis, in eorum læsionem Principi adoptandi facultatem concedit, & filius adoptivus in feudo succedat. Nam jus agnatis quæsitum Princeps auferre non potest. Nec refert, an de familia adoptantis, an extraneus fuerit. Successio enim investituræ initio conventa intervertí prohibetur, sed proximior remotiorem excludit.

Nec *filius naturalis* succedit, sive patris, sive matris successio contingat §. *naturales b. t.*, etiamsi legitimi, & naturales deficiant, sed vel ad agnatos, vel iis non superstitibus, ad dominum clientela devolvitur. Ratio, quia non sine magno Curiæ senioris dedecore in ea versaretur, licitam conjunctionem læderet, pudicis amoribus obstaret, & ne delinquendi, seu peccandi occasio daretur, Bammac. *ad d.* §. *naturales n.* 4., Pistor. *lib.* 11. *q.* 40. Roth. *in Pand. feud. cap.* xv. *q.* 37. Nasci enim ex legitimis nuptiis sapit divinum, misteriique naturam imitatur. Succedit tamen per subsequens matrimonium legitimatus, cui non obnititur noster §. *naturales filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur*, qui de legitimatione Principis acta tantum sentit. Prior filios in vero, naturali, & legitimo statu constituit, secunda jus agnatis, filiisve quæsitum eripere nequit, idcirco prior legitimatus, non secundus succedit, *cap. tanta* VI. *qui fil. sin. leg.*, nisi aliud loci mores, vel investituræ pactum jubeant, sicut in Regno Bohemiæ, Ducatu Brunsvicensi, Magdeburgensi, Terris Calenbergicis, Guelpherbytanis, Marchia Brandenburgica legitimatus etiam per subsequens matrimonium non succedit, ut magis sanguinis

nis puritas servaretur, Rothi. *loc. cit. q.* 39., Frid. Pufendorf. *to.* 1. *obser. juris universi* 90.

An Princeps naturalem in senioris, vel agnatorum præjudicium, ut in feudo succedat, legitimare possit? Minime, quia Princeps jus alteri quæsitum auferre non censetur, nec quis de feudo disponere valet præter in investitura vocatos, nisi dominus consensiet II. *f.* 52. II. *f.* 55. Nec quod domino, & vasalli agnatis competit, sine eorum facto ad alios transferri potest. Hinc Paul. *in l.* 4. *D. Natal. restit.* facultatem restituendi libertum natalibus, invito patrono, vel ejus filio, Imperatori pernegat. Feudista *in* II. *f.* 39. inquit, dominum, sive Principem prohiberi investire filiam, *agnatis non consensientibus vel postea ratum non habentibus*, & I. *f.* 8. §. *hoc quoque*, I. *f.* 13. §. *etsi clientulus*, & prolixe V. Cl. Hart. Pistor. *lib.* II. *q.* 40. probat.

Quamvis omnes filii legitimi, & naturales in feudo succedant, tamen qui ex matrimonio ad *morcengab* contracto nati, non succedunt. Et contingit, si vir nobilem uxorem duxit, qua mortua, aliam sed ignobilem nubat hoc pacto, ne filii ex hoc secundo matrimonio nati succedant. Nihil vero vetat, quominus tam in primo, quam secundo matrimonio simile pactum adiiciat, §. *filii nati b. t.*, quod, etsi jure feudali mediolanensi valeret, jure romano tamen improbatur *l.* 3. *C. de collat.* Perempta descendentium linea, succedit collateralis, cujus unica tantum conventio *in* §. *Titius cum sempronio b. t.* exponitur. Titius, & Sempronius fratres feudum paternum habebant, inter se pacti sunt, ut Titius nunquam a Sempronio, heredibusque suis peteret. Sempronius sine herede masculo decessit; Titius, pacto non obstante, ei succedit; quia hoc pactum non est reale, sed personale, nec personam in pacto nominatam egredi potest *l.* 21. & 25. *D. de pact.* Unde pactum tantum de Sempronio, ejusque filiis intelligitur, II. *f.* 49.

§. LXXVII.

De pluribus vasalli heredibus in fidelitate.

Quinta pars est de fidelitate facienda, de qua §. *omnes filii ejus, qui feudum adquisierit, fidelitatem facere debent, maxime si indivisum habent: quod si feudum ex divisione ad unum tantum pervenerit, ille tantum faciet fidelitatem b. t.*, Cuiac. *in lib.* IV. *feud.* 9. pro *si indivisum* legit *divisum*, propter Friderici legem in II. *f.* 55. §. *præterea ducatus*; ubi omnes, qui partem feudi habent, aut divisi, aut dividendi, fidelitatem facere debent. Quando feudum est divisum, omnes jurare oportet, secus dum pro indiviso possident. Probat etiam ex *cap.* LXXVII. *extraord. Cum plures fratres vasalli paternum habent beneficium, donec illud indivi-*

sum possident, una fidelitas, & unum servitium domino fieri debet: si vero partitum fuerit, quot partes, tot erunt fidelitates. Servitia vero non pro partibus, ut unum primum videlicet graviora, sed pro quantitate beneficii moderanda. Plures autem domini, etsi feudum inter se dividant, nullo modo nisi unam fidelitatem ex feudo habere poterunt. Servitium vero omnibus non gravitate, sed moderamine faciendum est.

Hotomannus tacite Cujacii emendationem arguit, & in textu nihil mutat, sed de nostri textus cum *d.* §. *praeterea ducatus*, & cap. extraord. *cum plures* conciliatione diffidit. Idcirco Hartm. Pistor *lib.* 11. *q.* 47. *n.* 11. aliam init viam, ut *d.* §. *omnes*, cum d. cap. *cum plures* componat, nempe etsi omnes filii fidelitatem faciant, ut in *d.* §. *omnes*, tamen quia unusquisque pro sua tantum parte jurat, & pro illa solum parte defunctum repraesentat, & hac ratione omnes jurantes unam defuncti personam supplent, ex hoc ipso jusjurandum etiam ab omnibus praestitum, recte una fidelitas appelletur. Haec conciliatio Vultejo *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 139. non placet, & ipse, inquit, fidelitatem unam non ex personis eam promittentibus, sed ex ipso feudo esse existimandam; unde licet plures fidelitatem faciant, contemplatione tamen feudi, non duplex, sed una fidelitas dici debet. Etenim si plures domini inter se feudum dividant, ex feudo non nisi unam fidelitatem habere possunt, quia feudum est unum, & absurdum censetur, de uno eodemque feudo fidelitatem a pluribus factam fidelitates plures esse, secus plura feuda constitui deberent, sed in hac specie unam praesupponitur. In §. *omnes* dicitur, omnes filios fidelitatem facere cogendos, quod in *cap. cum plures* §. *plures autem*, non negatur. Sed certum supponit. Postea concludit, haec si non satisfacere, potius §. *omnes*, & §. *praeterea ducatus*, quam cap. extraordinarium quod est apocryphum, sectari debemus.

Nos, praetermissis ambagibus, Vultejum sectamur, sed primo distingui oportet: Si plures filii, vel plures fratres feudum indivisum possideant, omnes fidelitatem jurare, servitia praestare, & intra annum, & diem investiturae renovationem petere tenentur, quia omnes, & singuli sunt vasalli, ergo omnes his oneribus obnoxii *d.* §. *omnes*, jusjurandum est individuum, & quisque in solidum obligatur. Verum hujusmodi heredes unum ex eis eligere possunt, qui nomine suo, & aliorum heredum fidelitatem juret, & tunc omnes jurare dicuntur, sicut si unus tutor nomine contutorum tutelam administrat. Nec senioris consensu indigemus, si unus ex heredibus jurare aliorum nomine, constituto jam mandato, velit, nec ceteri vasalli esse desinunt, Jac. a S. Georg. §. *qui* qui-

*quidem investiti n.*22., Rosent. *cap.* 36., Rothius *in Pand. feud. cap.* XIII. *q.* 8., Wesenbec. *cap.* VIII. *n.* 9., Zasi. *par.* VII. *n.* 13. Nec ex heredum multitudine feudi servitium augetur, sed sicut unum est feudum, ita unicum servitium esse debet *d. cap. cum plures*; cum omnes heredes unam defuncti personam repræsentent, quia omnes in locum unius succedunt. Nec si unus, feudo adhuc indiviso, ex heredibus fidelitatem jurare velit, a domino excludi potest, vel investire differat, donec reliqui coheredes compareant, quia delictum unius, alteri nocere non permittitur, Pistor *lib.* II. *q.* 47. *n.* 14. 15. Aut feudum inter se diviserunt, tunc quisque pro sua parte, quæ penes se totum constituit, fidelitatem, servitia præstare, & renovationem petere cogitur. Servitium ex divisione non augetur; sed quot partes feudum recepit, tot servitia excipere debet *d. cap. si plures*. Aut ad unum ex heredibus forte stirpis maximum, sicut in feudo marchiæ, ducatus, Comitatus aliusve primogenituræ, pervenerit, & hic solus omnia clientelæ onera subire compellitur, Andr. Alver. *ad d.* §. *omnes*, Vultej. *loc. cit. n.* 142.

§. LXXVIII.

De pluribus Senioris heredibus.

Nunc de pluribus heredibus unius domini: Nonnullis visum est, si senior decedat, pluribus relictis heredibus, investituram ab omnibus petendam esse, quia jus defuncti cunctis in solidum competit. Aliis placuit, uni dumtaxat senioris heredum fidelitas promittenda est, ne vasallus plures dominos habere, & recognoscere cogatur II. *f.* 55. §. *preterea ducatus*. Aliquibus arrisit, uni heredum, sed omnium nomine fidelitatem recipienti vasallum eam exhibere, quem ipse vasallus elegerit. Rectius Hartm. Pistor *lib.* II. *q.* 47. *n.* 24. componit; nempe vasallus omnes senioris heredes moneat, ut ipsi unum ex se constituant, cui nomine omnium fidelitatem promittat. Si heredes in electione non conveniunt, vasallus tunc unum ex eis eligere potest, quem velit; quod & æquitas suadet. Modo aliud non occurrat, ut potius uni, quam alteri præstetur; aut si ex divisione ad unum clientela pervenerit, tunc illi tantum feudi onera præstari oportet. Nec vasallus pro personarum capite servitia, sed unum seu in simplo præstare tenetur, quia plures heredes simul sumpti unum dominum repræsentant; Rothi. *loc. cit. q.* 6.

§. LXXIX.

De minore non jurante.

Non omnis tamen, qui in feudum succedit, ad fidelitatem tenetur; sic feudista in §. *si minori datum fuerit feudum, fidelitatem facere non cogatur, donec venerit in majorem ætatem in qua doli capax sit, feudum tamen retinet, h. t.*, & in sequenti §. *si quis decef-*

decesserit filio impubere relicto, fidelitatem nec ipse, nec alius pro eo facere cogitur. Feudum vel de novo minori conceditur, & fidelitatem jurare non cogitur, quia hæc ætas ignorat, quid agit. Jure Longobardo legitima ætas est an. XVIII. ex qua vel major, vel minor dici valet. In hoc §. minor idem est ac impubes, sicut verba in *qua doli capax sit*, ostendunt. Pubes doli capax, impubes incapax apparet. Impubes nec ipse, nec ejus tutor, vel procurator ad fidelitatem compelli potest; sive de novo feudum adquirat, sive in antiquo succedat. Et si intra annum, & diem renovationem non petit, a feudo non cadit: si velit, potest, licet tutoris auctoritas non accedat, Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti n.* 24., Hotom. *ad d.* §. *si minori*, Cujac. *lib.* IV. *feud.* 13. Bodin. de Republ. *lib.* 1. *c.* 10. *Sin vasallus adhuc impubes est, & id ætatis, ut sensu careat, sustinetur actus legitimus fidelitatis, quousque legitimam ætatem affigerit, qua fidem præstare possit, nisi patronus procuratorem admittere malit, ut Lodovicus* XI. *Rex, per legatum matrem Galeacii impuberis, ducis Genuensium, in fidem accepit, verba jurisjurandi concipiente Philippo Cominio Regis legato, cui aureorum nummum quinquaginta millia, annui fructus nomine, solvit.*

§. LXXX.

De modis amittendi feudum.

Sexta pars est de expectativa *in* §. *moribus b. t.*, de qua prolixe *in lib.* 1. *f.* 3. *&* 9. disputavimus. Septima de jure protimeseos agit & *lib.* III. *t.* 2. *t.* 30. §. 43. plurima dabit. Octava, modos quibus feudum amittitur, vel non, ostendit, & negationem, culpam, alienationem, imminens periculum recenset. *Negatio*, videlicet si vasallus feudum negat §. *vasallus si feudum, vel feudi partem, aut feudi conditionem ex certa scientia inficiatur, & inde convictus fuerit, eo quod abnegavit feudum, ejusve conditionem, expoliabitur: alius autem vasallus, quamvis hoc sciens non patefaciat, feudum tamen retinet: aut si aliam rem domini celaverit vasallus, feudum tamen non amittit*, h. t., & §. *vasallus feudum eo.*, *&* II. *f.* 34. Si itaque vasallus sciens prudens totum feudum negat, totum, si partem, partem amittit, ne pœna criminis gravitatem excedat, & cedit Domino, si negantis nec filii, nec agnati supersint. Nam hæc negatio, non *felonia*, sed *culpa*, dicitur, ideo ad filios, vel agnatos clientela transfertur, Schenck *hic*. Sive in judicio, sive extra de mendacio convincatur. Si ignatus, vel ambiguus negavit, non amittit, quia dubitans pro errante, atque ignorante existimatur *d.* §. *vasallus*, *& l. ult. C. de condict. indeb.*, donec ignorantia supina non fuerit, nimirum negare, quod omnes affirmant *l.* 6. *D. de juris*,

ris, *& fact. ignor.* Nec tantum si feudum negat, sed & si ejus conditionem, hoc est servitium, vel serviendi modum, qualitatem, vel quantitatem inficiatur, Curt. *par.* IV. *n.* 41., Cujac. *lib.* IV. *f.* 5., Gloss. *ad d.* §. *v. scientia.*

Si vero alius senioris vasallus sciens prudens alterius vasalli, negationem suo seniori non prodidit, feudum ipse non amittit. Rationem Hotoman., & Cujac. subdunt, quia vasallus ea tantum indicare domino debet, quæ ad ejus vitam, æstimationem, & grandem patrimonii jacturam spectant. At errant: nam vasallus suo seniori *utile*, *possibile*, *& facile juravit*. Pandere igitur, quod utilitatis erat, debebat. Nonne magna patrimonii jactura est, si feudum, id est directum dominium amittit? Hinc rectius Glos. *hic v. celaverit*, & Alver. *n.* 5. intelligunt, vasallum tunc feudo non privari, si sine dolo malo, & scientia, non indicavit; si dolo malo, etiam feudum amittit, II. *f.* 34. *in fin.* Huc statuta Ecclesiæ Suessionensis *cap.* CX. *an.* 1404. apud Martene *veter. Script. to.* VII. *Præcipimus*, *ut Presbyteri excommunicent monitione præmissa singulis diebus dominicis omnes*, *qui scienter celant feoda*, *vel homagia Episcopi*, *& omnes*, *qui sciunt aliquid super hoc nisi revelaverint Episcopo*, *vel ejus mandato*. Quæsitum est, an vasallo, postquam in judicio, vel extra negavit, penitere liceat? Minime: quia ex negatione jam dominus jus adquisivit, quo sine suo facto privari non potest. Præsertim cum tota hujus amissionis ratio senioris contemptui innitatur, quem semel contempsisse sufficiet. Exceptio est, si vasallus errorem, vel ignorantiam proferat, aut dominus negationem non adhuc admisit, Bammac. *ad d.* §. *vasallus si*, *q.* 2. *n.* 14.

Culpa, sive in seniorem, sive in aliam commissa, §. *si vasallus culpam committat*, *propter quam feudum amittere debeat*, *neque filius*, *neque ejus descendentes ad id feudum revocabuntur: sed agnati*, *qui quarto gradu sunt*, *dummodo ad eos pertineat*, *h.t.*, *&* II. *f.* 24. *in fin. &* II. *f.* 31. feudista de feudo antiquo, non novo loquitur, secus ad agnatos non transiret. Felonia duplex est, una ex criminis, altera ex contractus illiciti ingratitudine oritur. Si feloniam in seniorem committit, omnibus descendentibus, atque agnatis exclusis, sive feudum novum, sive antiquum fuerit, domino aperitur. Si in alterum delinquit, & feudum est novum, dominus succedit, si est antiquum, exclusis descendentibus, ad agnatos pertinet, & de hac felonia noster feudista respondit. Hinc patris delictum filio, non agnatis nocet, nisi investiens patri, & filiis nominatim concessisset, dixi *lib.* II. *f.* 24. *in fin.*, Bammac. ad d. §. *si vasallus culpam q.* 1. *&* 2.

Alienatio, si vasallus, inconsulto domino, feudum alienat, modo sciens

ſciens prudens alienat, *ſi ignorans: non domino, ſed ipſi vaſallo feudum reſtituendum eſt: ad intereſſe emptori ignoranti condemnandus eſt vaſallus* §. *ſi vaſallus b.t.* Emptor ad intereſſe agit, ſi ignarus emit, ſi ſciens nihil petere valet, quia ſcienti, & volenti nec dolus, nec injuria irrogatur *l.* 34. *C. de Tranſact. Imminens periculum*, in quo dominus reperitur, ſi vaſallus auxilium non præbet, feudo cadit §. *licet vaſallus b.t.* Regula enim juris eſt, vaſallum nunquam feudo privari, ſi nec domino ſerviat, nec ſervitium offerat, niſi ſenior eum admoneat. Excipit feudiſta, ſi ſciat ſeniori magnum imminere periculum, tunc ſine admonitione ſervire tenetur, §. *etſi vaſallus b. t.*: II. *f.* 28. §. *ad hec*. Addit & in d. §. *licet*, *inde quæſitum eſt, ſi dominus in perjurium incidat, quia dare non valeat, quod dare juraverat, & vaſallus eum liberare poſſit. Suam pecuniam dando, & non feciat, an beneficium amittat? & reſponſum eſt, non amittere*. Senior Mævio decem promiſit, poſtea pauper culpa ſua evaſit, in perjurium incidit, vaſallus pecuniam pro domino ſuo, ne perjurium incurrat, ſolvere non obligatur; quia non quælibet cauſſa vaſallum ingratum declarat. An ſeniorem egenum alere debeat? Diximus *lib.* III. 5. §. 12.

§. LXXXI.

De amiſſione proprietatis.

Nona pars eſt de amiſſione proprietatis, §. *domino committente feloniam, ut ita dicam per quam vaſallus amitteret feudum, ſi eam committeret: quid obtinere debeat de conſuetudine, quæritur? & reſpondetur, proprietatem feudi ad vaſallum pertinere: ſive peccaverit in vaſallum, ſive in alium, b. t.*, & II. *f.* 47. Dominus in vaſallum feloniam committit, ſi ejus uxorem cognoſcit, filiam deflorat, verbera, vel graves ei injurias inferat, vel ſimilia agat. In alium, ſi proprium fratrem, vel fratris filium interficiat, aliudve perpetrat, ut ſine dedecore in Curia ſua morari non poſſit. Andreas requirit, ut crimen ſemper vaſallo ſive directe, ſive indirecte noceat, nempe ſi dominus, ſervum, & familiam vaſalli verberaſſet. Si vero feudum fuerit Eccleſiaſticum, & Prælatus in vaſallum delinquit, proprietas non apud vaſallum, ſed Eccleſiam remanet, quia Prælatus adminiſtrat, non dominium in bonis Eccleſiæ exercet. Vivente tamen Prælato, feudum vaſallus obtinebit, & jura ſenioratus Antiſtes amittit, eo defuncto, Eccleſia iterum Domina evadit, Alver. *in* II. *f.* 40. *in fin. n.* 3. Præterea ſi Senioris bona crimine læſæ Majeſtatis, vel divinæ, vel humanæ proſcribuntur, proprietas non ad Principem, ſed vaſallum pertinere videtur, licet aliter moribus ſervetur. Cur felonia in dominum commiſſa, feudum ei aperitur; in alium, ad agnatos tranſit; & e con-

e contra si dominus feloniam contrahit, ad vasallum; & non senioris agnatos proprietas pertineat? Alver. Feudistam de feudo non intelligit, ut sicut vasallo in alium delinquente, exclusis descendentibus, & agnatis, feudum ad dominum redit; ita & domino in alium, non vasallum delinquente, proprietatem exclusis descendentibus, & agnatis domini, vasallus vindicabit. Si feudum est antiquum, & dominus in alium delinquit, directum dominium non ad vasallum, sed agnatos domini transibit. Nam paria jura inter seniorem, & vasallum judicanda sunt, queis nihil sanctius, atque æquius in barbarorum ætate excogitari poterat.

§. LXXXII.

De Moribus.

Feuda sicut & allodia etiam hodie in Europa *præscriptione* adquiruntur. De præscriptione feudorum Regni Neapolitani dicam in *Codice*. In Hollandia feudum, vel immobile allodium seculi triente præscribitur. Defuncto vasallo, cum hodie omnia fere feuda sint individua, solusque stirpis maximus succedat, ipse solus fidelitatem præstat, & vice renovationis laudimium, seu *relevium* solvit. Nec quis a juramento fidelitatis se eximere potest, quin imo pro vasallo impubere tutor fidelitatem facere tenetur. Hodie vasallus suum feudum alteri subinfeudare potest, etiamsi subvasallus, nec miles, nec ejusdem dignitatis, & conditionis fuerit, modo per substitutum æque idoneum servitia præstet. Et quoniam feuda moribus Belgicis, & Francicis ad patrimonii naturam redacta sunt, idcirco felonia vasalli amissa, non ejusdem agnatis, sed fisco cedunt, Groenewegen *ad h.t.* Gudelin. *par. v. c.* 4. *n.* 12.

TITULUS XXVII.

De pace tenenda, & ejus violatoribus.

NOn immerito imperialis Friderici constitutio hic exponitur, cum in prioribus titulis de feudorum quæstionibus actum esset, nunc universalem inter imperii subditos, sedatis privatorum, & Reipublicæ seditionibus, pacem indicit. Cujacius in vetustis libris, inquit, hunc titulum *de treuga, & pace* concipi, & auctorem Fridericum I. sicut & ceteri, agnoscit. Ratisbonæ editam suspicatur, dum Germaniæ Principes dat inter se ob Ducatum Saxoniæ, & Bajoariæ ereptum Henrico superba a Conrado Imperatore dimicarent. Hæc Cujacii conjectura Hotomanno non placet, quia Ottho Frisig. *lib.* II. *cap. ult.* de hujusmodi controversia meminit, sed legem ea de re promulgatam non scribit. Quin &

constitutio isthæc ad omnes imperii provincias pertinet, idcirco de *pace tenenda* interpretatur, *de republica constituenda*; & non Fridericum I. sed Fridericum III. auctorem esse opinatur, qui compositis Austriæ rebus hanc legem promulgavit. Verum omnes Fridericum I. agnoscunt, præsertim cum locutio ejus ætatem redoleat.

Hæc Constitutio in octo partes dividitur; prima pars *de homicidio, vulnere, & diversis injuriarum speciebus agit*. Secunda *de clerico pacis violatore*. Tertia *de judicis officio contra violatores, de investituræ controversia*. Quarta *de rustico, & milite*. Quinta *de Comitis auctoritate in statuendo annonæ pretio*. Sexta *de rustico, mercatore arma ferentibus, & publicis latronibus*. Septima *de advocatiæ feudo*. Octava *de pœna juris, bello privato, & pascuis*.

§. LXXXIII.

De homicidio.

Prima pars: Si durante pacis edicto quis alterum interficiat, tanquam pacis perturbator, capitali pœna mulctandus §. *si quis hominem b.t.*, sicut jure romano miles, qui pacem turbat, capite punitur *l. ult. D. de re milit.*, nisi suam vitam tuendo cum moderamine inculpatæ tutelæ interfecisset, quod si probare nequit, ad duellum cum accusatore confugere debet, ut sua appareat innocentia. Cessat vero duellum, si manifeste se non necessario, & propriæ defensionis caussa, sed voluntarie occidisse constat, & capitali sententia condemnetur. Apud barbaras mediæ ætatis gentes Francos, Germanos, Frisios, Anglos, Alemannos, ceterosque in caussis dubiis ad eruendam veritatem, vel amovendam a se suspicionem *singulare certamen* seu duellum, præter alias vulgaris purgationis species, vetustissimum invaluit. Neque ab hoc vel clerici, vel monachi, aut mulieres dimoveri potuerant, sicut Abbas Vindocin. *lib.* III. *epist.* 39. inter clericum, & monachum Monomachiæ exemplum refert. Sæpe quis pro se *campionem* dabat, si in arenam ipse descendere non potuisset, ut mulier, ægrotus, minor XXI. an. sexagenarius, sacerdos, clericus, monachus, imbecillis, tunc vicaria opera utebantur, conf. Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* III. *tit.* VI. §. 240.

Quod si homicida latitat, & in jus comparere nolit, *res ejus mobiles a judice in populum* (hoc est *palam*) *publicentur*, & *dispensentur* (id. est sub *hasta vendantur*) *heredes autem sui hereditatem, quam ipse tenebat, recipiant, tali conditione interposita: ut jurejurando spondeant, quod ille violator pacis nunquam de cetero ipsorum voluntate, aut consensu, aliquod emolumentum inde percipiat. Quod si heredes, neglecto postmodum juris rigore, hereditatem ei dimiserint*: *Comes* (hoc est *judex civita-*

tatis) *eandem hereditatem regiæ ditioni assignet*, §. *si vero* h. t. Bona igitur immobilia heredes capiunt, modo jurent, se nullum homicidæ subsidium præstaturos, secus his bonis privantur, & fisco cedunt. Bona mobilia publice venduntur; hic filius patrem proscriptum alere non debet, quia desinit esse pater, dum publicus hostis evasit. Hujusmodi immobilia bona jam heredibus juste ablata Comes, id est judex territorii *a regio jure* suscipiat jure feudi, ut recte Hotom., & textum corrigit pro *suscipiant*, legit *suscipiat*, quia non heredes homicidæ, sed Comes in feudum ab Imperatore recognoscat: Et sæpius in barbaricis legibus aliqua solidorum quantitas in infligendis pœnis judici dari solet.

§. LXXXIV.

De vulnere, & injuria.

Si vulnus inflixit, manum amittit, *nisi quod in duello, & vitam suam defendendo, hoc fecerit, probaverit*, §. *si quis* h. t., & vulneranti se caussa defensionis vulnerasse probatio incumbit, quia dum suam defensionem probat, uti actor existimatur. Quod si aufugerit, mulctandus eadem pœna, qua homicida, nempe bonorum publicatione puniri solet *d.* §. *si quis*. Aut non vulnus intulit, sed sine sanguinis effusione aliquem *fustibus percusserit, vel crines ejus, aut barbam expilaverit* §. *si quis aliquem* h. t., decem libras auri injuriato, & viginti Judici solvere debet. Rex Rotharis *in lib.* 1. 11. *long.* 6. *l.* 3. sanxit; si quis hominem *liberum per barbam, aut per capillos traxerit, componat sol.* 6. *si autem servum ministerialem, aut aldium, seu servum alienum rusticanum per barbam, aut capillos traxerit, componat sol.* 1. *sicut pro una ferita*. In eo titulo plures injuriarum corporis pœnas imponit. Minor tamen est injuria, si non fustibus, sed verbis lacessat, & æstimationem lædit, quod corrupte *cisteros* pro *zitter* hoc est calida manu dicitur. Callida manus idem est ac astuta. Injuriato quinque libras, judici decem persolvat §. *si vero temerarius* h. t. Hanc pœnam reus Comiti *invadiare*, hoc est dato prædio, aut alia re, obligare, seu pignorare debet, & post invadiationem, ipsum prædium pignoris jure pro secura pœnæ solutione tradere cogitur. Hoc pignus intra mensem reus luere debet, secus addicitur ejus heredibus, si velint, qui intra sex hebdomedas pœna Comiti solvere tenentur, & pignus luunt. Si heredes neglexerint, Comes rei hereditatem fisco assignat, eaque ab Imperatore jure feudi retineat; & interim injuriato, quem more Germanico *proclamatorem*, hoc est conquerentem actorem dicit, damna reficere debet §. *quicumque*, §. *quod si* h. t.

§. LXXXV.

De clerico pacis violatore.

Secunda pars est de Clericis. Clericus pacis violator, aut violatorum receptator coram suo Episcopo convictus, Comiti, in cujus Comitatu hoc commisit, viginti libras persolvat, & *secundum statuta Canonum Episcopo satisfaciat*. Si parere nolit, officio, atque Ecclesiastico beneficio privetur, & tanquam proscriptus habeatur §. *si clericus h. t.* Hinc æquali pœna pacis violator, & violatorem receptans punitur *l. 1. D. de recept.*, estque crimen publicum, quod merito degradatione, & beneficii privatione mulctatur, cum quilibet sive clericus, sive laicus Principi fidelitatem servare obligetur. Et non minus clericus pacem, quam laicus, turbat, idcirco ad clericum quoque extendere noster Fridericus judicavit.

§. LXXXVI.

De judicis officio.

Tertia est de judicis officio: Nempe judex, seu Comes civitatis pacis violatores persequi tenetur, qui si ad castrum alicujus domini confugerint, ibique domum suam non habeant. Comes armata manu, suaque familia persequi debet, & Dominus castri reddere cogitur. Sicut jure civili proscriptum nemo domo sua recipere poterat, & lege Julia de vi punitur, qui deportatos recipit, qui relegatos, pecuniaria pœna, Paul. v. *sent. 26. §. 3.*, *l. 11. D. de interd. & rel.* Si vero pacis violator in Castro domum habeat, dominus castri adducere non compellitur, quia reo etsi scelesti domus sua tutissimum perfugium est, sed omnia ejus bona mobilia sub sacramento, hoc est juramento Comiti exhibeat, nec in domo sua recipiat §. *si judex h. t.* Idem officium erat Præsidis, qui latrones, fures, sacrilegos conquirere, eorumque receptatores debebat *l. 13. D. de offic. Præsid.* Ex quo patet, Dominos locorum, videlicet Comites, Duces, Marchiones, & Barones in suis dynastiis malefactores non recipiant.

§. LXXXVII.

De feudi controversia.

Et quoniam sæpius quis respectu sui feudi ad rixas pervenire, & pacem violare potest, idcirco Imperator de contentione investituræ inter duos vasallos orta agit, ut a Comite, hoc est judice ordinario dirimatur. Verum cur non coram domino feudi, aut paribus Curiæ? Andreas intelligit, quia duo vasalli contendebant: unus feudum possidebat, suumque vindicabat, alter a Domino investitum asserebat. Alverotus, quia hujusmodi vasalli contra tertium possessorem agebant, & quisque vindicare vellet. Placet Andreas, cui etiam hic Schenck adhæret, ut *ex* §. *si duo homi-*

nes

nes pro uno beneficio contendunt, & unus super eodem beneficio investitorem producit: illius testimonium cum investitor donum (hoc est clypeum, annulum, Scipionem ait Cujac.) *investiturae cognoscit, Comes primo recipiat: & si idem probare poterit idoneis testibus, quod absque rapina hoc idem beneficium habuit; remota controversiae materia id obtineat. Quod si de rapina, praesente judice convictus fuerit: rapinam dupliciter* (hoc est duplum) *solvat: beneficio vero careat: nisi justitia, & judicio dictante illud in posterum requirat, h. t.* Ordo judicii erit: Comes testimonium, id est probationes recipiat illius, qui investitorem suum producit, antequam alterius excipiat probationes, qui investituram non affert. Et si idoneis testibus qui sunt pares Curiae, probare se absque vi, dolove malo beneficium possidere, poterit, vincet. Si illud vi, & violentia obtinuisse constet, feudo carebit, & duplum solvat, hoc est, ut Hotom., extra duplum res rapta sit, quum parti laesae, & Comiti satisfacere debeat. Quamvis deinde, *dictante justitia*, hoc est Dominus de novo feudum ei concedere posset, ut verba *nisi justitia & judicio dictante* interpretor, vid. Andr. *hic n. 15.*

Altera quaestionis species est *in §. si tres h. t. Si tres, vel plures contendunt de eodem beneficio, producentes utrinque diversos investitores: judex in cujus praesentia caussa ventilatur a duobus requirat boni testimonii hominibus in provincia eorundem litigatorum commorantibus, per sacramentum, quod juraverint, quis illorum absque rapina ejus beneficii possessor extiterit: & cognita ex ipsorum testimonio rei veritate, possessor beneficium suum quiete obtineat. Nisi judicio, & justitia dictante alter de manu sua illud eripiat.* Nempe, si inter plures vasallos diversas seniorum investituras producentes controversia oriatur; judex ordinarius, seu Comes Civitatis duobus testibus juratis veritatem probare debet, qui jurent, quod ille qui possidet, absque violentia feudum adquisivit, postea petitorium cognoscat. Si vero possessor in petitorio succumbat, feudum restituere tenetur. Hanc litem judex ordinarius cognoscit, quia vasalli diversos investitores producebant, & quis dominus esset, non constabat. Probatio possessionis feudalis duobus testibus peragitur, qui in eadem provincia sunt. Merito, quia certius rem scire praesumuntur, *l. 1. §. 1. D. de flumin.* Nihil tamen refert, si in diversa morentur. *Nov. 90. c. 5.* Cur autem possessor suam possessionem, non vi, dolove malo adeptam probare cogatur; cum dominus possidenti gratificare posset? 11. *f.* 34. *pr.* Sed in nostro §. diversos investitores producebant, in d. 11. *f.* 34. unus senior adducebatur, Alver. *hic n. 2.*

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.
De rustico, & milite.

Quarta de rustico & milite. Si rusticus militem de violata pace pulsaverit, hoc est accusaverit, & se non calumniandi animo accusare juraverit; *manu militari se miles expurgabit*, hoc est, inquit, Cujac. quarta manu se expurgare debet, dato videlicet cum tribus conjuratoribus jurejurando. Hotom. intelligit, ut detur campio rustici nomine, qui cum milite duello certet, quia in duello par utriusque decertatoris conditio requiritur, quod magis placet, cum hæc duelli conditio assidue in media ætate occurrat. Rusticus quoque dum jurat, *manu sua*, Hotom. *manu septima* legit, quia juratores suas dexteras in reliquiarum capsulam imponebant & quot juratores erant, tot manibus jurari dicebatur. Atque hæc locutio in Legibus barbaris, & Conciliis assidue etiam prostrat. Aut miles rusticum etiam de pacis violatæ crimine accusat, & jurejurando se non animo calumniandi in judicium venire fatetur, *de duobus unum rusticus eligat, an divino, an humano judicio innocentiam suam ostendat: aut septem testibus idoneis, quos judex elegerit, se purget*, §. *si rusticus*, §. *si miles b.t.* Divinum judicium idem est, ac duellum; imo aut ferrum ignitum, aut aquam fervidam intelligi, quia sæpius in legibus, & conciliis ita vocetur. Humanum, hoc est testibus, & legitimis probationibus; aut septem testibus dato jurejurando. Rusticus cum milite ad duellum venire nequit, quia est disparis conditionis, sed rusticus suum campionem, uti moris apud Barbaras gentes erat, dare debebat, qui cum milite suo nomine mercede conductus pugnaret. Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* III. §. 240. & 245., Hotom. *disput. feud. cap. ult.* Hinc purgatio canonica, & vulgaris apparet. Aut miles militem etiam de violata pace accusat, tunc ad duellum eum provocare prohibetur: *nisi probare possit, quod antiquitus ipse cum parentibus suis natione legitimus miles existat*, §. *si miles b. t.* quia provocans cum provocato ejusdem conditionis, ingenuitatis, & nobilitatis esse debet. Si vero nobilis cum ignobili pugnare velit, potest. Sicut miles jure communi, prætermisso privilegio, testari valet *l.* 3. *D. de Testam. mil.*

§. LXXXIX.
De Comitis auctoritate.

Quinta pars est de Comitis auctoritate, qui post festum S. Mariæ, hoc est octavum diem septembris cum consilio septem virorum provinciæ, annonæ, & rebus venalibus pretium statuere debet, & quisque ex statuto pretio vendere cogitur; qui si pluris venditur; pacis violatæ crimen incurrit, & xx. libras auri Comiti

ri pro quolibet modio carius vendito persolvat §. *post natalem h. t.* Apud Romanos cura annonæ ad Ædiles pertinebat; cura carnis ad Præfectum urbi *l.* 1. §. 11. *D. de off. Pref. urb.* Hinc gubernator in sua civitate, aut oppido pretia rerum venalium constituere potest, nisi consuetudo adversetur, ne occasio dardanariis vexandi annonam præstaretur.

§. XC.

De mercatore, & rustico.

Sexta pars est de mercatore, & Rustico. Rusticus arma ferre prohibetur, secus xx. solidos comiti solvat §. *si rusticus h. t.* Jure pandectarum nemo arma domi suæ, agrove, nisi navigationis, itineris, venationis, promercii, & venditionis caussa habere potest, ut lex julia de vi publica sanxit *l.* 1. *& seqq. D. ad l. jul. de vi publ.* Jure codicis omnis armorum usus privatis interdictus est, nisi Princeps concedat *l. un. C. ut armor. usus*, Buleng. *de Imperator. Rom. lib.* III. *c.* 16. Jure Novellarum etiam arma defensionis caussa vetita sunt *Nov.* 85. *c.* 5. Theodoricus Italis armorum usum interdixit, rationemque præstat Bernardus Saccus *Histor. Ticiensi lib.* VII. *c.* XI. *armorum insuper usui Italis omnibus summo studio interdixit, talis e domibus ablatis; quod post Blondum notat sabellicus, ut militiæ desuetudine Itali prorsus imbelles fierent, ac imbecillitate torpentes, gothicum jugum patientius ferrent, minimeque ad imperium aspirarent.* Mercator itineris, & negotiandi studio arma tantum ferre valet, non *ut quem lædat innocentem, sed ut a prædone se defendat d.* §. *si rusticus*; quod legi juliæ convenit. Placet Alveroti opinio, quæ sub armorum appellatione in hoc §. omne id comprehendi, quod nocere, & publicam privatamque pacem, turbare potest. Hinc Imp. venationem cum armis prohibet nisi ad animalia, quæ vel civibus, vel segetibus, ut ursos, leones, apros, lupos, pantheras, nocent, §. *nemo h. t.*

Inventis clientelis, Principes in investitura jus venandi, sicut & hodie, Ducibus, & Comitibus concedebant. Nec quis armatus Comitis *placitum*, ut Hotom. legit, id est tribunal ingredi potest, Pipinus *lib.* II. *LL. Long.* 46. *l.* 1. *ut nullus ad mallum, vel ad placitum infra patriam, arma, id est scutum, & lanceam portet.* Duo in media ætate judiciorum erant genera, *mallum*, & *placitum*: mallum idem ac generale judicium, in quo majores caussæ coram populo agebantur, unde *mallare*, hoc est in *jus vocare*. Placitum idem ac judicium particulare, & judices tantum, & Scabini intererant, de quibus prolixe V. Cl. Murat *differt.* XXXI. Nihil tamen impedit, quominus Imp. non placitum, sed *palatium* Comitis intelligat, quod nemo armatus ingredi debet §. *ad palatium*

tium h. t., ut jure Romano *l. fin. C. de Præpos. Sacr. cubic.* Buleng. *loc. cit.* Præterea publici latrones de crimine convicti, *antiqua sententia* condemnetur §. *publici h. t.*, hoc est furca suspendantur *l.* 28. §. 15. *D. de pœnis*.

§. XCI.

De feudo advocatiæ.

Septima de Advocatiæ feudo agit: advocatia duplex est secularis, & sacra, vel universalis, vel particularis. *Secularis* dum quis patrocinium alterius mercede conducta sibi eligit. *Sacra*, dum Ecclesia, & monasterium ad causarum civilium, aut criminalium cognitionem aliquem constituit. *Universalis*, si integra provincia, vel civitas, aut oppidum defensorem creat. *Particularis*, si privatus ad se, suaque defendenda advocatum curat. Hæc divisio in media ætate continuo prostrat. Ecclesia etiam ante Concil. Carth. v. *an.* 401. suum defensorem habuisse videtur, *can.* 78. *de defensoribus ecclesiarum qui ab Imperatoribus peti debent. Omnibus visum est petere ab Imperatoribus propter pauperum vexatonem quorum molestiis assidue fatigatur ecclesia: ut iis defensores cum Episcoporum providentia eligantur adversus divitum tyrannidem*; ubi Balsam. an ex hoc canone munus defensorum cepisset, ignorat. Institutio fuit, ut jura Ecclesiæ, & pauperes a potentioribus defenderentur, conf. Florens *ad præfat. tit. decr. de jure patron.*, Christ. Lupus *in not. ad can.* 23. *Concil. Chalcedon.* Initio erat laicus, & precibus Episcoporum ad Imperatore dabatur; postea ipsi elegerunt, & clericum non raro creabant.

Ad hoc munus nobiliores Europæ Principes, Duces, Comites, Marchiones Imperatoris consensu in monasteriis, atque Ecclesiæ constituebantur. Ut Fridericus Palatinus junior fuit advocatus cænobii S. Laurentiani, Sangeriani, & Quedlingeburgensis, & sæpius ipsi Imperatores, & Mager. *de advoc. armata* diplomata refert. Eorum jurisdictio erat (1) servos, colonos, & subditos Ecclesiæ, vel monasterii coercere, Alteser. *lib.* 11. *Asceтic. cap.* 17. (2) caussas criminales super furto, incendio, rapina, stupro, aliove crimine, & civiles cognoscere, Meibomi. *Orat. de origine Helmestadii*, in qua subdit, *aliquando ubi ecclesiæ, aut monasteria sita erant in territoriis advocatorum, habebant advocati super bona Ecclesiastica, & in Ecclesiæ subditos, jus territorii, collectandi, sequelæ, homagium a subditis exigendi, & recipiendi, confiscandi, & plura alia: quæ potestas superior advocatia Jurisconsultis vocatur.* (3) donationes ecclesiis a fidelibus factas excipiebant, & ecclesia, aut monasterium non modo partem mulctarum, sicut omnium fere judicum moris erat, sed dispendia, annonam, certam fructuum copiam, vulgo *Ga-*

Gavenam, in feudum etiam dabat, Trithem. *in Chron. Spanbelmens. ad an.* 1325. *Denique ad petitionem præfati Comitis Joannis Willicbo Abbas prædictum filium ejus advocatum suum in villa monasterii quæ Anven dicitur, cui duodecim Maldræ* (modii) *avenæ, & totidem pullos ab incolis ejusdem villæ danda singulis pro feudo adsignavit*. Et quia consensus Imperatoris requirebatur, idcirco *mundiburdium*, *advocatia*, *defensio*, & *vicedominatus*, quæ idem valent, inter regalia recensetur, Altefer. *loc. cit.*, & exempla in omnibus Europæ provinciis visuntur. Finis fuit, ne clerici, & monachi divinis usibus mancipati, sed pagis, præfecturis, oppidis, civitatibus, vineis, pascuis, nemoribus, privilegiis, & juribus ditati, secularibus negotiis se immiscerent.

Verum tam advocatia Ecclesiastica, quam secularis abusus evasit, dum bona Ecclesiæ, & clientis non ministrabat, sed rapiebat *cap.* 12. *de pœnis*, & noster Fridericus *in* §. *quicumque advocatiam suam, vel aliud beneficium inordinate tractaverit, & a domino admonitus non resipuerit, & in sua perdurans insolentia, ordine judiciario tam advocatia quam beneficio exutus fuerit, si postmodum ausu temerario advocatiam, vel beneficium invaserit, pro violatore habeatur*, *h. t.* Verbum *Advocatia* nonnulli, pro simplici patrocinandi officio accipiunt, sed, ut textus instruit, agitur de advocatia, cui feudum adnexum est, seu in laboris, & defensionis præmium Advocatus feudum a suo Domino obtinuit, quo si abutitur, & a domino monitus, non resipiscat; & advocatia, & feudo cadit. Sicut qui subditos castri vexat, ipso Castro privari potest, quia re sui domini mala utitur, Alver. *hic n.* 1.

Verum assidua *advocatiarum* sive jure feudi, sive simplicis protectionis collatio, in commercium declinavit. In dotem dari, vendi, pignori obligari & donari poterat. Proinde Honorius III. in *cap. un. de Pignor. in* 5. *collect.* Archiepiscopo Coloniensi scribens, inquit, *ut si advocati Ecclesiarum vestrarum advocatias suas vobis obligare voluerint pignori, vos eas recipere valeatis, nec fructus provenientes ex eis in sortem teneamini computare: hi autem qui eas obligaverint, a servitio, in quo vobis pro advocatiis tenebantur, interim sint immunes*. Ex quo constat, advocatias jure feudi concessas non potuisse obligari, nisi Ecclesiis, a quibus tenebantur, & tunc fructus in sortem non computari. An juste! an injuste! Sane *Antichresis*, hoc est species pignoris ita dati, ut donec solvatur pecunia, creditor in vicem usurarum pignore utatur, videlicet fructus prædii percipiat, aut domum vice usurarum inhabitet, *l.* 14. & 17. *C. de usur.* Hoc pactum valet jure civili, non jure canonico *cap. VI. de Pignor.* ibi Boehmer. Pro Honorio ob-

 ser-

servari posset, in hac specie, quia *Advocatia* ad suam naturam redire videtur, fructus vice usurarum non fungi, sed obsequii, instar vasalli. Quod nec mihi suadet . .

§. XCII.

De poena furti, bello, pascuis.

Postremo pars de poena juris, bello, & pascuis agit: de poena juris, inquit, *si quis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur: sin minus, scopis, & forcipe excorietur, & tundatur*, §. *si quis b. t.* Hotom. pro *tundatur* legit, *tondeatur*; sed Bynkers *obser.* III. *c.* 16. annuit, modo pro *forcipe* restituat quoque *forfice*, quia forcipe tonderi inauditum est. Hæc Friderici lex non simpliciter accipienda, nec jus commune condere perpetuo valiturum voluit, sed ad vexata turbulentis bellorum motibus tempora accommodare se voluit, Forner. *selest. lib.* I. *c.* 15., Wissenbac. *ad tit. D. de furtis n.* 19. Et in pacis conventione inita in Alsatia apud Rhenanum, *si quis sicli unius aut duorum pretii furtum aut prædam fecerit, corium cum capillis perdat*. Aut si alicujus Principis, vel domini ministeriales, hoc est domestici, & familiares inter se rixas exerceant, pacemque publicam turbant, a Comite, seu ordinario loci judice coerceri, & persequi possunt §. *si misteriales b. t.* Non tamen de violata pace accusari quis potest, si per alienam terram quis transiens Equium suum juxta viam pabulatur, aut viridi herba caussa necessitatis sine alterius damno ad equi cibum utatur §. *quicumque b. t.*, quum caussa necessitatis uti re aliena possimus *can.* 26. *de Consecr. dist.* 5., Rex Rothar. *in l.* I. *II. Long. lib.* III. *tit.* 4. *nulli sit licentia itinerantibus herbam negare, excepto prato intacto, tempore suo, aut messe: post fœnum autem, aut fruges collectas tantum vindicet is, cujus terra est, quantum cum clausura potest defendere. Nam si quis caballos iter facientes de stipula, aut de ipsis pascuis ubi alia peculia* (hoc est animalia) *pascuntur, movere præsumpserit, in octogild caballos componat: pro eo quod ipsos de arvo campto, quod est fossinegar, movere præsumpserit.*

Ad hanc quoque Friderici I. legem respexisse satis videtur ejus nepos Fridericus II. in Const. *regni lib.* III. 58. *Si quando necessitate cogente contigerit aliquem cum equitaturis suis, aut quibuslibet animalibus forsitan oneratis ex itinere* (*prout assolet*) *in alterius agrum frugibus plenum velle divertere, dum forte berbas alias vel fœnum, per loca ipsa non invenerint, unde animalia sua valeant confortare, eandem materiam sibi præcidimus, malignandi. Statuentes, prout in aliquibus imperii nostri partibus observatur, ut non nisi medietate equi, vel cujuslibet animalis alterius in agrum ipsum intro-*

intromittere audeat, ita quod posteriores pedes animal ipsum in via, vel in loco non laborato teneat, & anteriores in agro. Ita tamen; ut nihil omnino de segetibus ipsis ad hospitium suum deferat, sed contentus sit tantummodo, quod pascendo equus assumpserit. Noster Frid. II. majorem licentiam, quam ejus Avus *in d. §. quicumque h. t.* concedit, Afflict. *ad d. Const.*, quam Fridericus Constitutioni *cum per partes Apuliæ lib.* III. 51. addidit.

TITULUS XXVIII.

Hic finitur lex; deinde consuetudines regni incipiunt.

OLim hic titulus concipiebatur, *quemadmodum feudum amittitur*, hodie *hic finitur lex*, jacet. Feudista supra varias feudorum controversias retulit, & persolvit; & cum sæpe his litibus publica civitatis pax turbari solet, idcirco Friderici legem *de pace tenendâ* interseruit, deinde ordinem resumit, qui Friderici legi nimium convenit, & tres caussas feudi amittendi recenset, bellum, obsidionem, & servitium; Postea de feudi meliorationibus; agit, cuinam, devoluto feudo, cedere debeant.

§. XCIII.

De bello.

Bellum: de quo distinguit: si sciatur, *quod juste, aut cum dubitatur, vasallus eum adjuvare tenetur. Sed cum palam est, quod irrationabiliter eam* (guerram) *faciat, adjuvet eum ad ejus defensionem: ad offendendum vero alium non adjuvet, si vult. Sed si eum adjuvare noluerit, non tamen feudum amittet, secundum Obertum de Orto, & Gerardum Capagistum. Alii vero sine distinctione dicunt semper debere eum adjuvare. Sed Obertus, & Gerardus utuntur eo argumento, quod quemadmodum Dominum excommunicatum, vel a Rege Bannitum non est obligatus vasallus ad adjuvandum, vel servitium ei præstandum, imo solutus est interim sacramento fidelitatis, nisi ab Ecclesia, vel Rege fuerit restitutus: ita nec justum injuste guerram alicui facientem, pr. h. t.* Distinctio est: si dominus justum gerit bellum, vel an justum fuerit, dubitetur; & vasallus tam in defensione, quam offensione seniorem adjuvare tenetur. Nam justa, vel injusta belli caussa, non vasallo, sed seniori discutienda permittitur, quum semper senioris conditio sanctior comparere debeat. Recte Huber. *de jur. Civ. lib.* III. *c.* II. §. 8. *Quod si de meritis caussæ dubitent subditi, videntur posse & debere suos Rectores sequi, non obstante, quod tutius sit, in dubio, abstinere eo, quod periculosius sit. Videtur enim vinci ratio hac,*

eo, quod civibus de actionibus Principum suorum optime sit praesumendum, & quamminimum publicis consiliis intercedendum, denique certum inobedientiae peccatum pluris facere par est, quam incertam de iniquitate caussae formidinem.

. Si bellum evidenter injustum fuerit, vasallus in defendendo, non autem in offendendo inservire potest; si non adjuvat, nihilominus feudum non amittit. Defensio contingit, si jura domini juste tuetur: offensio, si adversarium non offendit; suum adeo custodit, ut alteri non noceat, quia defensio etiam injusta proprie maleficium non vocatur *l. 1. D. de bonis eorum, qui ante*, Duaren. *cap. xiv. n. 7.*, Curt. *par. iv. n. 6.*, Jac. a S. Georg. §. *& promiserunt n. 7.* Bellum justum dicitur, si defensionem, recuperationem, & punitionem contineat; injustum si haec tria condemnit; & sola voluntate, non Reipublicae necessitate, ulciscendi animo, non patriae tuitione quis pugnare voluerit, *can. 1. 23. q. 2. can. 3. 23. q. 1.*, Bodin. *de Republ. lib. v. c. 5.*, Constant. Landus *lib. enarrat. cap. 23.*, Huber. *loc. cit.* §. *1. & seqq.* Et sicut vasallus in bello injusto seniorem defendere non cogitur, nec debet, ne jura Dei, & jura hominis laedat, ita &, domino excommunicato, vel proscripto, a fidelitatis juramento liberatur. Excommunicatio, seu sacra deportatio jura religionis, & privilegia reo adimit; proscriptio jura societatis aufert. Excommunicatio jura legibus hominum adquisita, vel legibus naturae nata, omnino non extinguit, sed suspendit, donec ipsa durat, postea recuperat. Hinc, quamdiu senior in excommunicatione, & proscriptione persistit, jura vasallitica a suo vasso exigere, etiam in rebus justis, prohibetur. Si Ecclesiae adstipulatur, & a Rege restitutionem impetrat, iterum vasalli obligatio reviviscit, *l. 1. C. de Sentent. passis*. Ex his patet, vasallum, domino proscripto, vel excommunicato, non posse feudum vendere, quia fidelitas, & obligatio non extincta, sed suspensa mansit, nec Dominus restituatur, Alver. *hic n. 10.*

Hoc vasalli auxilium contra omnes esse debet, *& contra fratrem, & filium, & patrem, nisi contra alium dominum antiquiorem: hic enim ceteris est praeferendus* §. *contra h. t.*, Cujacius *lib. iv. 31.* vocem *patrem* delet, quem tacite Hotomannus arguit, & ipse retinet. Ego feudistae auctoritatem ad juris naturae principia, ad naturalem honestatem reduco; ut vasallus dominum adjuvet, modo lex naturae, & jus sanguinis a sua sede non convellatur; quia obligatio filii erga patrem, & vicissim, aeterna, immutabilis, & perpetua est, cui pactum, consuetudo, vel lex derogare non potest. Nam jus prius natum infringi, atque extingui non valet, nec debet ab eo, quod postea obtinuit; secus jus alteri quaesitum,

iratis

iratis justitiæ proprietatibus, vim paterctur. Nec contra seipsum vasallus dominum juvat, nec contra patriam, antiquiorem dominum, hoc est, qui feudum prius concessit, vel Imperatorem, qui Rempublicam repræsentat, omniumque civium subditorum jura continet, & claudit 11. *f.* 55. *in fin.* Dum itaque vasallus contra filium, patrem, aut fratrem pro suo seniore auxilium præstat; intelligitur, si pater, filius, aut frater injustum bellum inferat, tunc qui adversus naturæ jura peccat, legis naturalis beneficio indignus evadit, nec paterna jura læsa dicuntur, Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 43.

§. XCIV.

De obsidione.

Obsidio, videlicet, *si vasallus sciat dominum obsideri, vel aliter ei mortem imminere: & cum potuerit, ei non nunciaverit, vel etiam sine nuncio eum non adjuverit: feudo privabitur*, §. *tu tamen h. t.*, 11. *f.* 24. §. *præterea*, 11. *f.* 26. §. *licet vasallus*. Nam juris feudalis regula est. *Ad hoc, quantocumque tempore steterit vasallus, quod domino non servierit, secundum usum mediolanensem, beneficium non amittit, nisi servitium facere renuerit: vel nisi a domino ei denunciatum fuerit, & ille, cum potuerit, diu steterit, quod servitium nullum ei fecerit. Bonus tamen judex varie ex personis, caussisque detinset, & finget vasallum remotum esse, vel propinquum: paratum esse, vel non: dominum guerram habere, vel non? utrum etiam magnam, vel parvam, & annuntiavit ei dominus vel non: hæc omnia vertuntur in cognitione caussæ: & promptiores sumus ad absolundum, quam condemnandum, quantocumque tempore steterit vasallus, quod domino non servierit, secundum usum Mediolanensium, beneficium non amittit* §. *ad hoc h. t.*, 11. *f.* 37. *in fin.*, 1. *f.* 21.. Hæc regula quatuor exceptiones includit: prima, si vasallus expresse servire recusavit: si a domino requisitus servire noluit: tertio, si dominum obsideri cognoscat: quarta, si ei periculum mortis imminere præsentiat; & in his casibus adjuvare poterat, & prætermisit. Verum judicis prudentia, religio, & arbitrium decernet, an culpa, an dolus vasalli intervenerit, si dominum non juraverit; & in dubio *promptiores sumus ad absolvendum, quam condemnandum* §. *bonus h. t.*, *l.* 47. *D. de A. & O. l.* 5. *D. de pœnis*. De meliorationibus, feudo jam felonia, vel lineæ interitu devoluto, quibusnam cedere debeant, in *peculiari dissert.* prolixe disputabo.

T I T U L U S XXIX.

De filiis natis ex matrimonio ad Morganaticam contracto.

HIc titulus cum 11. *f.* 26. §. *filii nati* conjungi videtur, aliasque feudorum controversias attingit. Quidam nobilem duxit

xit uxorem, ex qua filium procreavit. Defuncta uxore, continentiæ inimicus, aliam minus nobilem desponsavit, hac lege, *ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit, quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad Morganaticam, alibi lege salica: hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis extantibus: sed nec in feudo, etiam aliis non extantibus: qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate verò succedunt patri, prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus secundum usum Mediolanensium.* Filius secundi matrimonii, existentę primi matrimonii filio, nec in alodem, nec in feudum succedit; imo etiamsi filius primi thori non extet, in feudum non succedit. Verum si filius primi matrimonii sine sobole decedit, filius seu frater secundi matrimonii etiam hoc pacto contracti ei, & vicissim, non in feudum, sed in allodium succedit.

Hujusmodi matrimonium hac lege contractum ad morganaticum appellatur *Morgincap*, seu *Morgingab*, aut *Morgagenba* est vox Germanica a *Morgen*, & *gabe*, vel *gnade*, quod *donum matutinale* significat. Etiam ex *lege salica* in nonnullis Italiæ locis has nuptias nuncupari, inquit, feudista. Sed in lege salica nullum istius pacti vestigium occurrit. Sæpius tamen veteres legi Salicæ attribuebant, quidquid moribus francorum originem debebat, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* 1. 13. §. 301. Et quidem a Germanis primum ad Italos penetravit, & passim apud Burgundiones, Ripuarios, Francos, Alemannos, Anglos, Saxones, Suec-gothos, & Longobardos legitur. Definiri potest, *est viri illustris soluti, & fæminæ inferioris, vel plebejæ conditionis solutæ, legitima & individua conjunctio, ea lege inita, ut nec uxor, nec liberi, inde prodituri, vel dignitatis maritalis, ac paternæ, vel hereditatis participes, sed certis bonis, sibi per pactum morganaticum adsignatis, contenti sint*, Heinec. *loc. cit.* §. 310., Rothi. *in pand. feud. cap.* VII. *q.* 3.

Nec ab omnibus hæc matrimonii species celebrari poterat, sed ab illustribus tantum, nec cum omni fœmina, sed ea, quæ dispari conditionis erat. Liberi ex ea nati, paternæ dignitatis, juris succedendi, insignium familiæ honorem non habebant; acceptis certis prædiis, vel pecuniæ quantitate, qua contenti erant. Multo minus in feudis vel ex pacto & providentia, vel hereditariis succederent, sive liberi illustres exstarent, sive non extarent, nec invicem successio permittebatur, cum juribus Familiæ non gauderent, nisi aliud loci consuetudo, aut pactorum diversitas suadeat; sicut Mediolani obtinuit, *succedunt etiam fratribus sine legitima* pro-

prole decedentibus secundum usum mediolanensium, h. t. Displicet eorum opinio, quæ hoc pactum injustum accusat, quia pater successionem jure naturali filiis debitam adimat. Male: Filii enim a patre non nisi alimenta quærere possunt; si succedunt, id ex juris civilis beneficio inductum est, quod loci consuetudo abrogare præsertim in feudis potest, recte Groti. *de J. B. & P. lib.* II. *c.* 7. §. 8. *Conjugium tali pacto initum etiam cum libera fœmina concubinatum Hebræi vocant, quale erat Abrahami cum Cethura, cujus liberi perinde ac Hismael, Ancillæ Agaris filius, dona, id est legata quædam acceperunt, hereditatem autem non creverunt. Tale est matrimonium ad Morgengabicum, quod dicitur*, & juri naturali convenire contendit, Cujac. *ad l.* 26. *D. de V. O.*, Rothius *loc. cit. q.* 8. Has uxores *concubinas*, ut suspicor, Concil. Toletan. I. *in cap.* XVII. apud Gratian. *in can.* 4. *dist.* 34., appellat, non quia concubinatum permittere vellet, sed communi conditione non ducerentur, Heinec. *loc. cit.* §. 307. *in not.*, Dufresne *in Glos. v. concubina*. Finis hujus matrimonii duplex est, *conservatio*, & *splendor familiæ*, cum divisione bonorum inter liberos acta Familiæ pereant, aut diminuantur oportet; & concupiscentiæ remedium, dum vir, mortua nobili uxore, continere se non valet, feudista *hic*. Hodie in Germaniæ plures Principes, & nobilis his pactis matrimonia contrahunt.

Quantitas etiam Morgincap, seu doni matutinalis ante Luitprandum Longobardorum Regem ab arbitrio, & liberalitate mariti pendebat, qui amoris furore correptus, magnam suorum bonorum partem sæpissime donaret, idcirco Luitprandus, lata lege, sanxit in *lib.* II. *LL. Long.* 4. *l.* I. *Si quis longobardus morgincap conjungi suæ dare voluerit; quando sibi eam in conjugio sociaverit: ita decernimus, ut alia die, ante parentes, & amicos suos ostendat per scriptum, a testibus roboratum, & dicat, quia ecce, quod conjugi meæ morgincap dedi, ut in futuro pro hac caussa perjurium non incurrat: tamen ipsum morgincap nolumus, ut non sit amplius, nisi quarta pars de ejus substantia, qui ipsum morgincap dedit. Quid minus dare voluerint, de rebus, quam quarta pars sit, habeat in omnibus licentiam dandi, quantum voluerit. Nam super ipsam quartam partem dare nullatenus possit*. Aliquando maritus legi inobediens etiam tertiam partem donabat, non raro promittebat, sed promissa deinde non implebat. Hinc sponsæ, antequam mulieres evaderent, de morganatica cautionem exigebant, sicut instrumentum sponsalium *an.* 1185. apud Murator. *dissert.* XX. in quo Sponsus, inquit, *manifesta caussa est mihi, quoniam die illo, quando te sponsavi, promiseram tibi dare justitiam tuam secundum legem meam*

in

in Morgincap, id est quartam portionem omnium rerum mobilium, & immobilium, quas nunc habeo aut in antea habuere. Nunc autem si Christo auxiliante, te mihi in conjugio sociavero, suprascriptam quartam, &c. tuæ dilectioni do, cedo, confero, & per præsentem cartam Morgincap in te habendum confirmo, ut facias exinde a præsenti die tu, & heredes tui, aut cui vos dederitis, quidquid volueritis ex mea plenissima largitate, & Janus a Costa *ad cap. Raynutius de Testam.*

Antiquitus in Italia, & in ceteris, ut puto, Europæ ditionibus, erat in viri arbitrio, an Morgincap suæ uxori constituere, aut non vellet; postea obligatio evasit, & in præmium amissæ virginitatis, & primæ noctis laborum cencedebatur, eratque quædam dotis species, quam maritus uxorem sibi emeret. Quemadmodum apud veteres, recentioresque nonnullas gentes maritus uxorem dotabat, nempe Orientales, de quibus Joan. Cotovicus *in Itinerario Hierosolymitano, & Syriaco cap.* IX. inquit, *in contrahendis vero nuptiis non nostratium more sponsæ a parentibus dotatæ sponsis offeruntur, sed sponsi, sive Turcæ, sive Mauri, dotem sponsæ constituunt, & propemodum a parentibus emmunt, quæ quidem consuetudo apud omnes orientis Christianos etiam viget, eamque veteribus usitatam fuisse sacræ produnt litteræ*. Puto apud Turcas id generaliter non servari, cum de iis scribat Joan. Baptista Montalbano *in Commentar. rerum Turciar. in addit.*, *dotem mulieres nostrum in morem maritis ferunt: quam orto dissidio abeuntes auferunt; nisi fuerint adulterio deprehensæ; tunc enim demerguntur*. Olim apud Hebræos maritus etiam dotem dabat *lib.* 1. *Reg.* 18., Germanos, Tacit. *de moribus German.*, German. Chron. *lib.* 1. *pr.* Cantabros P. Greg. *Synt. lib.* IX. *c.* 18., Syros, seu Sichimos *Genes. cap.* 34. *v.* 12., Wisigothos *lib.* III. *LL. Wisigoth. tit.* 1. §. 5. Francos, Alemannos, Lex Ripuar. *tit.* 37., Saxones, Bojoarios, Lex Saxon. *tit.* 8., Lex Baivvar. *tit.* 14. *cap.* 7. §. 2., Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* 1. *tit.* XI. §. 236. *& seqq.* Præterea Morganaticæ dominium uxori adquirebatur, de ea, liberam disponendi facultatem habebat.

Verum, quia mulieres apud Longobardos sub perpetua tutela vivebant, quæ, *mundium* a voce Germanica *mund*, & tutor *mundualdus* dicitur: & primo pater, secundo frater, his deficientibus, agnati tutelæ munus obibant; his demum Curtis regia succedebat. Nec testari poterant sine tutoris consensu, & jus municipale Magdeburgense jubet, mulierem non testari sine mariti consensu. Et anno 1106. Wilhelma Domina de Montfoort testamentum condidit *consensu mariti*, quod refert Ant. Matth. *Analect. to.* 2. *p.* 322. Neque hæc consuetudo primum a Romanis cepta, in Europa undique

dique exolevit, cum in plerisque locis nec contrahere, nec testamentum condere sine mariti consensu possint, Matthæus *loc. cit.*, Zipæus in *Notit. juris Belgici tit. de testamen. n.* 5., Rotharis *in lib.* II. *LL. Longob. tit.* x. *l.* I. *Nulli mulieri liberæ sub regni nostri ditione, lege Longobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrio, id est sine mundio nisi semper sub potestate viri, aut potestate Curtis regiæ debeat permanere, ne aliquid de rebus mobilibus, aut immobilibus sine voluntate ipsius, in cujus mundio fuerit, habeat potestatem donandi, aut alienando*. Mulier, contractis nuptiis, ut a tutela patris, fratris, alteriusve parentis liberaretur, virum tutelam emisse oportebat, dato pretio, quod *Metam, Mephium, Methium* Longobardi dicunt, a Saxonico *Meden*, hoc est *mercede conducere*, licet sponsalitia donatio vocari posset, & in mariti tutelam transibat. Quantitatem mephii, cæco maritorum amore depresso, constituit Luitprand. in *lib.* II. *LL. Longob. tit.* 4. *l.* 2. *Si quis conjugi suæ metam dare voluerit, ita nobis justum esse comparvit, ut ille, qui est judex* (hoc est aliquis ex Comitibus, aut magnatibus) *dare debeat, si voluerit solidos* 400. *amplius non minus quomodo placuerit. Reliqui nobiles homines debeant dare solidos* 300. *amplius non. Et quicumque alter homo minus dare voluerit, det, quomodo convenit*. Quia de re meta, & morgencap dotem maritalem absorpsisse videtur; commodum tamen maritus sentire poterat, dum uxori sine filiis decenti succedebat, Henric. *in lib.* II. *LL. Long. tit.* 14. *l. ult. quicumque ex quacumque natione legitimam uxorem accepit, vel acceperit, si eam mori contigerit sine filiis amborum, vir uxori suæ succedat, & omnia bona sua percipiat*. Mulier metem, & Morgincap præcipuam habebat, Andr. de Barulo *Comment. in Longob. leg. tit.* XIII., V. Cl. Anton. Murator. *dissert.* xx., Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* II. *tit.* IX. §. 267.

TITULUS XXX.
De feudo fæminæ.

SUpra actum est, speciali pacto sæpius filios a feudorum successione excludi, nunc an speciali pacto opus sit, ut fæmina succedat. Et primo feudum fæmineum dupliciter considerari potest: aut a masculis originem traxit, & speciali pacto investituræ apposito, ad fæminas transiit, & fæmineum dicitur, quamvis paternum rectius diceretur. Aut a fæmina tanquam prima adquirente ortum habuit, & hoc proprie fæmineum vocamus. Investigandum, quomodo in his duobus feudorum generibus succedere vel non fæmina valeat.

§. XCV.

De fæminarum successione.

Regula juris est, fæminas a feudali successione generaliter excludi, I. *f.* 8. §. *filia*, I. *f.* 24., I. *f.* I. §. *hoc autem*, II. *f.* 50., II. *f.* 51. §. *similiter*, II. *f.* 36. Excipitur (1) si communi consensu senioris, & primi adquirentis pactum sit, ut fæmina succedat. Hoc ex investituræ formula dependet: si adquisivit *pro heredibus masculis, & iis deficientibus pro fæminis*, nunquam succedit fæmina, nisi omnes mares ex primo adquirente descendentes, etsi remotiores, deficiant, I. *f.* I. §. *hoc autem*, I. *f.* 6. §. *quia etiam*, I. *f.* 14. §. *si duo*, II. *f.* 18. Hinc si quis, relicta filia, decedat, superstitibus fratrum præmortuorum filiis seu nepotibus agnatis, hujusmodi agnati etsi remotiores filiæ præferuntur, II. *f.* 17., Duaren. *cap.* X. *n.* 9., Thom. de Marin. *de gener. feud. tit.* X. *n.* 33. Hannet. *lib.* II. *c.* 9. Aut investitura concepta fuerit, *pro masculis, & feminis*, & hæc majorem vim quam superior non vindicat, quia tunc fæmina succedit, quoties masculi non supersunt. Ex juris regula: non patet locus fæminæ, donec masculus ex primo adquirente descendens vivat, cui nec pactum investituræ, nec regionis consuetudo derogare præsumitur, nisi probetur, Rolent. *cap.* VII. 40., & contra Sonsbecium Hart. Pistor *p.* 2. *lib.* II. *q.* 25. evincit. Aut concessio contigit, *cum masculis & feminis*, vel *æqualiter masculi, & feminæ*, vel *simul cum masculis, & feminis*, tunc mares simul in eodem gradu cum fæminis existentes omnes æqualiter succedunt, quia his formulis domini voluntas naturali feudorum conditioni fæminas excludenti deregavit, Scrad. *par.* VII. *c.* 4. *n.* 75., dissen. Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 73.

(2) Si duo fratres feudum novum pro se, & heredibus suis, masculis, & fæminis adquirunt, & ut frater fratri in illud succedat. Si unus frater, relicta filia, decedat, hæc alium fratrem, seu patruum, ejusque heredes excludit, *unusquisque enim sibi, suisque heredibus videtur prospexisse*, inquit, feudista in II. *f.* 18., Thom. de Marin. *loc. cit. n.* 26., Zasi. *par.* VIII. *n.* 57. (3) Si feudum fuerit fæmineum, quod primum fæmina adquisivit *pro se*, & *heredibus*, feudista *in h. t.* scribit, *si femina habens feudum decesserit: quia fæmineum est feudum; & sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Obertus, & Gerardus. Alii vero dicunt, nisi per pactum speciale ad eas non pertinere: sicut si datum esset filio masculo: quia si ideo quod est fæmineum sine pacto transit in fæminas: eadem ratione, quia est fæmineum transit in fæmineum prolem, etiam masculis extantibus; quod falsum est.* Cujac. *lib.* I. *f.* 12. hunc textum intelligit de feudo non primum a fæmi-

fæmina adquiſito, ſed de eo, quod originem a maſculo traxit, deinde ad fæminam tranſiit, putatque Gerardi, & Oberti opinionem refelli ab aliis Italiæ tunc ſapientibus, inter quos Bulgarus, Martinus, Jacobus, & Hugolinus recenſebantur.

Non placet Cujacii opinio: quamvis ſæpius in jure feudali ſententia poſtremo relata retineri ſoleat; tamen ſi aliud conſtet, excipitur. Auctor hujus tituli prius Oberti, & Gerardi mentem retulit, poſtea contrariam aliorum ſententiam explicuit, & ſubdit, *quod falſum eſt*. Primam igitur ſententiam adprobare, ſecundam arguere voluit. Obertus, & Gerardus in feudo fæmineo, deficientibus maſculis, fæminas admittunt, etiamſi ſpeciali pacto inveſtitura non invitaverit. Nam textus in 11. *f.* 50. in duobus caſibus fæminas ſuccedere ſcribit, *quod filia non ſuccedit, niſi ex pacto, vel niſi ſit fæmineum*. Itaque duplex ſuccedendi via, una quam pactum, altera quam qualitas perſonæ, mulieris videlicet conſtituit. Et tam pactum, quam qualitas eundum effectnm producunt, Sonsbec. *par.* IX. *n.* 124., Curt. *par.* III. *n.* 3., Piſtor *lib.* II. *q.* 34. *n.*31. Duaren. *cap.* X. *n.* 4., & prolixe V. Cl. Vultej. *lib.* I. *c.*9. *n.*46. Miror Andream ab Oberti, & Gerardi caſtris defeciſſe, & aliorum Italiæ ſapientum ſenſum amplecti, cui poſtea omnes obnixi ſunt. Præter hos caſus fæmina in feudo non ſuccedit, ſive feudum proprium, improprium, francum, emtitium, cenſuale, Eccleſiaſticum, & ſeculare fuerit. Hieronym. Garzonius *tract. de fæminis ad feuda recipiendis*, ubi non quinquaginta duas exceptiones ſubdit, in quibus fæmina ſuccedit, ſed omnes propemodum ab Interpretum præjudicio, & ineptis, levibuſque rationibus proficiſcuntur, dixi *lib.* II. 16. §.47.

In poſtrema tituli parte occurrit: *Ex hoc illud deſcendit, quod dicitur, clericum nullo modo in beneficium paternum debere ſuccedere, etiamſi poſteaquam habitum religionis aſſumpſerit, poſtpoſuerit. Idem in omnibus, qui habitam religionis aſſumunt, ut CONVERSI. Hi enim nec poſtea in feudum ſuccedunt, & ſi quod habent perdunt*. Sed de hoc ſupra dictum eſt.

TITULUS XXXI.
Si vaſallus feudo privetur, cui deferatur.

SUpra expoſuit, cuinam ex pacto vaſalli feudum deferatur, nunc ſi vaſallus delinquit, ex cauſſis, quas ante recenſuit, cui aperiatur. Et, inquit, *vaſalli feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aſpirabit, niſi id iterum a domino licite adquirat ſibi gratiam faciente. Verbi gratia,*

tia, si non sunt alii ex latere, quibus aperiatur: ad ejus petitionem admittuntur, qui quarto gradu sunt remoti ab eo, qui id acquisivit, & etiam usque ad infinitum, dum tamen hos constet ab eo per masculos descendisse. Hotom. *pro verbi gratia*, legit *dum tamen*, vel *ita tamen*; quæ correctio nihil mutat, & nihil juvat.

§. XCVI.

De feudi devolutione.

Sententia feudistæ est: si quis feudi antiqui vasallus in dominum delinquit, feudum, exclusis vasalli filiis, atque agnatis, ad Dominum redit: si in alium, exclusis filiis, agnati succedunt, modo ex primo adquirente per masculinam lineam descendant. Et si agnati non supersunt, ex gratia Dominus de novo delinquentis filios investire poterit, II. *f.* 24. *in fin.*, II. *f.* 26. §. *si vasallus*. Hinc patris delictum tam in feudo novo, quam antiquo filiis præjudicat, nec distinguendum, an feudum ex pacto, an hereditarium, an proprium, an improprium fuerit. Nonnullis placuit in feudo ex pacto, delictum patris filio nocere non posse, qui jus jam in eo ex investitura adquisivit. Male: nam jure Longobardo feudum hereditarium ignotum est, & noster feudista non nisi de feudo ex pacto, hic, & alibi intelligi potest.

Injusta tamen hæc dispositio videtur, dum filius, aut agnatus patris, aut agnati delicto punitur: alienum crimen successorem non habet, & quisque suo delicto subiicitur, *l.* 22. *C. de pœnis*, *l.* 26. *D. eo.* Attamen Alver. *hic n.* 1. rationem affert, quia filius, & pater una persona censetur, &, vivo patre, etiam dominium in feudo propemodum vindicat. Hæc ratio Pistorio *lib.* 11. *q.* 16. *n.* 18. displicet, quia fictio juris, qua filius & pater, eadem persona sit, filio nocere non valet *l.* 3. *D. de Interd. & releg.* Veram rationem *lib.* IV. 14. §. 28. expoluimus, quia feudum contemplatione patris filio concessum existimatur, atque adeo a patre Causam habet. Hinc filius est deterioris conditionis, quam agnatus; filius hereditatem recusare, & feudum accipere non potest, sed id agnato permittitur. Filius, non vero agnatus factum defuncti servare debet. Semper enim agnatus a filio in jure feudali distingui solet, Pistor. *lib.* 11. *q.* 13. sæpius tamen delictum patris filio non nocet, ut *in d.* §. 28. probavimus, Vultej. *lib.* 1. *c.* XI. *n.* 136. Denique, ut agnatus in infinitum succedere posset, a primo stipite ex masculina linea descendere oportet.

Verum sive felonia in dominum, sive in alium commissa sit, qua vasallus feudum amitteret, senior eam remittere potest, nec feudum suam naturam immutat. Exemplum exhibet Petrus de Vineis *lib.* VI. *Epist.* 5. *Pulchrum in subditis humanitatis opus exequimur*,

mur, si lapsis interdum per lubricæ culpæ convitium, misericordiæ celeris remedio subvenimus: cum summum vindictæ genus credamus ignoscere, nolumus semper culpas deleri per gladium, in quibus rigorem possumus temperamento elementiæ mitigare. Ea propter præsenti privilegio notum facimus, universis tam præsentibus, quam futuris: quod licet A. de Aquino fidelis noster, olim ad falsas suggestiones æmulorum nostrorum, visus fuerit a nostris beneplacitis deviasse: quia tamen saniori ductus consilio, spontaneus rediit ad fidei nostræ cultum, & nostræ misericordiæ gratiam suppliciter imploravit: nos qui (humanitatem nobis divina suadente clementia) misereri libentius volumus quam ulcisci, omnes offensas, & culpas, quas idem A. contra Majestatem nostram visus est hactenus incurrisse, clementer ei duximus remittendas, recipientes eum in gratiæ nostræ sinum. Ex abundanti quoque Gratia, quæ consuevit servitia remunerare fidelium, totam terram eidem A. fideli nostro, tam paterno, quam materno jure, quam ex concessione quondam divi Augusti Domini patris nostri spectantem: nec non terram, quam tenuit olim ratione uxoris suæ cum casalibus, hominibus, & pertinentiis suis, dicto A. & heredibus suis in perpetuum, de speciali gratia, & ex certa scientia nostra damus, concedimus, & etiam confirmamus.

TITULUS XXXII.

Qui testes sunt necessarii ad novam investituram probandam.

Dixit de feudo antiquo, nunc de novo, ejusque solemnitatibus, videlicet quomodo novi feudi investitura probari possit; & an eadem probatio in feudis antiquis requiratur.

§. XCVII.

De novæ investituræ probatione.

Regulam statuit: *sive clericus, sive laicus sit dominus, ad probandam novam investituram semper pares Curiæ sint necessarii pr. h. t.*, 1. *f.* 26. 11. *f.* 2. Etsi in ceteris negotiis quilibet, qui a natura, vel lege prohibitus non est, testis adhiberi possit, in investitura tamen de feudo novo, sive propria, sive impropria, illi tantum, qui partes Curiæ sunt, adhibentur, etiamsi mille testes extranei adessent. Quin & si illi extranei, postea pares Curiæ evaserint, nihilominus investitura non volet, non convalescit, quia eo tempore pares esse debent, quo investitura celebratur. Atque adeo Paribus indiget, *ut si sine eis facta sit investitura, etiamsi dominus confiteatur factam, quia tamen sine hac solemnitate facta est, non valet, etiamsi probari possit per breve testatum, h. t.*, ubi Feudista contrariam opinionem reiicit, quæ inquit, si dominus investituram esse factam confite-

fitetur, pares non esse necessarios. Sed ipse priori regulæ innixus, pares requirit, nec sola domini confessio, vel breve testatum sufficit, nisi a paribus esset subscriptum.

Sane ab hac solemnitate recedimus, si aliud Curiæ consuetudo recepit, de qua noster faudista, *Consules tamen mediolanenses nuper in quibusdam omnia contra rescripserint; in quo fere omnes mediolanenses consenserunt, & consensiunt: ut breve testatum non a paribus, sed ab aliis confirmatum sufficiat ad probandam novam investituram, h. t.* Ratio solemnitatis est, ne quid falsitatis in domini perniciem excogitetur, aliis inductis testibs, qui pecunia, amore, aut odio corrumpi facilius solent. 11. *f.* 58. §. *idcirco*. Præterea Parium præsentia, & consilium Domino sententiam mutare posset, si forte periculum ex tali concessione nasciturum ei ostenderet; & sicut senioris interest, non quemlibet admittere vasallum: ita quoque vasallorum interest, consocium Curiæ parem bonis moribus imbutum habere, cum sæpius sub illo litigare teneantur. Etsi dominus paribus etiam invitis quem de re sua investire posset, Sonsbec. *par.* 1x. *n.* 12., Vultej. *lib.* I. *cap.* 7. *n.* 26., *lib.* IV. 3. §. 3.

§. XCVIII.

De veteris investituræ probatione.

Hactenus de nova investitura; *de veteri autem beneficio investituræ, quæ fit a domini successore, vel vasallo successori; etiam extranei recipiuntur ad testimonium præter fœminas, secundum usum mediolanensium. Istæ enim nec in caussis feudi, nec aliorum recipiuntur ad testimonium: ceteri autem recipiuntur in omnibus, quæ ad causas feudi pertinent, præterquam de nova investitura, h. t.* In facienda, aut probanda nova investitura pares tantum Curiæ adhiberi debent; sed in veteri vel faciunda, hoc est investituræ ob mortem vasalli, aut senioris renovatione, vel probanda, extraneos testes usurpamus. Modo sint mares; quia fœminas excludit. Vetusto quiritum jure omne testimonii genus fœminis interdictum erat; hinc lex Horatia Cajæ Tarratiæ plurimos honores attribuit, *inter quos jus quoque testimonii dicendi tribuitur, testabilisque una omnium fœminarum, ut sit datur*, scribit Agell. *lib.* VI. *N. A. c.* 7., quia fœminarum fides dubia, incerta, & ad pejerandum prona veteribus visa est. Postea disputatione fori, ut puto, in omnibus fere caussis civilibus, & criminalibus fœminarum testimonium obtinuit; modo testamenta, mancipationem, divortium, in jure cessionem, adoptionem, similesque legis actiones excipias, in quibus testimonium dicere non possunt, Constantin. *subtil. Enodat. lib.* I. *c.* 27., Hotom. III. *obser. c.* 14., Cur. *par.* II. *n.* 17.

TI-

TITULUS XXXIII.
De Consuetudine recti feudi.

NUper explicuit novam investituram non nisi paribus Curiæ probari, & feudum adquiri, nunc alios adquirendi modos, aliasque controversiarum species exponit. Et quatuor partes complectitur: Prima pars *de modis feudum adquirendi, & de nova investitura*. Secunda *de jurisjurandi in beneficiariis litibus præstatione, & judicis prudentia*. Tertia *de juramento Calumniæ*. Quarta *de controversia inter Dominum, & vasallum agit*.

§. XCIX.
De adquisitione feudi.

Prima pars: *sciendum est itaque, feudum adquiri investitura, successione, vel eo, quod habeatur pro investitura, ut ecce si dominus alicui coram paribus Curiæ dixerit, vade in possessionem illius fundi, & teneas illum pro fundo*. Apprime probo Hotomanni emendationem, qui pro *successione* legit *sive cessione*. Nam verus adquirendi modus est sola investitura, quam primi feudorum institutores primo adhibuerunt. Successio, aut quævis alia adquisitio improprie appellatur, ut alibi probavimus. Successio non est nova adquisitio, sed feudi jam adquisiti confirmatio, quia nemo succedit, nisi in investitura vocatus fuerit. Exagitat illud, quod inter modos adquirendi recenset, si senior coram Curiæ paribus dicat, *vade in possessionem illius fundi, & teneas illum pro feudo*. Etenim 1. *f.* 25. dixit, *feudum sine investitura nullo modo constitui posse, etiamsi domino jubente, quis alicujus rei nomine feudi possessionem nancifcatur, & teneat: licet tamen possessionem taliter adeptam, dum vixerit, quasi feudi nomine retinere: herede ejus in hoc jure nullo modo ei succedente*. Solum igitur senioris mandatum non juvat, nisi investitura interveniat. Hotoman. antinomiam cognoscit, nec solvit; sed more suo feudistam arguit. Eleganter Glossa, Andreas, & Alverotus respondent: Si senior dixerit, *vade in possessionem illius feudi, eumque pro feudo teneas*, coram Curiæ paribus, verum feudum censetur: si vero sine parium præsentia pronunciaverit, improprium feudum constituitur, de quo textus in *d.* 1. *f.* 25. loquitur. Ratio differentiæ est, quia Curiæ præsentia omnem suspicionem removet, qua dominus vilium personarum & testibus redemptis decipi posset. Quamvis enim ad feudi constitutionem utraque investitura, abusiva, & reali opus esse videatur; nihilominus feudi constitutio ab investitura reali, id est immissione in feudi possessionem incipere valeat, quin abusiva interveniat. Sufficit, si coram pari-

paribus voluntate domini quis in feudi possessionem inducatur; quique postea fidelitatem jurare, atque omnia onera sibi adsumere cogitur. Nec scriptura, sicut in ceteris actibus, indiget, licet consuetudine omnis investitura scriptis mandetur, ut quid actum est, deinde probari posset, Scrad. *par. v. c.* 3. *n.* 12. Vultej. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 16. & 54.

Præter hujusmodi tres adquirendi modos, quartum addit, si *alius probaverit se aliquid nomine beneficii aliquo tempore tenuisse domino præsente, & non contradicente, & servitium ejus, quasi a vasalli recipiente: licet non probet investituram, verumtamen obtinebit, præstito juramento, nisi aliud contra inducatur* §. *inde etiam b. t.* Hotoman. verba *aliquo tempore* pro 30. annis accipere videtur. At aliud est investitura præsumpta, & hanc præscriptio triginta annorum inducit, 11. *f.* 26. §. *si quis per triginta*, nec vasallus aliquid probare cogitur, modo uti verus vasallus servitia præstiterit, & dominus exceperit. Aliud investitura vera, qua feudum tunc adquiritur, si aliquo tempore, id est *anno*, domino sciente, & non contradicente, imo servitia recipiente vasallus possederit. Tunc licet investituram, aut abusivam, aut realem non probaverit, nihilominus obtinebit, præstito juramento (male Hotoman. jusjurandum *fidelitatis* intelligit) sibi a domino rem illam in feudum fuisse concessam. *Annalis enim possessio* pro possessore præsumit, nisi hæc præsumptio ab alia majori præsumptione elidatur, & tunc vasallus jurare non debet, & dominus majori instructus conjectura vincet.

De novæ investituræ probatione paribus Curiæ necessario facienda, exceptionem subdit, *intelligendum est de eo domino, qui alios habet vasallos: ceterum sufficiunt extranei. Nec dicatur, investituram ubi sine paribus facta est, valere: quoniam tunc temporibus aberant pares, qui etiamsi absint, tamen expectandi sunt*, *b. t.*, 11. *f.* 2., 11. *f.* 20. Dum investituram celebrari, aut probari oportet, pares adhibendi sunt; Sed si dominus alios vasallos non habeat, extraneos accensire potest. Aut habeat, sed absunt, expectandi sunt. Non diu, nec brevi; quod Judicis prudentia, & religio arbitrabitur. Obstat. textus *in* 1. *f.* 26. *testes vero sint pares ejus, & qui ab eodem domino feudum teneant: qui si tempore investitionis absfuerint, etiam extranei sunt recipiendi*. Expectare igitur non compellitur. Vultej. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 27. feudistam dupliciter intelligit; ut si dominus eos vocaverit, & venire noluerunt, aut non poterant; aut si ipse pares in sua Curia non habet, & verbum *absfuerint*, *non fuerint* interpretatur, Sonsbec. *par.* IX. *n.* 17.

§.C.

§. C.

De litis jurejurando.

Secunda pars est de jurejurando, quod in beneficiariis litibus præstari oportet: Et regulam instituit; *Sacramentum non semper est dandum possidenti: sed quandoque possidenti, quandoque petenti, quandoque neutri datur; & cum alicui horum datur, ita demum datur, si aliquid pro eo sit, quod judicem moveat*, 1. *f.* 4., 11. *f.* 58. §. *si instrumentum*, & §. *cum datur*. Hinc an actor, an reus jurare debeat, certa regula circumscribi non potest. Nec jurare opus est, nisi alia probatio deficiat; nec statim, nisi aliud sit, quod judicis animum moveat. Id judicis arbitrium debet esse prudentiæ nixum, ne jusjurandum ei deferat, qui jus suum plane probavit; nec ei, cui nulla præsumtio favet. Et in jure feudali, actore non probante, non semper reus absolvitur, Joan. Blanc. *lib.* IV. *c.* I. *n.* 129.

Prosequitur Feudista, *ubi nihil est, quod faciat pro aliquo eorum præter possessionem solam, tunc secundum quod judici melius visum fuerit, aut possidenti dabitur Sacramentum; aut actore nihil probante, qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit reus, tamen absolvitur, vel obtinet*, §. *sacramentum h. t.* Quis feudum possidet, quem alius in judicio convenit, possessor nihil, nisi possessionem ostendit. Si actor nihil probat, possessor obtinebit, cum semper possessor vincere soleat *l.* 4. *C. de edend.* Aut si aliquid est, quod judicem moveat, etiam possidenti deferre jusjurandum potest, ut magis suam innocentiam depromat *cap. fin. in fin. de jurejuran.*

Hoc jusjurandum aut a judice parti, aut a parte parti defertur. *Si a parte, aut subeat cum duodecim sacramentalibus secundum inferiorem distinctionem, aut referat pars, cui delatum est* §. & *cum datur h. t.*, quod jusjurandum *voluntarium* vocatur, quia ex partium conventione descendit. Necessario pars cui delatum est, jurare cum XII. sacramentalibus debet, de quibus *in lib.* IV. 7. §. 10., aut jusjurandum ei referre, qui detulit, quia manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre *l.* 38. *D. de jurejur.* Sane cui defensio incumbebat, non omnino cogebatur jurare, sed electionem habebat, ut si mallet, alteri parti jusjurandum referret, qua jurare nolente, vincebat, 11. *f.* 15. §. *item placet*, 1. *f.* 26. modo judici ita videretur, ut supra dictum est. Aut a judice defertur, & tunc *juret ille cui delatum est, cum duodecim vasallis, cum sex parentibus: ceteros si vult, habeat extraneos*, *d.* §. & *cum datur*. Hoc jusjurandum judiciale referri non potest, sed ille, cui delatum, jure cogitur; & plane cum XII. sacramentalibus, quorum sex cognati, seu parentes jurantis esse debent, alii sex extranei esse possunt. Nam parentes magis facti

 veri-

veritatem scire, quam extranei præsumuntur *l.7. C. de integr. rest. min.*, nec de facto alieno, sed de credulitate sua, & conscientia jurant, Montan. *lib.* v. *c.* 5. *in fin.*, Gudelin. *par.* VI. *c.*4. *n.*4.

Disputatum est, an jusjurandum in alterius animam præstari, an per procuratorem jurari possit? Justus Oldekopp negavit, Gerardus Feltmannus se opposuit, cui Boehmer. *tit. decr. de juram. calum.* adhæret. Non recte: jusjurandum est divini Numinis invocatio in testimonium veritatis, nihilque suadet, per alium, qui speciale mandatum habet, non posse præstari, & mandantis nomine, & periculo suscipi, *c.* 3. *de juram. calum. cap. ult. eo. in* VI. Hinc Livi. *lib.*31. *in fin. C. Valerius Flaccus, quem præsentem creārant, quia flamen dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solveretur: Senatus decrevit ut si ædilis quo pro se juraret, arbitratu Consulum daret: Consules si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus qui juraret pro fratre L. Valerius Flaccus, prætor designatus, tribuni ad plebem tulerunt, plebesque scivit, ut perinde esset ac si ipse ædilis jurasset*. Groeneweg. *ad l.* 2. *C. de jurejuran. propter calum.* Opus fuit plebiscito.

In hac jurisjurandi præstatione duo affert senioris privilegia, *dominus vero, si vult, cum parentibus, aut cum vasallis solis, aut cum parentibus vasalli, vel cum extraneis mixtis parentibus, vel vasallis. Et jurabit vasallus sine mentione conscientiæ. Dominus quoque de suo facto similiter. De facto vero patris, vel avi, aut alterius ascendentis juramento conscientia præponetur. Quidam tamen dicunt, non quidem conscientiam esse præponendam, d. §. & cum datur h. t.* Si judex itaque defert jusjurandum vasallo, cum sex sacramentalibus, seu paribus suis similiter vasallis, & sex aliis parentibus suis, qui si non habet, alios extraneos adhibere valet. Nam parentes plus ceteris compertum habere præsumuntur. Verum si defert domino, iste vel cum parentibus, vel cum vasallis, vel mixtim, partim cum parentibus, partim cum vasallis etiam XII. jurabit. Hic est casus, in quo senior est melioris conditionis, quam vasallus, nec ad paria judicatur. Vasallus semper sine conscientiæ mentione jurat, videlicet *se a Mævio investitum, non credere se a Mævio investituram accepisse*. Dominus vero de suo facto, nempe investituram non fecisse præcise, hoc est sine conscientiæ mensione jurat. De facto alieno, puta patris, avorumque descendentium, se nec scire, nec credere ab his ascendentibus investituram esse factam jurat. Et hoc est secundum senioris privilegium. Ratio differentiæ; quia judex se probationibus, & conjecturis vasalli instruere debet, ut sen-

sententiam ferre posset; & lex magis contra vasallum, quam dominum præsumit, idcirco major necessitas, & major probatio vasallo, quam domino imponitur, Cujac. *lib.* IV. *f.* 36., Alver. *bic n.* 2.

§. CI.

De jurejurando calumniæ.

Tertia pars est de jurejurando calumniæ, quod ex Atticis legibus ad Romanos primum migravit, & ante Justinianum in certis tantum caussis ex una parte tantum præstabatur, ut agens actione damni infecti, prius de calumnia jurare debebat *l.* 13. §. 3. *D. de dam. infect.* qui postulat sibi copiam inspiciendi, & describendi testamenti tabulas fieri *l.* 3. *C. quemad. testam. aper.*, qui petit probationes, nempe testes, instrumenta, qui servos in quæstionem petit *l.* 1. *C. de jurejur. prop. cal.*, & similibus, de quibus Cujac. *Nov.* 41. *in fin.* Sed Justinianus in omnibus caussis tam jure antiquo statutis, quam in ceteris tantum civilibus, ut recte Martinus olim contra Bulgarum, Hugolinum, Joannem, & Azonem obtinuit. Nam in caussa dumtaxat pecuniaria, non autem criminali de calumnia juratur. Recta enim fuit Joannis opinio, & Martini recepta, nunquam in caussis criminalibus, deficiente probatione, reum ad jusjurandum admittere. Ne amore salutis perjurium committeret, qui crimen perpatrati non dubitavit, sicut prolixe Boehmer. *tit. decr. de purgat. can.* §. 3. probat. Nec eos juvat Honor. II. *in c.* 1. *de juramen. calum.*, ubi Episcopos, presbyteros, clericos, Abbates, Monachos, & sanctimoniales jurare *in caussa quacumque, sive controversia, seu criminali, seu civili* prohibet, quia non de solo calumniæ jurejurando, sed de quolibet juramento loquitur; quamvis Janus a Costa *ad tit. decret. de juram. Calum.*, Honorium II. Bulgari, Joannis, Hugolini, & Azonis sententiam retinuisse fateatur, quod non placet, Jac. Cujac. ad *d. c.* 1. *de juram. calum.* Hoc privilegium, ne clerici de calumnia jurarent, Marcianus Imp. *an.* 456. antea clericis CP. indulsit, postea Henricus II. Imp. ad omnes Christiani orbis clericos extendit *l.* 25. *C. de Episcop.*, & *Cler.*, *l.* 11. *lib.* 11. *LL. Longob. tit.* 47., Henrici legem *in d. c.* 1. *de juram. calum.* Honorius II. Pontifex amplectitur.

Ex his veritas feudistæ paret *in* §. *in quibus etiam caussis Sacramentum calumniæ a domino non exigetur: quod nuper Rex Fridericus in Romandiola constituit, ut vasallus calumniæ Sacramentum a domino non exigat; quod etiam a parte domini intelligendum est: ut quod quisque juris in alium statuit, ipse eodem jure utatur.* Qui defert igitur jusjurandum, prius ipse de calumnia jurat *l.* 11. §. *pen. D. rer. amot.*, *l.* 34. §. 4. *l.* 37. *D. de jurejur.* cujus formulam exhibet Justinian. in *l.* 2. *C. de juram. prop. calum.* *Actor*

quidem juret, non calumniandi animo litem se moviſſe, ſed exiſtiſtimando bonam cauſſam habere: reus autem non aliter ſuis allegationibus utatur, niſi prius, & ipſe juraverit quod putans ſe bona inſtantia uti, ad reluctandum pervenerit. Excipitur patronus, & parens, qui cum liberto, aut filio litigans, non cogitur jurare de de calumnia. Hinc Ulpian. *in d. l.* 34. §. 4. corrigi oportet, *hoc jusjurandum de calumnia, neque patrono, neque parentibus remittitur;* nam editio Norica, Veneta, Pariſienſis, Lugdunenſis, aliæque pro *neque* legunt *æque*, & græcis quoque placuit, Joan. Leunclav. *Annot. lib.* 11. 37., Forſter. *lib.* 1. *juris interpret. c.* 2. 14., Gulielm. Forner. *lib.* 11. *ſelect. c.* 4., Conſ. Noodt. *ad tit. D. de jurejur.*

In cauſſis feudorum vaſallo, & domino remittitur, ſive vaſallus contra dominum, ſive dominus contra vaſallum agat, Gudelin. *par.* VI. *c.* 2. *n.* 4., Scrad. *par.* X. *ſect.* 3. *n.* 74., Roſent. *cap.* XII. 5. *n.* 10., quod male Rothi. *in pand. feud. cap.* XXV. *q.* 17. negavit. Nec refert, an dominus Rex, Princeps, vel privatus fuerit, quum æque his reverentiam, & obſequium præſtare vaſallus debeat. Si vera duo vaſalli inter ſe litigant, jurare de calumnia coguntur, cum de his jus feudale nihil diſpoſuerit, & proinde jus civile ſectamur. Et feudiſta ſcribit ita Fridericum I. ſanxiſſe in Romandiola, hoc eſt, ut legit Cujac. Roncalia; & recte: nam Romandiola eſt Ravennæ Exarcatus; Roncalia eſt campus ſupra Padum non procula Placentia celeberrimus, de quo in 11. *f.* 55. dicam. Hotomannus hanc Friderici Sanctionem neſcire fatetur. In 11. *f.* 27. §. *ſi ruſticus* jusjurandi de calumnia mentio occurrit, ſed eam conſtitutionem non in Italia, verum Germania publicavit. Intelligere tamen voluit legem Friderici I. quam Cujac. *lib.* V. *feud.* & Gotofr. *lib.* V. 10. referunt, in qua Imp. ſanxit; *Si quis autem ſuper hac culpa* (videlicet criminis incendii) *innocentiam ſuam probare, vel oſtendere voluerit, cum duobus viris veracibus culpa in præſentia judicis ſe expurget. Si quis autem cuiquam impoſuerit, quod incendiarium receperit, & de hoc ipſum jure voluerit convenire, hoc nequaquam ei fieri liceat, niſi præſtito primo calumniæ Sacramento.* Imp. in cauſſa criminali, uti eſt incendii crimen, quaſi jam jure proditum calumniæ juramentum exigit, cum id tantum a Bulgaro, Joanne, Hugolino, & Azone retentum eſſet, contra quos, rectius Martinus ſenſit. In cauſſa enim criminali accuſator ſubſcriptione ſua in talionis pœnam ſe obligat, & fruſtra ab eo jusjurandum calumniæ exiges. Non jurabit reus, quia facile perjurium committit, Cujac. *ad c.* 1. *de juram. Calum.* Wiſſenbac. *ad l.* 2. *C. de jurejur. prop. Calum.* Forſitan Fridericus Conſilio Joannis, Hugolini, Bulgari, quo aſſidue utebatur, ita *an.* 1187. 3. *cal. Jan.* ſanxit,

xit, ut eorum sententiam imperiali lege confirmarent.

§. CII.

De Seniore non accusando.

Propter idem vasalli erga seniorem obsequium, *Dominum accusare, vel testimonium contra eum reddere non debet in civili causa modica, aut criminali. Quidam tamen dicunt in criminali non licere, in civili licere: in quibus si contra fecerit, feudo privabitur*, §. *similiter h. t.*, Cujac. verbum *modica*, suo loco movit, & infra ponit, *in civili modica licere*; & placet. Generaliter vasallus suum Dominum in criminali, aut civili caussa accusare non potest, secus feudo cadit; licet ex eo judicio, atque accusatione grave damnum non senserit. Si crimen fuerit leve, vel caussa civilis modica, vasallus suo feudo privari non videtur, Alver. *hic*, cui non recte Sonsbec. *par.* XII. *n.* 48., Vultej. *lib.* I. *c.* II. *n.* 35. obnituntur, dixi *lib.* IV. *tit.* XI. §. 17. & 18., & *lib.* II. *feud.* 24.

§. CIII.

De controversia inter dominum, & vasallum.

Quarta pars de contentione Dominum inter & vasallum agit. *Item si inter dominum, & vasallum controversia sit de beneficio possidente domino, & vasallo in probatione deficiente: qui convenitur nullo præstito sacramento absolvatur. Vasallo vero possidente, & actore in probatione deficiente: si longa sit vasalli possessio, ejus juramento caussa finiatur. Ubi vero nova est possessio, sacramentum ei non præstabitur, sed domino deferetur: nisi aliud faciat pro possidente.* Dominus feudum possidet, quem vasallus coram Curiæ paribus convenit, ut sibi feudum restituat. Si suam actionem probare valet, vincet: secus senior, quia juret, absolvitur. Si autem vasallus anno possedit, eumque senior in judicium vocat, sed nihil probat; caussa jurejurando vasalli finietur. Aliter, si minus anno possedit, tunc juramento senior decisio stabit, *nisi aliud faciat pro possidente* §. *item si inter h. t.* Annalis possessio tunc vasallo prodest, si domino sciente, & non contradicente, possedit, & servitia præstitit. Si per 30. an. possedisset, sine jurejurando obtineret, And. *hic n.* 14.

TITULUS XXXIV.

De lege Conradi.

HActenus de diversis controversiarum speciebus, & modis eas dirimendi, nunc coram quibus dirimi oportet. Quatuor partes includit: Prima *de judice, & foro competenti*: Secunda *de prohibita dominii directi alienatione*: Tertia *de probibita utilis dominii alienatione, excepto subfeudo*: Quarta *de quæstione inter vasallum, & seniorem*. Feudista utitur auctoritate Conradi Imp. sicut *in* II. *f.* 9. *in fin.*, II. *f.* 16. I. *f.* I. §. 2., II. *f.* 40. qui de successione, pari-

paribus Curiæ, foro feudali, alienatione, & fidelitatis juramento plura constituit.

§. CIV.

De foro feudali.

Prima pars: *Lex conradi de beneficio, quæ dicit: Si inter Capitaneos controversia sit, coram Rege finiatur,* (adhibitis Paribus) *si inter Valvasores coram paribus Curiæ, Mediolani non tenetur: sed talis distinctio ibi observatur, quia si inter duos, quicumque fuerint, de beneficio regali controversia fuerit, quorum uterque a Rege se dicit investitum fuisse, tunc caussa coram eo decidatur: ceteræ vero caussę apud pares Curiæ. Si autem inter pares duos de aliquo beneficio controversia sit, quorum uterque suum feudum proprium esse dicat: sive afferant eundem investitorem, sive diversos: coram judice, vel arbitro finiatur. Sed cum unum producunt investitorem, si possidenti Dominus guarentizare voluerit, sine fraude ipse obtinebit: nisi adversarius contra aliquid induxerit.* Si Capitaneus, hoc est quisquis ab Imperatore, sive actor, sive reus fuerit, de Marchionatu, Ducatu, Comitatu investitus contendit, Imperator judex erit *princ. h. t.*, 1. *f.* 18., Alteser. *de O. F. c.* 12. Albertus Krantz. *lib.* x. *Saxoniæ*, *cap.* 38. ubi litem feudalem feudi regalis coram Sigismundo discussam refert. Merito, quia de suorum vasallorum litibus in feudo natis senior cognoscit. Nec satis Reipublicæ tutum esset, Ducum, Comitum, Marchionum, & Baronum caussas ab aliquo decidi, quam ab Imperatore, quum facilius Parium sententias condemnerent; & inde bella, & seditiones gignerent. Quod & Imp. Carolus *in lib.* 11. *LL. Longob. tit.* 46. *l.* 1. sanxit, *ut Episcopi, Abbates, & Comites, & quique potentiores, si caussam intra se habuerint, & pacificare noluerint, ad nostram debeant venire præsentiam, neque illorum contentio alicubi judicetur, ne propter hoc pauperum, & minus potentum justitiæ remaneant, neque nullus Comes palatii nostri potentiores Caussas sine nostra jussione finire præsumat, sed tantum pauperum, & minus potentum, ad justitiam faciendam, sciat sibi esse vacandum.* Sonsbec. *par.* XIV. *n.* 19., Zasi. *par.* XI. *n.* 4.. Sive ecclesiasticus, sive secularis vasallus fuerit. Quod si inter valvasores, sive majores, sive minores quæstio esset, pares Curiæ judicabunt *princ. h. t. & d.* 1. *f.* 18.

Hæc Conradi constitutio, sicut & aliæ Imperatorum leges, quos odio habuerunt, Mediolanensibus displicuit, & distinguere placuit: Aut duo, pluresve de beneficio contendunt, & ambo investituram ab Imperatore, vel Rege accepisse postulant, & disputant, Imperator judicabit. Aut non ab Imperatore, sed ab alio habere dicant; & pares curiæ illius domini a quo tenere fatentur, cognoscent,

ſcent, *princ. b. t.* Nam Mediolanenſis jurisprudentia non litigantium qualitatem, ſed rem conſideravit; licet publica ratio, utilitas, & pax nuper perpenſa Mediolanenſium rationem opprimat. Sæpius non pares, ſed judex ordinarius judicat; ſi duo vaſalli idem feudum in judicio petunt, quique diverſos dominos habent. Aliter, ſi ejuſdem domini de aliis feudis vaſalli eſſent, tunc Dominus uti judex ſedet; & dominus ſi *poſſidenti guarentizare voluerit, ſine fraude ipſe obtinebit, niſi adverſarius contra aliquid induxerit*, §. *ſi autem b.t.*, 11.*f.*15., 11. *f.*46. Verbum *guarentizare* idem eſt ac cauſſam alterius ſuſcipere, defenſorem ſe conſtituere, teſtimonium dicere, confiteri, quod ille vaſallus jus poſſidendi, ut retinendi habeat. Cur ſine hac domini guarentizatione vaſallus poſſeſſor non obtineat? Andr. *hic*, inquit, litiganter ſenioris arbitrium elegiſſe, cui ſe ſubmiſerunt; Et ſenior poſſidenti favere voluit, donec ejus aſſertio, atque arbitrium ſine dolo compareat.

§. CV.

De non alienanda feudi proprietate.

Secunda pars: ex eadem Conradi lege, *Dominus ſine voluntate vaſalli feudum alienare non poteſt, quod Mediolani non obtinet. Ubi enim ſine Cure etiam beneficium totum recte alienatur: dum tamen aut æquali domino, aut majori vendatur. Inferiori vero ſine vaſalli voluntate non licet partem alienare, etiam majori retenta parte alia feudi. Verbi gratia, eſt vaſallus, qui ab eodem domino in pluribus locis feudum tenet. Si partem feudi in uno loco vendat, in alio ſibi teneat: ille non debet emptori ſervire, ſed per priorem dominum totum beneficium recognoſcere: cum Curia vero cuicumque beneficium etiam ruſtico, & ſine vaſalli voluntate, poteſt: dum tamen non totum alienetur, Obertus. Quidam tamen dicunt, ut Gerardus, non valere, ſi fiat inferiori*, §. *ex eadem b.t.*, 1.*f.*22. §. *ſi quis*, 1.*f.*27. §. *ſi quis*, ſive totum, ſive partem alienare vellet. Miror Interpretes in lumen textus inſurgere, & cecutire, quorum quinque opiniones Frid. Muller. *diſſert. de obligatione domi. erga vaſ.* §. 10. refert, a quibus ne ipſe quidem ſe eximit. Clarius & Imp. *in* 11.*f.*55. §. *præterea ducatus*, inquit, nec dominus *feudum ſine voluntate vaſalli ad alium transferat*. Merito: ut inter utrumque jurium æqualitas, & viciſſitudo ſervetur. Sicut ſi vaſallus ſine conſenſu Domini alienare feudum non poteſt, ita nec dominus ſuum directum dominium, niſi vaſallus conſenſiat. Neque hanc legis Conradi partem Mediolanenſis clientela retinere voluit, & ſtatuit, ſine vaſalli conſenſu domino feudum alienare permitti; ſive æquali domino, ſive majori vendat. Inferiori non poteſt, niſi vaſallus conſenſiat; quia iniquum eſſet, nobilem vaſallum plebejo fidelitatem præ-

præstare; & sicut vasallus sine domini consensu deteriorem feudi conditionem facere, ita nec Dominus potest, conditionem vasalli diminuere, eo invito, cum ad paria judicentur. Quid si senior sine consensu vasalli alienet, an proprietatem amittat? Minime, lege indigemus, Schenck *hic*. Dum tamen alienat, non potest unam feudi partem uni, alteram alteri vendere, ne vasallus plures dominos recognoscere cogatur, & hæc de venditione feudi sine Curte, seu Curia; *cum Curia vero cuicumque beneficium etiam rustico, & sine vasalli voluntate, potest, dum tamen totum alienetur. Obertus. Quidam tamen dicunt, ut Gerardus, non valere, si fiat inferiori* §. *ex eadem h. t.*, Ludewig. *lib.* 11. *feud. opusc.* 2. *differ.* 27.

Obertus, inquit, Dominum sine vasalli voluntate feudum simul cum Curia, hoc est territorio, & universa ditione, cuicumque etiam rustico vendere posse. Forsitan ex auctoritate Pauli *in l.* 62. *D. de adquir. rer. dom.* quia plura alienari non possunt, per universitatem tamen transeunt. Feudum si cum tota ditione, & territorio alienatur, etiam in rusticum transferri potest. Si sine Curia vendatur, non nisi in æqualem, vel majorem vendi conceditur. Gerardo aliter videbatur, inferiori nec cum Curia dominationem feudi vendi posse, ne invitus vasallus inferiori pareret. Cujacius *lib.* 1. *feud.* 22. scribit, in veteri libro pro sententiæ Gerardi confirmatione, hæc addi, *& hoc Mediolani judicatum est, & sic ibi obtinet, ut non valeat, nisi fiat æquali. In quibusdam Curiis Lombardiæ Oberti opinio valet, ut cum Curia cuivis feudum totum dominus vendere possit*. De vera feudi venditione lex Conradi negat, & Mediolanensis consuetudo distinguit: Sed si oppignorare senior jus suum velit, non prohibetur, Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 122., & hodie etiam vendunt, Ludewig. *loc. cit.*

§. CVI.

De feudo non alienando, & subfeudo.

Tertia pars est de prohibita feudi alienatione, quam vasallus sine senioris consensu celebrare nequit §. *similiter h. t.*, in feudum tamen, hoc est subinfeudare, vel totum, vel partem sine senioris consensu potest, *si secunda persona* (id est subfeudatarius) *sit talis, quæ feudo servire possit: ut si dans miles est*, & *ille, qui accipit feudum, inveniatur miles, ad hoc feudum si contigerit, domino similiter servire, ut & prior possit. Et hoc ut dare liceat in infinitum. In quibusdam tamen curiis ultra tertium personam feudi concessio non extenditur, ut cum feudum pervenit in quartam personam, ei auferre dominus possit*. Conradus generaliter feudi alienationem, illaudato domino, vetuit, & 11. *f.* 40., excepit subinfeudationes, quas vasallus sine sui senioris consensu agere posset.

Subin-

Subinfeudatio est actus, quo vasallus feudum, quod habet, vel totum, vel aliquem ejus partem, alii in feudum legitime, sine domini, & quorum interest, consensu concedit, II. *f.* 9. §. *si vero*, II. *f.* 3. §. *sed etiam*, II. *f.* 28. §. *beneficium a vasallo*, II. *f.* 55. §. *callidis*, Pistor *lib.* II. *q.* 44., & nemo nisi Hotoman., refragatur, sive feudum laicum, sive ecclesiasticum fuerit. Unum exemplum dabo ex Miraeo *in donat. belg. c.* 101. *an.* 1228. *Ego Robertus Advocatus Atrebatensis, Betuniae, & Tenemondae Dominus, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod omnia, quae habebam in Parochia Calkene, quae ego tenebam, & quae a me tenebantur, dedi in feudum Domino Gilberto de Sottenghem, libere cum omnibus justitiis majoribus, & minoribus, excepto Manso de Raveschoot, sicut est modo clausum, exceptis etiam quindecim bonariis Wastinae. Et sciendum, quod homagia, quae ego in dicta villa habebam, mihi remanent. Et si homines mei ibidem manentes, exercitus meos, vel equitaturas non fecerint, sicut debent, vel ad placita mea non venerint. Ego proforefacto tali sicut homines mei judicaverint, potero pendere super feudum, quod mei homines tenent de me, & nullam aliam justitiam majorem, vel minorem in dicta villa habebo.*

Verum tria copulative servari oportet, ut subinfeudatio valeat: primum, *sincere fieri*, hoc est, ne sub infeudationis colore alienationem lege prohibitam contrahat, ne pretium recipiat: secundum, *aequali personae*, idest miles militi, aulicus aulico, advocatus advocato, & similia; aut majori, non autem inferiori. Secus senioris conditio, servitia, & fidelitas diminuerentur. Tertium, *iisdem pactis, conditionibus, & servitiorum, & succedendi modis, quibus ipse tenet*, subinfeudet: quia mutare investiturae ordinem, idem est ac feudum alienare, seu jura sua diminuere, quod vasallo interdicitur. Nam subfeudum a feudo principali tanquam a suo fonte rivus, pars a toto, membrum a corpore naturam, & proprietates assumit: Scrad. *par.* VIII. *c.* 2. *n.* 13., Pistor *loc. cit.*, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 143., Fred. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* I. *c.* I. *n.* 44. Hinc feudista *in* §. *profecto h. t., qui suum beneficium alii dat in feudum, non debet alia lege dare, nisi qua ipse habeat. Ut si habeat sibi, suisque heredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alii dare, ut habeat ipse, & sui heredes masculi, & feminae. Unde quibusdam places, quod qui taliter dedit, eo ipso beneficium amittit. Gerardus, & alii dicunt, quod qui dedit, & cui datum est, beneficium perdit. Secundum alios vero tunc domino aperitur, cum masculi defecerint.*

Non itaque aliis legibus, & pactis subinfeudare valet, quam quibus accepit, & eodem jure, quo penes vasallum stetit, eodem penes valvasinum maneat. Sed an haec pacta subinfeudationem

Mm vi-

vitient, an pro non appositis censeantur? Tres opiniones hic refert. Sæpius hujus collectionis auctor opinionem communiter receptam postremo loco referre solet. Postrema opinio, inquit, subinfeudationem non vitiari, & clausulam, *ut etiam fœminæ succedant*, pro non scripta considerari respondet. Merito: quia in iis, quæ separari possunt, utile per inutile non vitiatur *l. 34. C. de donat.*, *l. 21. §. 1. C. de Testam.*. Si enim mores patriæ subinfeudationem in unum heredem agi permittant, & vasallus in duos facit, subinfeudatio in uno valebit. Dum vasallus feudum pro se, & heredibus suis, hoc est masculis accepit, subinfeudatione si ad fœminas extendere velit, fœminæ pro non scriptis habentur, & deficientibus masculis, feudum domino aperitur, Curt. *par. 11. q. 6. n. 10.*, Camer. *in 11. f. 55. p. 33.*, Cujac. *lib. 1v. f. 38.*

Nec unam dumtaxat subinfeudationem celebrare potest, sed quot voluerit: Capitaneus feudum suum majori valvasori; major valvasor minori atque ita usque in infinitum dare valet, sicut in Curia Mediolanensi obtinuit. In aliis autem Italiæ feudalibus curiis, non nisi ad tertiam usque personam, nempe Cajus Mævio, Mævius Sejo, Sejus Sabino. Sabinus quarto infeudare non potest; & si infeudet, senior a quarto revocat, *d. §. in quibusdam h. t.* Atque in his subinfeudationibus, nihil aliud transferri contingit, quam illa facultas, vel primo vasallo, vel secundo, & deinceps competens percipiendi ex prædio feudali, aut jure fructus, & commoditates, quas ipsemet vasallus esset percepturus, si non subinfeudasset; quod utile dominium subalternum Interpretes appellant. Apud infeudantem vero aliquod civile dominium, seu naturale, fructuum, & utilitatis expers, remanet, quo a subvasallo servitia, & fidelitatem exigere valet, & subvasallus ad ea aut similia onera se obligat. Licet enim vasallus infeudatione investituræ ordinem mutare non valeat; arctiori tamen lege, quam ipse tenet, in alium transferre non prohibetur, Curt. *par. 1v. n. 83.* Denique hæc infeudandi facultas sæpius cessat, si quis ab ecclesia decimas in feudum tenet, si aliter consuetudo jubet, si pactum sit, ne subinfeudaret *cap. 19. de decim.*, Scrad. *loc. cit. n. 17.*, dixi *lib. 11. 20. 56.* Sic Dux Lotharingiæ Henricus *an. 1212.* apud Mireum *loc. cit. cap. 94.* *Similiter & feudum de Offendrecht sicut hi, qui ante a nobis hoc tenuerunt, ipsi Godfrido contulimus in feudum, tali conditione adjecta, quod Stakers-loo & Offendrecht ipse in propria persona vel heres ejus, qui Bredam tenebit, idem feudum semper a nobis habebit, nec alium infeudare poterit.*

Quarta pars de controversia senioris, & vasalli agit, quæ amissionem feudi attingit: Dominus inquit, quod tenes in feudum, a me

me habes; vasallus si scienter, & dolo malo negat, feudo cadit; si ignoranter, non amittit, §. *ult. h. t.*, dixi *lib.* 11. *f.* 26.

TITULUS XXXV.

De Clerico, qui investituram facit.

OLim hic titulus antecedenti annexus erat; & supra ex lege Conradi generali quasdam proposuit regulas, & Mediolanensis Civitatis deinde consuetudines; nunc in hoc titulo generalem quoque regulam, postea Ecclesiæ Mediolanensis morem describit.

§. CVII.

De obligatione Clerici investientis.

Regula est: Si clericus de propriis bonis, vel laicus Investituram Titio fecerint; ipsi, & eorum successores adimplere tenentur. Sicut & si clericus de bonis Ecclesiæ feudum constituet, & tempore investituræ possessio illorum bonorum penes eum erat, tam ipse, quam suus in Ecclesia successor adimplere, hoc est Titium in veram feudi possessionem inducere tenetur, *princ. h. t.*, *cumque de bonis ecclesiæ eam fecerit, si possessio rei pro beneficio investituræ penes eum fuerit; ipse, & ejus successor ipsam adimpleant: quod etiam in laicis contingit.* Hæc verba obnituntur textui *in* 1. *f.* 25. ibi, *si dominus, qui investivit, forte sit clericus, & contigerit, ut ante moriatur, quam vasallus possessionem feudi nancisceretur. Exinanitur feudum, quod generaliter in omnibus Clericis, qui feudum dant, observatur.*

Distinguendum, si clericus, vel laicus in propriis bonis feudum erigit, ipsi, & eorum successores investituram, qua vasallo jus est quæsitum, adimplere tenentur. Aut Clericus de bonis suæ Ecclesiæ antea Titio infeudatis, vivente Titio, Mævium investivit; deinde feudum morte Titii, ad Ecclesiam rediit, Clericus necessario realem investituram Mævio dare cogitur, & si non adimplevit, ejus in Ecclesia successor implet. Rationem *hic* feudista addit, quia possessio beneficii jam penes Clericum reperitur, & investito jus jam quæsitum fuit. Nam omnia juris feudalis effata loquuntur, si Prælatus investitor prius decedat, quam feudum tenens, tunc successor Prælati non obligatur. E contra igitur, si vivo Prælato, feudum apertum fuerit, contra eum, & successorem agi potest. Textus in *in d.* 1. *f.* 2. sensit de clerico ante defuncto, quam feudi possessor moreretur, & successorem non obligat; quod *expectativam* vocamus, Andr. *in* 1. *f.* 9. *n.* 2., Giphan. *diput.* IV. *juris feud. n.* 36. *&* 37. Rothius *in Pand. feud. cap.* XII. *q.* 39., Curt. *par.* 2. §. *quinto principaliter n.* 3.

Prosequitur hic feudista: *ubi vero de alterius feudo fecerit investi-*

stituram, si quidem pure, non valeat: sed si sub tempore, vel conditione, quo feudum sibi aperiatur, valebit investitura, etiam sine voluntate vasalli facta. Si tamen ante decesserit investitor, quam feudum ad eum revertatur, successor non cogitur eam habere ratam: aut cum se vivente feudum apertum fuerit, possessionem tradat, & investituram adimpleat, h. t., & idem *in* 1. *f.* 9. Si Mævius feudum ab Ecclesia tenet, & Clericus, vivo Mævio, de eodem feudo Titium pure investit, investitura non valet, nisi Mævius, qui possidet, consentiat. Si sub conditione, dum feudum investienti fuerit apertum, & valet, etiamsi Mævius non consentiat. Verum si ante investitor Clericus decedat, quam sibi feudum aperiatur, ejus successor investituram adimplere non cogitur. Ratio, quia successor non jure hereditario, sed electionis, hoc est non voluntate defuncti, sed beneficio eligentium succedit; idcirco ejus factum ratum habere non cogitur, Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *c.* 21., dixi ab *d.* 1. *f.* 9. Denique, licet Episcopus, vel quilibet Ecclesiæ Prælatus sine solemnitatibus bona Ecclesiæ infeudare non possint, tamen si in *Dominico*, hoc est domanio Ecclesiæ feudum ei apertum, seu res solitas infeudari Ecclesiæ devolutas inveniant, iterum alii in feudum concedere valent. Quæ facultas Mediolanensi Archiepiscopo non competit; suspicor, ne bona Ecclesiæ Prælatorum Mediolanensium avaritia, atque abusu dissiparentur.

TITIUS XXXVI.

An mutus, vel alias imperfectus feudum retineat.

HIc quæritur ob investituram a Clerico de bonis Ecclesiæ pure, vel sub conditione nuper factam, an mutus, surdus, cæcus, claudus, aut aliter imperfectus feudum jam legitime adquisitum retineant? Duas opiniones refert, Gerardi, & Oberti, & aliorum: Gerardus, & Obertus, aliique retinere asserebant, etiamsi natura sic eos creaverit. Aliis vero placuit, eos a natura ita creatos, *feudum retinere non posse, quia ipsum servire non valet. Sic dicimus & in clerico, & in fæmina, & in similibus h. t.*

§. CVIII.

De feudo ab imperfectis retinendo.

Hic duas enarrat sententias, sed quænam obtinuisset, tacet; quinimo alter textus *in* 1. *f.* 6. huic se opponit, *Mutus feudum retinere non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur: sed si feudum fuerit magnum* (Cujac. legit *paternum*, quem Hotom. & Pistor arguit) *quo ei ablato se exhibere non valeat, tantum ei relinqui debet, unde se sustinere possit. Et his omnibus casibus feudum amittitur, & ad Dominum revertitur.* Et quod de muto, inquit, de surdo, cæco, aut aliter imperfecto intelligi videtur; & quamvis ulti-

ultima opinio adprobari, sæpius soleat, tamen non semper id tutum censetur. Vehementer Interpretes apud Hart. Pistorium *lib.* II. *q.* 32., & Hartm. Vultejum *lib.* I. *c.* 9. *n.* 114. disputant. Ego, prætermissa contentione, quid securius & æquitati, & juri Longobardo conveniat, & receptum sit, exponam.

Primo distinguam: Aut senior sciens prudens Mævio, finge, cæco, muto, surdo, similique morbo laboranti feudum concedat, vel agnatis non existentibus, consensit, ut succedat, feudum retineat, & de hoc nemo dubitat, quin concessio, & retentio valeat, quia, etsi servire non possit, tamen servitia senior remisisse præsumitur. Nam quilibet favori a lege, vel pacto sibi concesso renunciare valet. Aut Mævius corpore sanus de feudo novo, quod personale servitium requirit, investitus est, & postea imperfectus, sive sua, aut alterius culpa evasit, & feudum amittit, quia servire non potest, etsi, suadente æquitate, per substitutum servire videretur. Aut hoc feudum non personale, sed reale servitium, nempe annuam vini, olei, frumenti, aliusve præstationem exigit, & Dominus velit nolit, agnatis etiam capacibus vivis, ad feudi successionem, vel retentionem admittere tenetur, quia nullum ei damnum affertur. Aut de successione feudi paterni agitur, & si ita natus sit, non succedit, quia servire nequit, & noster textus in fine adprobat, qui de feudo antiquo loquitur, clerico, & fœminæ eum comparat. Si vero ex accidenti imperfectus est, non succedit, sed aliquid alimentorum nomine a feudo percipit, ut nonnullis visum est. Verum textus noster totum feudum retinere significat, ibi *quidam tamen dicunt, eum qui talis natus est feudum retinere non posse,* igitur qui ex accidenti talis est totum retinet. Textus *in* I. *f.* 6. de feudo novo loqui videtur, in quo alimenta percipit, sed ibi dixi. Hodie omnis disputatio cessat, cum moribus Europæ hujusmodi personæ succedant, retineant, &. per substitutum serviant, Fred. A Sande *ad consuetud. Gelr. tit.* III. *c.* I. §. I. *n.* 5., P. Ludewig. *lib.* II. *feud. opusc.* 2. *dissert.* 19.

TITULUS XXXVII.

An ille, qui interfecit fratrem Domini sui feudum amittat.

NUper visum est, quomodo ex vitio corporis vasallus feudo cadit, nunc quomodo ex felonia amittat. *Si quis interfecerit fratrem Domini sui; non ideo beneficium amittit: sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, ut totam hereditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit: verbi gratia hominem tradendo ut in curia amplius stare non possit, privabitur beneficio: quia tamen erga Dominum non fuerit facta, ad agnatum proximiorem feudum pertinebit, si paternum fuerit.* Eodem prorsus observantur quantum ad ordinem

nem gradus, qui continetur in legibus. Cum autem ad Dominum respicit felonia, feudum tunc domino aperitur. Si vasallus proditorie, injuria, & contemptu senioris fratrem ejusdem senioris occidat, feudum amittit. Secus si nec proditorie, nec domini injuria interficeret, videlicet casu, vel servate inculpatæ tutelæ moderamine, tunc feudum retineret. Aut vasallus proprium fratrem necat, ut *totam hereditatem habeat*, quam eorum pater reliquit, & feudo expoliatur. Ratio differentiæ est, quia proprium fratrem occidens, magis peccat, & delinquit, quam si fratrem domini necaret, *l. 1. D. ad l. Pompej. de Parric.* Aut si alium hominem proditorie sine caussa, voluntarie occidat, etiam feudo cadit, quia sine dedecore in Curia senioris morari non potest, nec fidelis censetur, Alver. *hic n. 3. & 4.* Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli n. 15.* Aut si alium convasallum, sive parem Curiæ, sicut si quis suum commilitonem interficiat, capitali sententia punitur *l. 6. §. 6. D. de re milit.*

Hujusmodi feloniæ speciebus feudum ad agnatos vasalli, non dominum redit, si paternum fuerit, quia in seniorem non commisit, dixi *lib.* 11. 31. *feudor.* Denique *in fin. h. t.*, inquit, *non cogitur vasallus omnino secundum usum mediolanensem* (& jus commune) *dominum adire, & servitium ei offerre; sed cum nunciatum ei fuerit, tunc domino, si potest, serviat*, 1. *f.* 21. 11. *f.* 26. §. *licet vasallus*, nisi magnum immineat seniori periculum, aut dies pro homine interpellet.

TITULUS XXXVIII.

De vasallo, qui contra constitutionem Lotharii Regis beneficium alienavit.

Alteram privationis caussam exponit, nempe si vasallus contra Lotharii legem, feudum, inconsulto Domino alienavit. Si totum alienavit, totum; si partem, partem amittit, quia pœna delicto æqualis esse debet, modo sciens prudens alienavit. *Si vasallus contra Constitutionem Lotharii Regis beneficium alienaverit: si totum perdat totum: si partem, partem perdat, & ad dominum revertatur. Et ideo si contra unum dominorum quorum communis vasallus erat, fecerit feloniam, eum forte cucurbitando: ejus solius parte privabitur, & si voluerit unius partem refutare, aliis sibi reservatis, hoc facere poterit:* 11. *f.* 26. §. *si vasallus feudum.* Hinc si vasallus Mævium, Titium, & Cajum seniores recognoscit, & contra unum ex his, puta Mævium feloniam committit, illa feudi parte privabitur, quam a Mævio offenso tenet, ceteras non amittit, ne pœna delicti fines transiliat.

§. CIX.

§. CIX.

De refutatione feudi.

Quemadmodum & partem, quam ex uno seniore habet, refutare valeat, quin senior consentiat, aliis partibus reservatis, *quia vasallus etiam sine Domini voluntate. recte feudum refutare potest. Post refutationem tamen ad serviendum non tenetur; sed eum quidem tunc offendere non debet b.t.*, II.*f*.14. Si totum, igitur etiam partem refutare valet, idem jus in toto, quod in parte est *l.76. D. de R.V.* Nam ex juris Longobardici dispositione vasallus, etiam invito Domino refutare, & subinfeudare potest. Sive feudum simplex, sive certum, vel sub conditione servitium contineat. Quicquid Interpretes communiter sentiant, cum lex non distinguat. Si refutatio *intempestiva* non fuerit; secus dolo malo facta præsumitur, & Dominus prohibere, atque impedire potest. Nec refutatio extraneo facta, sed descendentibus, atque agnatis valet, secus alienatio diceretur, & senioris consensu opus esset. Nec si Domino fiat, refutantis agnatis nocet; quum, mortuo refutante, recte illud revocant Curt. *part.*IV.*n.*147., Struv. *f.j.f. cap.*XII. 14., dixi ad *d.* II.*f*.14. Nihilominus, acta refutatione, refutans suum seniorem offendere non debet, si offendit, ob præteritæ amicitiæ, & fidelitatis memoriam magis punitur, quam si alius offendisset.

TITULUS XXXIX.

De Alienatione paterni feudi.

EAndem alienationis rem prosequitur; & in tres partes dividit; prima pars *de feudi antiqui alienatione*, secunda *de controversia inter seniorem, & vasallum*; tertia *de felonia, & culpa vasalli agit.*

§. CX.

De solemnitate alienationis.

Prima pars generalem regulam complectitur; *alienatio feudi paterni non valet, etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reversurum princ. b.t.*, I. *f.* 8. §. I. Duplex est feudi alienatio novi, & antiqui; novum solo senioris consensu indiget; antiquum senioris, & alienantis agnatorum voluntatem exposcit. Si est feudum Ecclesiasticum consensu Episcopi, vel Prælati, & Capituli opus est. Nomine agnatorum proximiores veniunt, qui jure revocandi, & prælationis fruuntur; nec consensus unius alteri nocet; nec consensus agnatorum, qui nunc sunt, nascituris præjudicat. Nam omnes investitura vocati jus vindicant, estque tanquam fideicommissum familiæ relictum, quod ex familia exire non potest, & unus alteri restituere tenetur. Hinc vasallus filiæ sine agnatorum consensu feudum antiquum alienare prohibetur, quia filia est extranea, nec in feudo succedit.

dit. Si de feudo ageretur, & vasallus in filiam transfert, Dominus feudum jam sibi commissum huic filiæ concedere posset, quum de jure suo disponat, I. *f.* 24. Nam vasallus novum feudum in filiam, & quemlibet extraneum senioris consensu potest. Si feudum antiquum esset, & pater consensu domini filiæ renunciaret, renunciatio valet, donec pater vivat, etiamsi agnati non consensissent. Sicut si refutaret domino, refutatio tamdiu valet, quamdiu refutans vixerit, nec agnatorum consensu opus est, Andr. & Alver. *hic*, Scrad. *par.* VIII. *c.* 5. *&* 6. Hic agnatorum consensus, vel ratihabitio duos effectus gignit, ut ipsi, nec vivo alienatore, feudum alienatum jure protimeseos, nec mortuo, jure proprio repetere possunt II. *f.* 26. §. *Titius.*

A prima regula excipit, *& licet prohibeatur beneficii alienatio, inter agnatos tamen, si paternum fuit, concederetur. Et si libellum unus alteri fecerit de feudo paterno, non est libellus, sed quasi refutatio.* Nomine agnati intelligitur proximior, ne successionis ordinem mutet, & ne juri agnato prius quæsito noceat. Nec feudum de familia exit, quia hæc alienatio nihil aliud est quam jus agnati *accelerare*, & ante possidentis mortem ad feudi successionem *invitare*. Unde feudista hanc alienationem pro refutatione, quæ, invito etiam domino, fieri potest, interpretatur; quia refutationis effectus producit. Etenim si unus agnatus nomine libellatico alteri proximiori agnato feudum suum dederit; hæc conventio non libellus, sed refutatio vocatur, & patet: quia mortuo eo sine liberis, feudum ad agnatos, non dominum devolvitur, Curt. *par.* IV. *n.* 146., Alver. *hic*, Pistor *lib.* II. *q.* 6. *n.* 16.

§. CXI.

De foro feudali.

Secunda pars etiam regulam exhibet, *si inter Dominum, & vasallum de beneficio fuerit controversia, coram paribus finiatur*, I. *f.* 10, I. *f.* 22., II. *f.* 16., II. *f.* 19., nec refert, cujusnam conditionis, aut dominus, aut vasallus, inferior, an superior fuerit; in lite feudali inter Imperatorem, & vasallum pares judicabunt, Duaren. *cap.* 20., Curt. *par.* VII. *n.* 34. Postea satis obscure noster Auctor subdit, *ubi autem dicit vasallus prius de suo recto feudo debere se a domino investiri; si quidem sine controversia de alio sit vasallus, indubitanter primo investiendus est: & postea cognoscendum est, quod sit suum rectum feudum, aut quod non. Sed si nihil aliud ab eo tenet pro beneficio, nisi de quo controversia est; tunc tota caussa prius ventilanda est; & sic videndum, utrum postea investiendus sit.* Species est: Mortuo seniore, Mævius ab ejus successore investituræ renovationem petit, heres senioris negat Mævium

vium esse vasallum; Mævius, inquit, se prius de feudo investiendum, antequam rei veritas appareat. Pares Curiæ ita se gerere debeant; ut si Mævius est etiam vasallus de alio feudo, quod quiete ab eodem domino recognoscit, & de feudo controverso investituram ostendit, statim investiendus est, & fidelitatem jurare tenetur, postea Pares principalem caussam, nempe an investitura valida, vel non fuerit, cognoscent. Nam domino hic judicandi ordo non nocet, dum de feudo litigioso a vasallo fidelitatem recipit postquam Mævius est verus vasallus de alio feudo, quod ab eodem tenet. Verum si Mævius nullum aliud feudum a Domino tenet, nisi illud, de quo controvertitur, tunc non est investiendus, sed statim principalis caussa cognoscetur, Alver. *hic*, Cujac. 11. *f.* 20.

§. CXII.

De felonia, & culpa.

Tertia pars est de felonia, & culpa: Feloniæ probatio, nempe illius criminis, quod vasallus contra fidelitatis capitula, aliudve crimen atrox commisit, legibus Longobardorum duello fiebat, *lib. II. LL. long.* 56. *l.* 30. *quibuscumque per legem, propter aliquam contentionem, pugna fuerit judicata, præter de infidelitate, cum fustibus, & scutis pugnent, sicut in capitulari Dominico prius constitutum est.* Videlicet felonia gladiis; non fustibus in duello probanda est. Hæc tamen consuetudo, & lex Mediolani non obtinuit, & probatio paribus Curiæ, brevi testato, vel extraneis testibus peragebatur. Et jure Longobardo sicut dominus duello vasalli feloniam, ita & vasallus feloniam senioris duello probare potest, ne ad imparia judicentur. Culpa vasalli erit, si dominum a morte liberare potuit, & non liberavit, quod crimen in omittendo dicitur, 1. *f.* 21. 11. *f.* 26. §. *licet vasallus*, §. *non est consuetudo*, & §. *si a morte h. t.* verbum *potuerit* in textu, inquit, Alverotus intelligit, *si commode* potuerit. Quod non placet: quia vasallus pro aris, & focis seniorem adjuvare tenetur, omnemque lapidem movere, ne damnum sentiat.

Fateor vasallum salutem senioris propriæ saluti præponere non cogi, aliter potius delinquere, quam bonum agere dicitur. Denique in fine *d.* §. *si a morte*, addit, *sed licet potuerit facere, ne dominus in peccatum præcipitetur, veluti perjurium; non tamen feudo privandus erit;* ut si dominus æs alienum contraxit, & solvere juravit; si solvere ob paupertatem nequit, in perjurium incidit, a quo vasallus liberare non obligatur. Hæc obligatio in Capitulis fidelitatis non occurrit, & vasallus, bona animi, & corporis, & fortunæ, non animam senioris a periculo liberere cogitur.

TITULUS XL.

De Capitulis Conradi.

HActenus de nonnullis vasalli obligationibus, nunc alias enucleat; atque si Alveroto fides, olim titulus XXVIII. usque ad 50. perdurabat, quos Glossographi ordinis gratia diviserunt. Hic quatuor partes continet: Prima *de investituræ petitione*; secunda *de revocatione feudi alienati*; tertia *de servitio*; quarta *de feudi ecclesiastici privatione* disputat.

§. CXIII.

De renovatione investituræ.

Prima pars: Inquit Imp. Conradus II., *si post mortem domini vasallus, vel post mortem vasalli heredes ejus per annum, & diem steterint, quo dominum, vel heredem ejus non adierint, fidelitatem pollicendo, & investituram petendo; si tale sit beneficium, ut fidelitas sit præstanda, ipsum perdant; sicut & antiquitus consuetudo fuit, sed non Mediolani, princ. h. t.*, & I. *f.* 22., II. *f.* 24. §. I., II. *f.* 52. *in fin.*, II. *f.* 55. §. *præterea si quis*. Hæc renovatio faciunda, cum vel dominus feudi, vel vasallus mutatur, nec aliquid novi juris tribuit, sed pacta, qualitates, & conditiones investituræ appositas reficit, atque obligationes vasallum inter & Dominum recolit, & redintegrat, ut vasallus ex Domini potius benevolentia, quam Defuncti beneficio feudum tenere intelliget, Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 100. Tempus est annus & dies, quod a morte senioris, vel vasallo, sciente successore, nec legitime impedito currit, nec petere dumtaxat juvat, sed fidelitatem pollicet oportet, & qui fidelitatem facere recusat, investituram non meretur II. *f.* 3. *in fin.* Nisi fuerit feudum, cui pacto convento Dominus in investitura juramentum remisit; cum aliud sit fidelitas; aliud jusjurandum. Fidelitas omni feudo inhæret, nec remitti pacto, vel consuetudine potest. Jusjurandum inhæret, & inesse præsumitur, sed pacto fieri valet, ne juretur, & feudum nascitur, quod respectu fidelitatis non jurata improprium vocamus. Si intra hoc tempus lege Conradi, & communi consuetudine investituram non petet, feudum amittit, quod Mediolani non obtinuit, II. *f.* 24. *princ.*, Cutt. *par.* IV. *n.* 45.

§. CXIV.

De revocanda alienatione.

Secunda pars de revocatione feudi, *ut liceat Dominis omnes alienationes feudi factas, nulla obstante præscriptione, revocare* §. *præterea h. t.* Si vasallus, inconsulto seniore, feudum alienat, non *obstante præscriptione*, senior revocat. Nomine *præscriptionis* venit hic tempus X. vel XX. an., quia alienatio, lege prohibente, non valuit, & qui alienare prohibetur, pati usucapionem non potest *l.* 28. *D. de*

D. de V. S., qui patitur rem ufucapi, is alienare cenfetur. Sicut & Maritus, Lege Julia, fundum dotalem alienare nequit, tenetur, fi eum ufucapi paffus fit, quia fua patientia pro alienatione eft *l. 16. D. de fund. dotali*. Verum excipitur præfcriptio xxx. an. quæ omnem actionem perimit, eique nec Conradus hic, nec Fridericus *in* II. *f.* 55. *princ.* derogare voluit, & tanto temporis lapfu Dominus emptorem vafallum agnofcere cogitur, Glof. & Alver. *hic*, Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 22., etfi aliis tempus immemoriale requiri videtur, ut Claro *in* §. *feudum*, *q.* 45., quod non placet, cum jure Longobardo præfcriptione xxx. an. res allodialis feudalis & viciffim evadat.

§. CXV.

De feudali fervitio.

Tertia pars eft de fervitio: *In petendis hoftenditiis (hoftenditia dicuntur adjutorium, quod faciunt Dominis Romani cum Rege in hoftem pergentibus) vafalli, qui cum eis non vadunt; verbi gratia in Lombardia de modio* XII. *denarios; in Theutonica terra tertiam partem fructuum facta computatione fructuum folummodo ejus anni, quo hoftem faciunt* §. *fimiliter h. t.* Omnis fervitiorum ratio in vafalli opera confiftit, belli, & pacis tempore, confilio, atque auxilio pro fenioris vita, honore, & bonis præftanda, præcipue militaris; five Imperator, Rex, vel alius Princeps expeditionem egredi, vel imperii coronam a manibus Pontificis fufcipere debeat; ut ejus Majeftas fpendorem retineat, & confervet, & ab infidiis hoftium in itinere fecura ambulet. His enim fervitiis Comites, Marchiones, Duces, vafalli, & valvafores, & fubfeudatarii obnoxii funt, I. *f.* I. *in fin.*

Aliquando vafallus non ipfe, fed fubftitutum mittit, vel *hoftenditias* folvat. *Hoftenditia* vox dicitur ab *hofte*, quæ exercitum, & caftra fignificat, *lib.* II. *LL. Longob.* 18. *l.* 5. *quæ in hofte factæ funt hactenus traditiones, de quibus nulla quæftio eft, ftabiles permaneant. Si vero aliquis alii res fuas tradiderit, & in hofte profectus fuerit &c.* Aut ab *Hofte*, voce Teutonica, quæ fervitium in exercitu, vel pecunia, qua illud redimitur, oftendit, Strauchius *differt. de Hoftenditiis* §. 2. Hoftenditiæ funt adjutoria, feu fubventiones, quas vafalli præftant, fi ad expeditionem, vel Comitatum pergere cum fuis dominis nolunt. Simile *Scutagio* Brittannorum, quod eft fervitium fcuti in bello ferendi dominum adjuvandi cauffa. In Lambardia de quolibet modio feudalis terræ XII. denarios, in Alemannia tertiam fructuum partem d. §. *fimiliter*, ex Conft. vero Frid. I. *in* II. *f.* 55. §. *firmiter* dimidium reditus unius anni dominis perfolvunt, Gudelin. *par* IV. *c.* 6. *n.* 4. Hine Fridericus feudorum quo-

que alienationem vetuit, ut has præstationes vasalli necessitatis tempore solvere possent. Quæsitum est, an propriis sumptibus servire vasallus teneatur? Respondeo; si extra senioris territorium servit, sumptibus senioris; si intra territorium, sumptibus vasalli, modo clientela fructuosa fuerit. At pacta investituræ inspici oportet, quæ totam Clientelæ naturam, & qualitatem regunt, Zasi. *par.* VII. *n.* 42., A Sande *loc. cit. tract.* 3. *c.* 3. *n.* 18.

§. CXVI.

De felonia Prælati.

Quarta pars: Si Episcopus, Abbas, vel quilibet Prælatus a Rege feudum teneat, *datum non solummodo personæ, sed ecclesiæ, ipsum propter suam culpam perdat, eo vivente, & ecclesiasticum beneficium, vel honorem habente, ad Regem pertineat; post mortem vero ejus ad successorem ejus revertatur*, §. *item si h. t.*. Jure canonum, & Longobardo quælibet Ecclesiastica, sive superior, sive inferior persona a laico, aut ab alio Ecclesiastico feudum accipere potest, d. §. *item si, & cap.* 6. *&* 7. *de foro compet.*, Blanc. *lib.* I. *c.* 5. *n.* 10. Et dupliciter contigit: vel Rex, aut quilibet privatus Clericum sui dumtaxat, non Ecclesiæ contemplatione investit, contracta felonia, a feudo perpetuo cadit. Aut illud Ecclesiæ concessit, quod præsumitur, & si Prælatus, vel Rector feloniam perpatrat, donec Prælatus vivit, feudum, hoc est fructus feudi ad dominum redibunt; mortuo Prælato, feudum rursus ad Ecclesiam transit. Hinc Prælati delictum Ecclesiæ nocet, sed favore Ecclesiæ, non perpetuo nocet, quum morte rei, feudum recipiat, Struv. *s. j. f. Cap.* XV. 15., dixi *lib.* IV. 12. §. 24.

Exemplo juris Romani diligentius dicam: Papinianus *in l.* 2. *D. de Rebus dub.* legatum, inquit, vel fideicommissum Civibus datum, Civitati relictum videri. Verosimilius est, testatorem, non singulis Civibus, sed Universitati Civium legare voluisse. Relictum sacerdotibus, vel clericis certæ Ecclesiæ, non ipsis, sed Ecclesiæ relictum interpretamur, Scævola *in l.* 20. §. I. *D. de annuis leg.* Si testator, inquit, *do lego prædium Episcopo illius Ecclesiæ*, legatum non ad Episcopum, sed ad Ecclesiam pertinebit, *l.* 41. *C. de Episc. & Cler. cap.* 15. *de Testam.* Si quis Ecclesiæ aliquid donat, & illius Prælatus in donatorem ingratus fuerit, donatio revocari non potest, cum Ecclesia non deliquerit. Nemo alienum sustinet odium, crimen, pœnam *cap.* 22. *de R. J. in* VI. Sed si fructus rei Ecclesiæ donatæ, ad Prælatum pertinet, donec vixerit, privandus erit, & successor deinde percipiet, Voet *tit. D. de donat. n.* 23. Hujusmodi itaque sunt Conradi II. Capitula, quæ in Roncalia (male *Romanidola* legitur) constituit, quæ & Lotharius, & Fridericus retinuerunt.

TI-

TITULUS XLI.

De controversia inter masculum & faeminam de beneficio.

EX. Conradi auctoritate plures nuper controversias definivit, ceteras prosequitur. Tres hic controversiarum species continet.

§. CXVII.

De dissidio fratris, & sororis.

Prima est: Maevius, sorore, & fratre superstitibus, vel agnato, & filia decessit, frater, inquit, quod defunctus possedit, non allodium, sed paternum feudum esse, a quo soror, & qualibet faemina repellitur. Soror reponit, fuisse allodium. Feudista respondit, *nisi apertis probationibus faemina ostenderit non esse feudum, creditur masculo cum suo sacramento affirmanti cum duodecim sacramentalibus.* Ratio, quia praesumtio favet masculo, quem ad successionem feudi lex invitat, & faeminam generaliter repellit, idcirco eam cogit, ut apertis probationibus actionem suam probet. Si non probaverit, vasallus cum XII. sacramentalibus illud esse feudum jurare debet, & vincet. Hoc jusjurandum tunc judex defert, cum aliqua praesumtio pro vasallo annuit. Pendente judicio, soror in feudi possessionem immittitur; atque si nulla praesumtio est pro agnato, sed pro faemina, haec jurare tenetur, & obtinebit, II. *f.* 26. §. I, ibi dixi.

§. CXVIII.

De dissidio senioris, feminae & emptoris.

Secunda: si inter dominum, & faeminam contentio oritur; dominus feudum esse, inquit; faemina negat. *Probationibus deficientibus, detur faeminae sacramentum* §. *sed si, h. t.* Si enim dominus non probet; judex jusjurandum faeminae deferat, quia possidet, vel aliqua erat praesumptio, quae judicis animum movere poterat II. *f.* 33. §. *sacramentum*.

Tertia, si dominus, & emptor feudi inter se certant: Emptor, inquit, rem, quam emit, esse liberam, & de venditoria allodio; dominus esse feudum asserit. *Domino in probatione deficiente, sacramento emptoris definiatur*, §. *item si h. t.*. Probatio incumbit domino, quia qualibet res praesumitur libera, quum libertas & in rebus, & in homine primum a natura descendat, quaeque persistere semper creditur, donec servitutis impositio probetur. In fine subjungit; *quidam tamen distinguunt; ut si magna eorum pars, qua vasallus ibi tenebat, feudum sit; detur domino sacramentum, alibi faeminae*, Cujac. *lib.* IV. *feud.* 50. verba *alibi faeminae* delet. At Glossa, Andreas, Alverotus, & Ravenna tenent, hanc distinctionem tribus casibus nuper expositis convenire, quia eadem aequitas, & praesumptio durat; & aliquam probationem inducit, ut majori probatione deficiente, jusjurandum deferatur; quod placet.

TI-

TITULUS XLII.

De controversia inter dominum, & emptorem feudi.

Aliam hic dirimit quæstionem: Vasallus, illaudato domino, feudum alienavit, dominus contra emptorem agit, ut sibi feudum restituat, quia vasallus venditor alienatione lege Lotharii, & Friderici vetita, illud amisit. Quid juris?

§. CXIX.

De restitutione feudi alienati.

Respondet Auctor, *si vasallus jurare poterit, quod ignorans esse beneficium, vendidisset, credens proprium: electioni emptoris committitur, utrum domino velit ipsum cedere, an vasallo restituere. Obertus dicit omnia vasallo restituenda. Quo restituto, id beneficium vasallus retinebit, non nocente, nec obstante venditione, eo quod ignorans alienavit: & quod dicitur alienatione feudum aperiri domino, intelligendum est, cum a scientibus alienatur beneficium. Et quod dicitur de venditione idem est in omnibus alienationibus*. Regula juris est, feudum sine consensu domini alienatum, domino aperiri, si scienter alienavit. Secus si ignorantia & quidem justa, tunc excusatur, 11. *f.* 26. §. *si vasallus feudum*. Ut si defuncto successit, qui diu seniori non servierat, *l.* 42. *D. de R. J.*, nec vasallo creditur, si suam ignorantiam allegat, nisi juramento confirmet. Si vero ignorantia est *supina*, vel *juris*, dum Lotharii, & Friderici leges nesciebat, nec jusjurandum deferri oportet, ne perjurio ansa præstetur. Ignorantia supina est, si tanquam agnatus successit, si a domino requisitus, servivit, si investituræ renovationem accepit, si in Curia stetit. Hæc nunquam excusat, Zasi. *par.* 1. *n.* 12. & 13. Nec in jure feudali sancitum, obtentumque est, mulieri *juris* ignorantia erranti subveniri, nec militi, nec minori xxv. an. Schenck *bic*.

Alienatum ignoranter feudum emptor in judicio a seniore conventus, ut restituat; emptor electionem, vel vasallo, vel seniori restituendi habet. Si vasallo restituit, ab eo id quod interest, petit; si domino, interesse amittit. Senior ab emptore feudum petit, qua actione? Aut rei vindicatione, aut interdicto adipiscendæ possessionis, aut condictione ex lege, qua possessio, non proprietas avocabitur. Nemo rem suam condicit, nisi a jure *l. ult. in f. D. Usufr. quemadm.* Schenck *loc. cit.* Si emptor ignorans feudum emit; si sciens rem esse feudalem, & alienari prohibitam emit, interesse consequi non potest, *d.* §. *si vasallus*, 11. *f.* 55. §. 1. Et statim ac vasallus illud esse feudum cognoverit, ab emptore petere propria auctoritate valet, quia venditio ipso jure nulla censetur. Denique

sub

sub nomine venditionis, qualibet alienationis specie comprehenditur, *in fin. h. t.*

TITULUS XLIII.

De controversia inter vasallum, & alium de beneficio.

Controversia proponitur, & jus, quod vasallus in judicio comparendi, atque agendi habet: Mævius vasallum convenit, & inquit, feudum suum esse, vel partem, vel aliquod jus, nempe servitutem vindicat. Vasallus in judicio comparere potest, & usque ad definitivam sententiam persistere: sive dominus præsens, sive absens fuerit, *& si pro eo, aut contra eum judicatum fuerit, vel cum adversario transegerit, dummodo fraudulenter actum non sit, etiamsi post beneficium domino aperiatur, rale erit, ac si eo caussam agente judicatum fuisset; & ideo ab eo ratum haberi oportet, b. t.* 11. *f.* 26. §. *si vasallus de Beneficio.*

Ex quo deducitur, ob utilis dominii translationem vasallo competere facultatem in judicio agendi, etiamsi dominus ignoret, & quod vel Pares Curiæ, vel Judex ordinarius decreverit, Dominus ratum habere cogitur. Etiamsi de feudo transegerit, modo & transactio, & actio sine fraude facta, & proposita sit. Et sicut exceptio rei judicatæ vasallo nocet, & obstat, ita & domino, non secus ac contra ipsum judicatum esset, quia vasallus caussam a domino cognoscit, & procurator, etsi in rem suam vocatur. Nec proprie in persona domini, & vasalli res inter alios judicata aliis non noceat, locum habet. Hinc si dominus vellet feudum revocare, aut ob feloniam vasalli, aut lineæ interitum, postquam judex sententiam tulerit, rei judicatæ exceptione repellitur, quæ vasallo, ex cujus persona agit, obstaret. Atque Hotomanni calumnia evanescit.

TITULUS XLIV.

Quid juris, si post alienationem feudi vasallus id recuperaverit.

Plura de feudorum alienatione egit, nunc declarat, quomodo regula quæ feudum alienatum domino concedit, intelligenda sit. Duas partes comprehendit.

§. CXX.

De feudo non alienando.

In prima parte, inquit: jure antiquo totum, vel partem feudi impune, sine senioris consensu alienare vasallo licebat; atque si postea recuperaret, penes eum jure feudi retinebatur. Hodie ex Lotharii constitutione *in* 11. *f.* 52. statim ac illicite sine Domini consensu alienat, illud amittit, & domino aperitur. Interpretes intelligunt, si traditio secuta fuerit; vel acta venditione, & traditione, vasallus, antequam quæstio

sibi

sibi moveretur, feudum recuperavit. Et quidem si vasallus vendit, donat, permutat, alium contractum celebrat, nisi traditio sequatur, feudum non amittit, etiamsi pretium receperit, II. *f.* 55. §. *calidis, ibi in alios transferunt.* Ante enim traditionem non dicitur alienatum, quia adhuc in dominio venditoris manet; nudus in venditione consensus non transfert dominium, nec venditio est modus transferendi, sed caussa *l.* 67. *D. de V. S. l.* 20. *C. de pactis* &c, nemine dissentiente, placuit, Sonsbec. *par.* XII. *n.* 99. Curt. *par.* IV. *n.* III., Struv. *s. j. f. cap.* XIII. 9. *n.* 4., Rosent. *cap.* IX. 12. *n.* 3. At, possessione vere, vel ficte semel translata, vasallus a pœna amissionis non excusatur, si postea etiam in incontinenti, & quæstione adhuc non mota, recuperaverit. Nam noster feudista, inquit, *hodie autem si ipsum alienaverit, si quidem illicite, licet postea recuperaverit, tamen penes eum non remanebit, ut pote domino, ad quemcumque pervenerit, apertum*, Duaren. *cap.* XIV. *n.* 18., Scrad. *par.* IX, *c.* I, *n.* 17., Rosent. *cap.* IX. 2. *in fin.* Nec jus domino alienatione vasalli quæsitum auferri potest.

§. CXXI.

De feudo recuperato.

Secunda pars instruit, *si domini voluntate vendiderit, per libellum, vel aliter alienaverit: si idem postea recuperaverit feudum penes eum remanebit, non jure beneficii, sed aut jure proprio, aut jure libelli, aut aliter: secundum quod idem recuperaverit. Dummodo scias, quod si ad libellum Domini voluntate id de dderit, si quidem pro libello ei datur singulis forte annis, & hoc jure feudi censebitur. Illud vero jus, quod per libellum transtulerit, & postea recuperaverit, pro beneficio non tenebit, sed velut alterius rei data per libellum, etiam feudum Domino refutaverit, libellum retinebit*; §. *profecto h. t.*, qui difficultate laborat. Mævius consensu senioris feudum vendidit, vel ad libellum dedit, postea idem feudum Mævius recuperavit; penes eum non jure feudi, sed aut jure proprio, aut libelli, aut aliter, sicut concessit; quia capit jus de novo ab eo, qui rem uti libellaticam tenebat, eodem jure retinebit, sicut ipse, qui dedit. Nam dominus sibi præjudicavit, quia ita consensit. Quod si quotannis ex libello censum percipiebat, jus percipiendi erit feudale, quasi loco feudi subrogatum, quum non omnino abalienaverit. Et si domino refutaverit, libellum retinebit, Camer. *in* II. *f.* 55. *p.* 39.

TITULUS XLV.

An Agnatus, vel filius defuncti possit retinere feudum, repudiata hereditate.

IN clientelarum successione insignis inter filios, & agnatos defuncti differentia existimatur. Filii, si succedere velint, necessario

fario hereditatem, & feudum defuncti acceptare, vel utrumque repudiare debeat, non vero hereditatem repudiare, & feudum amplecti. Agnati, repudiata hereditate, feudum accipere possunt, *princ. b. t.* & II. *f.* 51. §. *filius*. At maxima hac in re Interpretum juris feudalis, canonici, & civilis dissensio regnat, de quanam feudi specie noster auctor intelligatur? Nonnulli de feudo hereditario pro se, & heredibus quibuscumque concesso. Alii de feudo ex pacto, & providentia pro se, & liberis sive descendentibus masculis absque heredis expressione: Alii de feudo simpliciter dato, in quo nulla filiorum, vel heredum mentio occurrit: Ceteri de feudo tam pro heredibus, quam pro filiis, & descendentibus concesso interpretantur.

§. CXXII.

De differentia agnati, & filii.

Si contigerit vasallum sine omni prole decedere: agnatus ad quem universa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum, si paternum fuerit retinere poterit, nec de debito hereditario aliquid feudi nomine solvere cogitur. Sed in fructibus, si quos reliquit, ut de eis debitum solvatur, quo tempore decessit (secundum quod supra diximus) considerabitur. Ubi vero filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare: sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet, quo repudiato ad agnatos, si paternum sit, pertinebit. Si erit feudum novum, domino cedit.

Nos satis in prolegomenis *cap.* VIII. §. 41. de feudo ex pacto, & providentia, & hereditario enucleavimus; nunc investigari nostri textus mentem oportet. Jure Longobardo feudum ex pacto, non autem hereditarium innotuit, cui omnia, quæ a jure feudi disposita sunt, conveniunt. Suprema ratio ab Interpretibus non perpensa, mihi videtur esse, ut successio non defuncti beneficio, sed Principis, vel cujuslibet investientis liberalitate adquisita ostenderetur. Hinc unus ab altero non accipit, nec unus alteri nocere valet, nec unus factum alterius servare tenetur. Non itaque de feudo hereditario diu post nostri Auctoris ætatem ab Interpretibus, Bulgaro, & Pileo, uti creditur, invento, accipi potest, Pistor *lib.* II. *q.* 2., Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 238., Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* I. *n.* 30., Struv. *f. j. f. Cap.* IX. II. *n.* 2., P. Ludewig. *lib.* I. *jur. publ. opusc.* VIII. §. 8. (*o*).

Ratio autem inter filium, & agnatum est, inquit, Cujac. IV. *f.* 54., quia agnatus in feudo tantum genearchico, non in novo succedit, & ideo ab avo, proavo, seu communi stipite, non a defuncto accipere videtur; sed filius in antiquo, & novo feudo succedit, & a suo patre, non autem avo capit. Quæ ratio non pla-

placet Hotoman., qui *cap. xix. in fin. disput.* tenet, quia filius patris beneficio saltem secundario feudum adipiscitur, quatenus a patre esse accepit, ut familiae agnasceretur; & iniquum esset, si patris hereditatem desereret, & bona non citra defuncti patris ignominiam, sub hasta, & voce praeconis distrahi permitteret, Rothi. *in pand. feud. cap. iv. q.* 48. Quid si in hereditate debita, vel onera non sint? Sola reverentia, & defunctae nuper memoriae obsequium superesse videtur; Cum majores nostri magnum dedecus sine herede decedere existimarint. Hujusmodi rationes in agnato sibi non vindicant, quia agnatus a defuncto suum esse non accepit, nec ab eo descendit, separatum patrimonium habet, non a se, sed a primo adquirente feudum agnoscit.

Quaesitum est, an vasallus successor aes alienum solvere obligetur? Respondeo: duplex est successor filius, & agnatus. Filius sive in feudo novo ex pacto, sive in feudo antiquo succedit, debita, & factum patris solvere, & servare tenetur. Agnatus, si feudum, & hereditatem accipit, etiam aes alienum solvere debet; si, repudiata hereditate, feudum retinet, debita ab antecessore contracta e: olvere non cogitur. Noster feudista *hic, agnatus, ad quem unive.sa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum si paternum fuerit, retinere poterit: nec de debito hereditario aliquid feudi nomine solvere cogitur; sed in fructibus si quos reliquit, ut de eis debitum solvatur, quo tempore decesserit (secundum quod supra diximus) considerabitur.* Verum duplex est debitum, feudi, & hereditatis, debitum feudi, etiam ad agnatos generaliter, sive hereditatem repudient, sive adeant, transit; debitum hereditatis, non, nisi hereditatem recipiant; secus hereditariis creditoribus non tenentur. De fructibus tamen feudi illius anni, quo mortuus est agnatus, dum post martii Calendas decessit, oneribus hereditariis satisfacere debet, Camer. *in* ii. *f.* 55. *p.* 12. *&* 13. *& p.* 19., Andr. *hic*, ubi prolixe Lipar., Scrad. *par.* vii. *c.* 7. *n.* 31. Praeterea etsi agnatus in feudo ex pacto repudiare hereditatem, & feudum retinere possit, tamen si feudum fuerit hereditarium, agnatus a filio nihil differt, sed vel utrumque repudiare, vel utrumque accipere compellitur. Nam haec feudi species, excepta fidelitate, & servitiis, hereditariam undique qualitatem assumit, Pistor *loc. cit.*, dixi in proleg. *loc. cit.* Quinimo filius si feudum accipit, hereditatem repudiare non potest; sed si hereditatem adit, recte feudum repudiat, etiamsi dominus non consentiat, cum vasallo refutandi facultas invito seniore, competat, ii. *f.* 38.

Ab hac regula exceptionem addit, *licet alterum sine altero retinere non possit*, (nempe filius) *agnatis tamen consentientibus poterit*

terit dominus eum, si voluerit, quasi de novo beneficio investire; quo facto, licebit, & repudiata hereditate, feudum tenere, nullo onere ei hereditario imminente, h. t. Mortuo vasallo, ei filius in feudo paterno succedit, dominus, agnatorum consensu, potest filium hunc de feudo patris, non tanquam antiquo, sed quasi de novo investire, & filius hereditatem patris recte repudiare valet. Opus est agnatorum consensu, quia domini in feudo voluntas nihil agnatis nocet; & si dominus hunc filium, inconsultis agnatis, investit, mortuo filio, statim revocabunt. Agnatorum consensus parit, ut mortuo filio sine filiis ad feudi successionem non admittuntur, quia jam juri suo cesserunt. Nec amplius de feudo antiquo, sed novo agitur, in quo agnati non succedunt, Andr. *hic n. 6.*, Alver. *eo n. 7.*, Glos. *eo.* Recte Interpretes iterum excipiunt, si filius fuerit præteritus, aut in re certa, vel legitima tantum institutus, vel exheredatus, vel jurejurando paternæ hereditati, vivo patre, renunciavit. In his casibus feudum, repudiata hereditate, retinere potest, cum nulla ejus culpa arguatur.

TITULUS XLVI.

An apud judicem, vel Curiam Domini quæstio feudi debeat terminari.

POstquam de diversis feudalium quæstionum speciebus egerit, ad forum competens, in quo agendæ sunt, transit. Et omni feudalis jurisdictio, vel ad dominum, vel pares Curiæ, vel judicem ordinarium, vel arbitrum pertinet.

§. CXXIII.

De dissidio feudali.

Hic speciem proponit, in qua pares cognoscunt. Mævius, sine filio decessit, Titius credens feudum, quod defunctus tenebat, domino fuisse apertum, ab eodem domino investitus est. Post investituram, Mævii agnati apparent qui feudum quasi paternum sibi vindicant. Quæsitum est, quis cognoscet? *Responsum scio, quia ad dominum quodam modo caussa spectare videtur, ad quem investitus habebit, regressum de evictione, ut coram paribus finiatur Curtis.*

Ex hoc feudistæ responso constat, dominum non posse in ea caussa cognoscere, a qua aut lucrum, aut damnum expectat, sed solùm pares consensu partium electi judicabunt; ut omnis favoris suspicio pro eo, nempe Titio, quem investivit, cessaret. Dominus præsumitur tueri investituram, quam de feudo ad se reverso celebravit, ne evictionis periculum subiret. Idcirco solum Pares cognoscunt, nec Dominius Curiæ præsidere poterit. Damnum est evictio, dum Titium de clientela ab alio suo vasallo possessa investivit, de qua dixi *lib. II. f. 8., & 25.* Si dominus pares non habet, judex ordinarius cognoscet, & actor sequitur forum rei

Gloffa *ad* II. *f.* 55. *v. pares in fin.* Nec tamen propria auctoritate una pars, feu actor adverfarium fuum invitum apud judicem trahere poteft, nifi Curia decernat, & tunc nec actori, nec reo Curiæ judicium declinare licebit.

T I T U L U S XLVII.

Qualiter Dominus proprietate feudi privetur.

PLures fuperius recenfuit cauffas, quibus vafallus feudum amittit, tranfit ad eas, quibus fenior proprietatem amittit; olim hac de re in Italia difputabatur: *quidem dicunt ex omni felonia, qua vafallus feudo privatur & Dominus proprietate privetur. Alii non nifi ex magna felonia: alii ex nulla. Sed prior fententia mihi placet, non habita diftinctione qualis vafallus fit, utrum per Sacramentum, vel non, h. t.* Qua confuetudine nulla fanctior excogitari potuit, dum amicitiæ, obfequii, & obligationis viciffitudo inter utrofque confervetur. Verum ficut fæpius ob feloniam vafalli feudum ad ejufdem agnatos devolvitur, ita & ob feloniam fenioris non ipfi vafallo, fed fenioris agnatis aperitur. Si autem feudum effet novum, prorfus vafallus adquirit, dixi *lib.* IV. 13. §. 26.

T I T U L U S XLVIII.

De feudo non habente propriam feudi naturam.

IN quolibet feudo tria continuo diftinguimus, *fubftantiam*, *naturam*, & *accidens*, quæ etiam contractibus infunt. Subftantia eft fides: natura late fe extendit, videlicet, ne ad fæminas tranfeat, ne afcendens defcendenti fuccedat, non alienetur fine fenioris confenfu, legitimi & naturales heredes fuccedant, vafallus fervitia præftet, nec aliquid difponat, quod agnatis noceat, liceat illud refutare, culpa, vel clericatus, aut religionis habitu amittatur, in fuis controverfiis Pares Curiæ cognofcant, non juretur de calumnia, non accufet dominum, aut in criminali cauffa contra eum teftimonium ferat, dominus fine confenfu vafalli directum dominium non alienet vafallus fubfeudare poffit, nec ordinem inveftituræ. vel dominus, aut vafallus immutet, ne quid damni domino in feudo, vel extra afferat. Accidens eft quodlibet pactum, quod inveftituræ apponitur. Si fubftantia deficit, non feudum, fed allodium, vel quid aliud vocatur; fi natura mutatur, hoc eft qualitates nuper recenfitas pacto, vel moribus amittit, feudum improprium nafcitur, fi accidens, nec fubftantiæ, nec naturæ præjudicat.

§. CXXIV.

De feudo improprio.

In hoc titulo fpeciem improprii feudi declarat, fi quis hac lege alicui feudum dederit, *ut ipfe, & fui heredes, & cui ipfe dederit, habeant. Refpondeo, ifte, qui fic accepit, poterit id vendere,* *vel*

vel donare: vel aliter si sibi placuerit, etiam sine voluntate domini alienare: & ille etiam cui datum fuerit, non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est. Sed qualitercumque ei datum fuerit sive ad proprium, sive ad libellum licet propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi censebitur: ut ex his caussis ipsum amittat, quibus & verum, feudum, & propriam feudi naturam habet. Vasallus vendere, alienare, donare, vel aliter, si sibi placuerit, etiamsi dominus non consensiat, poterit. *Et ille etiam, cui datum fuerit, non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est, h. t.* nempe non modo jure feudi, sed quolibet alienationis titulo vasallus hac formula munitus transferre potest. Verum quamdiu penes vasallum manet, rectum feudum censetur, nec de feudo in allodium commutare, valet, jusjurandum fidelitatis præstare tenetur, & iisdem modis, quibus cetera beneficia amitti solent amittitur, *h. t.* Nam acta in uno mutatione, non in omnibus eadem mutatio intelligitur. Atque si vasallus facultate a domino sibi concessa non utitur, proprium feudum remanet, & ad solos mares transit, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 31.

T I T U L U S XLIX.

De eo, qui finem fecit agnato de feudo paterno.

ALiæ pacti speciem in hoc titulo interpretatur, nempe si tres, pluresve sint agnati, Mævius, Sabinus, & Cajus: Mævius paternum feudum Sabino agnato proximo, & suis heredibus, (hoc est masculis) & cui ipse dederit, refutavit. Postea Sabinus sine filiis decedit, nec vivens alicui dedit. Quæsitum est, an Mævius, qui refutavit, an Cajus succedat? *Sapientes quidam Mediolanenses interrogati responderunt, non obstare illud pactum, nisi feudum omnino refutaverit, vel nisi ad hoc refutaverit, ut Dominus eum, quasi de novo beneficio investiret. Tunc enim, secuta investitura quasi novum sit feudum, non succedit, h. t.*

Vasallus tam domino, quam agnato proximiori, non autem extraneo, hoc est in investitura non vocato feudum refutare sine domini consensu potest. Atque hæc refutatio aut realis, aut personalis est: Si vasallus domino feudum hac lege refutat, ut filius, vel agnatus tanquam de feudo novo investiatur; ipse refutans, mortuo filio aut agnato non succedit, quia hoc feudum respectu refutantis, non autem aliorum novum evadit, & ad dominum revertitur, feudista *hic*, & 11. *f.* 39., Scrad. *par.* 11. *c.* 3. *n.* 59. Aut simpliciter sine ulla personarum mentione, nec in alicujus favorem refutavit, si refutatarius sine herede decedat, refutans & non succedit, sed continuo excluditur. Et hæc est refutatio realis, sicut pactum in rem, dum generaliter paciscar, ne petam, nec a te, nec ab alio

alio petere possum *l.* 21. §. *fin. D. de pactis*. Aut in alicujus nempe filii, vel agnati gratiam refutavit, ut ipsi investiantur; mortuo filio, vel agnato sine heredibus refutans recte succedit, & hæc est refutatio personalis, quæ personas non egreditur. Sicut pactum personale, si nec a te, nec ab heredibus tuis, nec ab eo, cui dederis petere paciscar, alios non comprehendi *l.* 25. §. 1. *D. de pactis*. Hinc ratio, & justitia hujus responsi apparet, Jac. a S. Georg. §. *& unus ex dictis n. 6.* Ardizo *in sum. c.* 108.

TITULUS L.

De Natura successionis feudi.

PRolixe de feudorum controversiis, & investiturarum clausulis, nunc ad successionem progreditur, & tres succedendi ordines attingit. Primum, inquit, *successionis feudalis est natura, quod ascendentes non succedunt, verbi gratia, pater filio*; & Cap. Extraord. *Si quis igitur habens filium, ipsum per Dominum investire fecerit, nisi nominatim cum domino pactus fuerit, ut si filius decesserit ante patrem, quod feudum ad patrem revertatur: dicitur, defuncto ante patrem filio, patrem carere beneficio, & domino adquiri beneficium*. Glossa *hic* rationem addit, quia consuetudo ita jubet; rectius Duaren. *cap.* 11. *n.* 10., & Pistor *lib.* 11. *q.* 19. *n.* 2., quia olim beneficia erant annalia, & precaria, deinde ad vitam fidelis, postea ad filios, & paulatim ad fratres possessio porrecta fuit. De parentibus non cogitatur, quod rarius contigeret, filio ante parentes decedere, ad eorum successionem parentes vocari, ne ordo naturæ turbaretur. Atque adeo jus Romanum, quod, non extantibus descendentibus, ascendentes admittit, non obtinuit. Rectissime vero Hotoman. *hic*, & Vultej. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 205., quia feudum accipitur a vasallo pro se, & liberis, sive posteris suis; in quorum numero non sunt parentes. Merito filius paternos vasallos, suos esse vasallos dicere poterit; Sed pater filii vasallos, non recte suos vocabit. Hinc Gajus in *l.* 58. *D. de V. S. paternos libertos recte videmur dicere nostros libertos: liberorum libertos non recte nostros libertos dicimus*; filii mei libertus, meus libertus non est, cum naturalis ratio parentum hereditatem liberis, non vicissim addicat *l.* 7. *D. de bonis damnat.*, dixi *lib.* 11. 17. §. 50.

Repulso ascendente, tanquam in investitura non comprehenso, admittitur linea descendens, nempe *filius patri succedit, & non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit fæmineum princ. h. t.* & quidem liberi mares tam in feudo seculari, quam ecclesiastico in infinitum succedunt. Fæminæ non succedunt, nisi ex pacto in investitura vocatæ, vel nisi feudum fuerit fæmineum, vel consuetudo invitet, dixi *lib.* 11. *f.* 30., Duaren. *cap.* x. & xi. Imo sæpe filius non succedit,

cedit, de quo *in lib.* II. *f.* 26., & Glos. *hic*. Deficiente descendentium linea, ingrediuntur collaterales *omnes per masculos descendentes, usque in infinitum, si feudum sit paternum. Paternum autem voco, quicumque ex superioribus id adquisivit* §. *ex latere h. t.* I. *f.* 4. §. 2. Agnati enim tantum in feudo paterno, seu antiquo succedunt, & ii conjunguntur ab illo latere unde feudum pervenit, secus lex feudalis tanquam extraneos existimat. Hinc recte Interpretes unam dumtaxat feudorum successionem, nempe descendentium agnoscunt, & jus Longobardum collaterales improprie appellat, cum sint descendentes: sed exemplo juris romani vocare non dubitavit. Quid sit feudum paternum? dixi *in prolegom. cap.* VII. §. 19. 20. *&* 21.

Ex his noster Auctor infert: si Mævius, quatuor filiis relictis, Sejo, Cajo, Titio, & Sabino, decedit, & feudum ad Sabinum ex divisione pervenit; Sabinus, quatuor filiis similiter relictis, decedit, & feudum ex divisione ad unum, videlicet Sempronium devenit. Atque alii patris fratres, hoc est patrui Cajus, Titius, & Sejus filios procrearunt, qui invicem fratres patrueles cum filiis Sabini dicuntur. Sempronius, liberis relictis, decedit, & feudum ex divisione ad unum ex his, nempe Stichum pervenit. Moritur Stichus sine maribus, vel descendente ex maribus. Quæsitum est, quis succedere debeat? *Respondeo ad solos, & ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua iste fuit. Et hoc est quod dicitur ad proximiores pertinere. Isti vero proximiores esse dicuntur respectu aliarum linearum. Sed omnibus hac linea deficientibus, omnes aliæ lineæ æqualiter vocantur h. t.*, id est fratres Stichi, qui sunt proximiores succedunt. Deficientibus proximioribus, aliæ lineæ proximiores vocantur. Nam quo magis quis est remotior, eo tardius vocatur II. *f.* 37., Andr. *hic n.* 31., *cap.* XI. *n.* 14.

T I T U L U S LI.

De Capitaneo, qui curiam vendidit, an intelligatur beneficium vendidisse.

HActenus de adquisitione feudi, quæ successione contingit, ad alios quæstionis modos etsi improprios transit, qui ex contractu, vel debito alterius, & etiam successione descendunt. Quatuor partes includit: *Prima de venditione Curtis*: secunda *de successione filii, vel filiæ: tertia de servitio, illegitimis amittendi feudi caussis, & lege commissoria*: quarta *de contentione inter filiam, & propinquum agit*.

§. CXXV.

De venditione curtis.

Prima pars: *Quidam Capitaneus in quadam Curte sua beneficium dedit*

dedit militibus, & postea eandem curiam vendidit, non habita mentione beneficii. Controversia est inter Capitaneum, & emptorem, dicente emptore, se curiam cum beneficio emisse: domino vero contradicente, ad eum beneficium non pertinere. Respondetur illud beneficium in venditione non contineri, nisi expresse de eo actum sit. Capitaneus, vel quilibet Marchio, Comes, Dux, Baro in sua Curte, seu Comitatu, Baronia, districtu, jurisdictione, feudum militi suo dedit; postea Curtem illam Mævio, nulla feudi mentione acta, vendidit. Inter venditionem, & emptorem quæstio oritur. Emptor curtem simul cum feudo militis emisse inquit; venditor negat. *Respondetur illud beneficium in venditione non contineri, nisi expresse de eo actum sit, princ. h.t.*, II.*f.*26. §. *in generali*. Ratio, quia aliud est Curtis, aliud feudum, unum alteri non cohæret, nec accedit. Nec dominus sine voluntate vasalli, jus quod in vasallo vindicat, alienare potest II. *f.* 34. §. *ex eadem*; sicut vasallus jus domini alienare prohibetur, nisi dominus consensiat. Cur autem hoc militis feudum cum bonorum universitate non transit? Eleganter Alverotus distinguit: quædam esse bona, quæ vendi solent, & hæc in generali venditione continentur, ut distractis ædibus, puteal, lines, idest lacus aquam continens, fistulæ, canales veniunt *l.* 13. *in fin. l.* 14. & 15. *D. de Act. emp.* Quædam esse, quæ vendi publica utilitate, & sua natura non possunt, sed cum universitate bonorum transeunt, ut res sacra, & religiosa, tanquam accessiones *l.*24. *D. de contrab. emp.*, Cujac. *ad l.* 4. 5. & 6. *D. eo.*, Florens, Jan. a Costa, & Roye *ad cap.* VII. *de jurepatron.* Quædam esse, quæ vendi prohibentur, nisi eorum possessor consensiat, & inter hæc *feudum* recensetur, quod cum bonorum universitate non transit.

§. CXXVI.

De dissidio successionis.

Secunda pars: Prima successionis ratio est filiorum, qui repudiare patris hereditatem, & feudum retinere non possunt, sed utrumque accipere coguntur, etsi agnatus, feudum, si velit, adire valeat §. *similiter h.t.*, dixi *lib.* II.*f.*45. Filia nunquam succedit, etiamsi *quis investitus fuerit de feudo, ita ut ad fæminas transiret, & duas filias tantum reliquerit, quarum una filium habeat, & altera filiam. Utrum post mortem illarum masculus tantum feudum habere debeat? Secundum Gerardum masculus tantum. Obertus contra. Et e contra si filios ille habuerit* §. *similiter h. t.* Mævius de feudo investitus est, ut feudum etiam ad fæminas pertineret; hic, relictis duabus filiis, decedit; una ex his filium, altera filiam procreat; filius masculus sororem suam consobrinam excludit, & solus succedit. Nam regu-

regula est, donec masculus superest, fæmina non succedit. Ita Gerardus contra Obertum obtinuit. E contra filius unius fratris filiam alterius fratris, seu patruelem suam excludit, & huic Obertus consensisse videtur.

§. CXXVII.
De felonia filii.

Tertia pars: Certi juris est, felonia in dominum, & sæpius in alios commissa vasallum feudo privari; feudista in hoc titulo plura excipit. Si nempe filius, vivo patre, dominum læsit; mortuo patre, nihilominus paternum feudum retinet; modo seniori satisfecerit §. *quæsitum esse apud me scio: si filius vivente patre dominum offenderit, ita quod feudum amitteret, si pater decessisset: utrum feudum amittat, vel non. Secundum istos sic, secundum Gerardum non, & Obertum similiter. Si voluerit vasallus dominum offendere, sed non laboravit, feudum non amittit. Gerardus, & Obertus. Similiter etiam si laboravit, non amittit feudum, nisi insidiatus ei fuerit, & hoc probatum fuerit h. t.*, & jussit Frider. *in* II. *f.* 55. §. *insuper*. Aut si vasallus dominum offendere conatus, sed non offendit, feudo non privatur, *nisi insidiatus ei fuerit, & hoc probatum fuerit*, §. *si voluerit h. t.* Insidiari est cum telo ambulare, venenum præparare, cum inimicis contra dominum conspirare, aliisve modis, quibus vitam, honorem, vel bona dominus amitteret. Insidias non nisi quinque testibus probari oportet, II. *f.* 57. Hic conatus idcirco non punitur, quia vasallus vel perficere noluit, vel pœnitentia ductus recantavit. Aliter si impedimento detentus crimen, & feloniam absumere non potuit. Nam jure Romano consilium, mandatum, conatus, modo pœna ordinaria, modo extraordinaria punitur; satis A. Matth. de Crim. in proleg. *c.* I. *n.* 6., & *lib.* 48. 18. *c.* 4. *n.* II., conf. Bynkersh. *lib.* III. *obs. c.* 10. probarunt. Hinc si vasallus cum uxore senioris, non modo concubuerit, feudo cadit, sed etiam si ejus pudicitiam sollicitare voluerit, sed impeditus non perfecit, Mozzius *tract. ex quibus caus. feud. amit. n.* 45. Amittit & feudum, si legitime vocatus servire nolit. Servitium duplex est; unum quod secum ducit simplex feudi concessio, & forma fidelitatis seu natura Clientelæ continet: alterum, quod investituræ pacta, & conditiones constituunt; nempe festivis diebus seniorem comitari, quotannis xenias largiri, aliudve grati animi signum exhibere, idcirco feudum *conditionatum* vocatur, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 20. *n.* 5. An feudum conditionatum refutari possit? Dissentio est: placet, invito domino, etiam refutari a vasallo posse, quia feudista generaliter vasallo jus refutandi concedit, nec feuda ad certum servitium ab aliis distinguit, Vultej. *lib.* I. c.

I. *c. x. n.* 130., Rosent. *cap.* IX. 51. *n.* 4. Denique prohibet in feudis legem commissoriam, de qua in *lib.* I. *f.* 27.

§. CXXVIII.

De controversia filiæ, & agnati.

Quarta pars: *Si contentio fuerit inter filiam, & propinquum de hereditate, & de feudo: cum filia feudum habere non poterat: quia dicat ipse, hoc est de mea hereditate: Et ille dicat, imo de feudo. Electio Propinqui erit discernere veritatem jurejurando. Gerardus, & Obertus.* Controversiam includit: Sabinus vasallus, sine masculo, filia superstite, decessit. Exclusa filia, agnatus succedit. Sed filia quoddam prædium esse de suo allodio, in quo ipsa successerat; agnatus negat, & de feudo paterno affirmat. *Electio propinqui erit discernere veritatem jurejurando* §. *si contentio h. t.*, videlicet si filia suam actionem probare non potuit; agnatus cum XII. Sacramentalibus prædium illud esse paterni feudi partem jurabit, & vincet; modo aliquid sit, quod judicis animum ad jurisjurandi delationem suadeat II. *f.* 33. §. *Sacramentum*. Interim, pendente judicio, filia in possessionem prædii immittitur II. *f.* 41. Alia & est quæstio: *Et similiter si contentio fuerit inter aliquem, quia emisset a seniore, & vasallum: quia dicat vasallus, hoc est de meo feudo: ille autem negat. Electio emptoris est veritatem jurejurando discernere, cum pares Curtis veritatem non testantur, Gerardus, & Obertus.* Mævius a Cajo seniore quædam bona emit, statim inter emptorem, & vasallum Caj contentio oritur. Vasallus, inquit, ea bona ad suum feudum pertinere; Mævius de allodio senioris affirmat. *Electio emptoris est, veritatem jurejurando discernere cum pares curtis veritatem non testantur: Gerardus, & Obertus* §. *& similiter h. t.*, II. *f.* 41. Merito, qui vasallus non probavit, & emptor possidebat; præsertim cum quælibet res libera præsumatur, proinde jurejurando emptoris caussa finitur. Nunquam judex jusjurandum defert, nisi præsumtio faveat.

T I T U L U S LII.

De prohibita feudi alienatione per Lotharium.

Assidue in his libris nunc permittitur, nunc feudorum alienatio prohibetur; donec Lotharius III. *an.* 1137. (Camil. tamen Peregr. *in castig. ad Anonym. Cassin. ad an.* 1135. *ait id vetuisse an.* 1136. *indict.* XV. *die* 8. *mens. Novemb.*) ut, inquit. Cujacius, & in *lib.* III. *LL. long. tit. ult.* refertur, generaliter omnem feudorum alienationem, & commercium interdixisset, in Roncalia, consilio status Ecclesiastici, & Secularis, sicut consuetudo tunc jubebat. Atque si quis sine domini consensu alienasset, *pretio, ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium vero, qui super hoc tali con-*

contractu libellum, vel aliud instrumentum conscripserit, post amissionem officii, infamiæ periculum sustinere sancimus, *h. t.* Lotharius futuras tantum alienationes vetat, Fridericus *in* II. *f.* 55. etiam ad præteritas extendit.

§. CXXIX.

De pæna vasalli alienantis, atque illegitima alienatione.

Pœna est, ut vasallus feudo privetur, modo rem venditam tradiderit, quia non nudis pactis, sed traditionibus dominia adquirimus *l.* 20. *C. de pactis.* Atque si est feudum novum, exclusis filiis, ad dominum redit, I. *f.* 5. §. *item si fuerint*, II. *f.* 24. *in fin.* Si est feudum antiquum ad dominum revertitur, & tamdiu apud eum manet, quamdiu is, qui alienavit, vixerit, hoc defuncto, ad proximum agnatum, nunquam ad filium redit. Quæ distinctio etsi in jure feudali non occurrat, illi tamen satis convenit. Nam quoties ex delicto in dominum commisso, feudum domino aperitur, illud, vivo reo, obtinet; quo mortuo, ejus delictum agnatis non nocet; & ita textus intelligendi, dum alienatione vasalli feudum ad dominum pertinere constituunt. Nec alienatio gravis felonia censetur, sicut illa, quam feudista *in* II. *f.* 24. §. *porro* refert. Nec Lotharius, aut Fridericus, qui omnino alienationes prohibuerunt, hanc pœnam requirunt, sed in venditorem, & emptorem dumtaxat prorumpunt, & severitatem exercent. Consulitur enim domino, qui suam injuriam ulciscitur; & etiam agnatis, ne ex delicto alterius pœnam patiantur. Nec tantum senioris consensu opus est, sed & agnatorum, qui si non consenserunt, alienationem revocant. Alienatio consensu domini facta origine valet, sed, inconsultis agnatis, invalida ex post facto evadit, Pistor. *lib.* II. *q.* 17. *n.* 13., Vultej. *lib.* I. *c. ult. n.* 157. Pretium vero emptor recuperat, si bona fide emit: si mala fide sciens illud esse feudum, cedit fisco, qui turpia lucra adquirit *l.* I. *C. de præscrip.* 30. *an.*, *l.* 9. *D. de jure fisci*, Andr. & Alver. *hic*, Glos. in II. *f.* 53. *v. actione*, licet Hotoman. pretium domino applicari putet. De pœna notarii, & legis ratione infra *in* II. *f.* 55. *dicam*.

Præterea idem Lotharius *an.* 1137. *ind. v.* ut vasallorum fraudibus occurreret, qui sæpius feuda celabant, suosque seniores recognoscere nolebant. Sanxit, *si vasallus non dolose per annum, & diem steterit, quod a domino sui beneficii investituram non petierit: feudum non ob hoc amittat. Dolus enim abesse videtur, si justa caussa impediente steterit*, §. *quoniam h. t.*, I. *f.* 22. & alibi dictum est; quia, inquit, Imperator, *inter dominum, & vasallum nulla fraus, nec ullum malum ingenium debet intervenire*. Nam inter dominum, & vasallum mutua fidei servandæ necessitudo in-

tercedit 12. *f.* 26. §. *domino*. Jure Francico, peræmia obtinet, dum vasallus dormit, dominus vigilat, quia quamdiu vasallus in petitione investituræ moratur, tamdiu dominus fructus suos facit, dum ipse feudum occuparit, Hotom. ad *d.* §. *quoniam*; qui recte ejus inscriptionem *Eugenio Papæ* delet, quum Epochæ Lotharii non conveniat.

§. CXXX.

De obligatione vasalli.

Jacet & in hoc titulo Capit. extraord. quod male Lothario attribuitur, cum Ardizo, Alverotus, Hotomannus, & Gotofredus in extraordinarias farragines recenseant; & de feudo ligio juri Longobardo ignoto disponit. *Quidam miles bina beneficia a duobus dominis, prout solitum est, adquisivit: qui decedens duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter se dividentes, alter eorum domino suo pro beneficio, quod ad eum pervenit, fidelitatem nullo antepofito, sicut pater fecerat, fecit. Alter vero frater pro suo beneficio alteri domino suo similiter, quia nullum alium dominum habere videbatur, nullo antepofito fidelitatem fecit. Defuncto posterior fratre sine filiis, utrique feudum in querimoniam venit, ut prius personam, & sic dominus posterior talem fidelitatem quærit, qualem ejus frater fecerat. Quas amputantes altercationes, sancimus, quod frater fecit (scilicet in dando simpliciter) nil superstiti obesse: licet in secundam & tertiam generationem, & usque in infinitum pervenit, si hoc actum erit.* Videlicet Mævius unum feudum a Sabino, alterum a Titio tenet; utrumque juvare debet: sed si Sabinus, & Titius inter se pugnant; Mævius Sabinum adjuvare cogitur, quia est antiquior dominus 11. *f.* 28. *in fin.* Mævius, duobus filiis relictis, Cajo, & Sejo, decessit; qui inter se feuda diviserunt. Cajus habuit feudum, quod suus pater a Sabino recognovit, eique fidelitatem, nullo antepofito, præstitit; quia Sabinus erat antiquior dominus, sicut ei pater suus fecerat. Sejus Titio fidelitatem, etiam nullo antepofito, exhibuit. Hoc jusjurandum *ligium* vocatur, in quo semper Imperator excipiendus est, idcirco proprie ligium dici non solet. Cajus sine filiis decessit, eique Sejus in feudo paterno a communi stipite natus successit, 11. *f.* 50, Quæsitum est, an Sabinus jusjurandum, nullo antepofito, a Sejo exigere valeat, sicut ejus frater præstitit. *Sancimus* (Cujac. legit recte *dicimus*) *quod frater fecit (scilicet in dando simpliciter) nihil superstiti obesse; licet in secundam, & tertiam generationem, & usque in infinitum pervenit, si hoc actum sit, h. t.* Sabinus itaque hoc jusjurandum exigere nequit, quia Sejus jam Titio, nullo antepofito, præstitit; & in omni hominio antiquios Dominus excipitur,

pitur, etiamsi feudum ad plures generationes, vel in infinitum transeat, Sejus jurat, sed Titium antiquiorem Dominum excipit, Jac. a S. Georg. §. *& promiserunt n.* 34. *hic* §. *satis bene.*

TITULUS LIII.

De Pace tenenda inter subditos, & juramento firmanda, & vindicanda; & de pœna judicibus apposita, qui eam vindicare, & justitiam facere neglexerint.

Lotharii constitutio feudorum alienationibus prospexit, Imp. Fridericus I. Aenobarbus assiduis in Italia bellis vexatus pacem cum Mediolanensibus aliisque civitatibus iniit; atque, lata lege confirmavit, Radev. *lib.* II. *c.* 7. Gunther. *lib.* VIII. Quinque partes comprehendit: prima *de pace jurejurando firmanda:* secunda *de pœna violatoris pacis:* Tertia *de punitione criminum, pœna judicum, & eorum, qui inopia laborant:* quarta *de conventiunculis, Episcoporum censuris, malefactorum receptatoribus, atque illicitis exactionibus:* quinta *de jurejurando puberum* agit.

§. CXXXI.

De pace jurejurando firmanda.

Prima pars: *Jubemus, ut omnes nostro subjecti imperio, veram, & perpetuam pacem inter se observent: & ut inviolata inter omnes perpetuo observetur, Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valvasores, & omnium locorum Rectores, cum omnibus locorum primatibus, & plebeis a decimo octavo anno, usque ad septuagesimum, obstringantur juramento, ut pacem teneant, & Rectores locorum adjuvent in pace tenenda, atque vindicanda: & in fine uniuscujusque quinquennii de prædicta pace tenenda omnium sacramenta renoventur. Si quis vero aliquod jus de quacumque re, vel facto contra aliquem se habere putaverit, judicialem adeat potestatem, & per eam jus sibi competens, exequatur.* Omnes pacem ab anno XVIII. ad an. LXX. jurare debent: Luitprandus legitimam ætatem XVIII. an. præfinivit, qua jure Longobardo quisque rerum suarum administrationem consequitur; & inferiorem ætatem infantiam vocat *toto tit. lib.* II. *LL. Longob.* 29., quin imo Fridericus *in fine uniuscujusque quinquennii de prædicta pace omnium sacramenta* renovari jussit, quia nonnulli initio quinquennio ob tenellam ætatem jurare non poterant, nunc habiles evaserunt; & qui jam annum LXX. Excesserunt, jurare non tenentur. Nec tamen qui semel juravit, iterum jurare cogitur. Hæc ætatis constitutio idcirco Imperatori placuit, quia in ea pacis violatio, inimicitia, & seditio contingere potest. Infans, & vir decrepitæ ætatis, primus judicio, secundus corporis viribus destitutus publicam pacem turbare non valent, nec de iis aliquid timetur. Gunther. loc. cit.

Hanc

Hanc proceres cuncti, Comes, an dux, Marchio, Consul,
Et cum judicibus, Capitanea turba verendis,
Miles, paganus, civis, simul atque colonus,
Et cum plebejo pariter grege, nobilis ordo.
Omnes hanc, inquam, penitus, quoscumque non ætas
Pupillaris habet, non septuagesimus annus
Contigit, in medium, concordi fœdere jurent.
Ac ne forte sacræ veniant oblivia pacis,
Singula juratam renovent quinquennia formam.

§. CXXXII.

De pacis violatore.

Secunda pars: Si quis pacem violat, & est civitas centum libris auri; si oppidum triginta; si dux, Comes, Marchio quinquaginta; si capitaneus, & major valvasor viginti; si minor valvasor, vel alius quilibet, tribus fisco applicandis mulctantur, & parti læsæ damnum resarciant §. *si quis h. t.* Verum Radevicus, & Guntherus Oppido 20., Urspergensis Marchioni 50., Comiti 40., Minori valvasori Radevicus sex, Guntherus *bis sena*, Hotom. *bis terna* legit. Capitaneus improprie hic vocatur; nam Capitaneus est, qui a Rege feudum tenet; Gunther. *loc. cit.*

Urbs centum libris puri mulctabitur auri;
Oppida vicenis: at Marchio, seu Comes, aut dux
Quinquagima dabit læsa pro pace talenta:
Magnates bis dena viri; bis sena (terna) *minores.*

Hinc majori pœna punitur nobilis, quam ignobilis, major in dignitate, quam minor, Theodos. in *l. 8. C. de Episc. & Cler. multo magis enim pœna digni sunt, quibus cum pluribus honoris per nostram jussionem delatum est, occulto inveniuntur in crimine*; etsi severius servi, quam liberi, famosi, quam integræ famæ homines puniantur; quia aliud est vilitas, & servitus personæ, aliud libertas, & honestas, cui jus favet *l. 28. in fin. D. de pœnis*, præsertim si non de pœna pecuniaria, sed corporali agatur, & sanxit noster Frider. II. in Const. *intentionis lib. 1. 10.*, Justinian. *in l. 13. §. 8. C. de judic.*, & Antoninus in *l. 4. D. de Incendio*. Et ex eodem delicto reus pœnam pecuniariam, aut corporalem solvere debet, damnum læsæ parti resarcire, *cap. 1. de injur.* Groti. *de jure bel. & pac. lib. 11. c. 17. §. 22.*, quia actus vitiositas a damno differt, illi pœna, huic damni reparatio respondet.

Tertia pars: Pacis violator non modo pœnam criminis, & damni reparationem solvit, sed etiam pœnam, quod crimen in pacis violatione commissum secum fert, luere tenetur. Ut si furtum, vel homicidium, vel membri mutilationem, aliave perpetra-

travit, & Imp. se juri Romano, & moribus remisit §. *injuria h. t.* pœnasque his criminibus jure communi statutas sequi voluit. Judices vero, & locorum defensores, & Magistratus si subditis justitiam denegant, sontes punire, & pacis violatores negligunt, *damnum omne injuriam passo resarcire compellantur: & insuper si major judex est sacro ærario pœnam decem librarum auri præstet: minor autem pœna trium librarum auri mulctetur* §. *judices h. t.* Merito, quia conscius videtur delicti, qui delictum non punit *l. 2. C. de Commerci. l. 5. C. de Servis fugit*, nec tantum si non vindicavit, sed si male vindicavit, quia damnavit, quos non debuit, absolvit, quos damnare debebat conf. Andr. *ad d.* §. *judices*. Quod si nec pacis violator, nec judex pecuniariam pœnam solvere possit, in corpore luant, *& procul ab eo loco, quem inhabitat, quinquaginta milliaria per quinquennium vitam agat* §. *qui vero h. t. l. 1. in fin. D. de pœnis*. Gunther. *loc. cit.*

Vulnera, vis, cædes, livor, mutilatio membri,
Insidiæ, fraudes, injuria, furta, rapinæ,
Damnaque legitimis mulctentur subdita pœnis.
Major, qui pacis noxas punire recusat,
Convictus judex, fulvi bis quinque metalli
Appendet libras, damnumque resarciet omne
Legis ad arbitrium: minus atque pedaneus in tres
Condemnandus erit: cujus fortuna laborans
Non potis est auro pœnales solvere noxas;
Arctatum vinculis, gravioraque verbera passum,
Sedibus e patriis hunc quinquagesimus, annos
Amoveat per quinque lapis, tandemque reverti
Fas sit, & optatos patriæ contingere fines.

§. CXXXIII.

De conventiunculis.

Quarta pars: omnes conventiunculas, cetus in civitatibus quolibet modo contractas, prohibet, quorum appellatione commessationes, & compotationes comprehendere voluit, ne publica pax, & quies Reipublicæ turbaretur, etiamsi occasione parentelæ cogantur, §. *conventiunculas h. t.* Jure Romano collegia, sodalicia, nisi Principis, vel Senatus auctoritas interveniat, prohibentur *l. 1. & 3. D. de colleg.*, Cujac. *lib.* VII. *obser. c.* 30. conf. Bodin. *de Republ. lib.* III. *c.* 7., Fridericus quoque omnes confœderationes, sponsiones, pacta, & conjurationes interdicit, Grot. *de jure bel. & pac. lib.* II. *c.* 15. Nihil frequentius in Italia sub Imperio præsertim Friderici I. & II. inter Civitates Mediolanensem, Ticinensem, Cremonensem, aliasque occurrit, quam societas, confederatio, mutua auxilii præstatio,

ftatio, ut vel invicem fe tuerentur, vel Imperatoris poteftati, ejufque magiftratibus obniterentur. Idem fanxit Carolus IV. in A. B. *deteftandas præterea, & facris legibus reprobatas confpirationes, & conventiunculas, feu colligationes illicitas, in Civitatibus, & extra, vel inter Civitatem, & Civitatem, inter perfonam, & perfonam, feu inter perfonam, & Civitatem, prætextu parentelæ, feu receptionis in cives, vel alterius cujufcumque coloris conjurationes infuper confæderationes, & pacta, nec non & confuetudinem circa hujufmodi introductam, quam cenfemus potius corruptelam reprobamus &c.*

§. CXXXIV.

De Epifcoporum auctoritate, & tributis.

Epifcopos vero locorum Ecclefiaftica cenfura violatores hujus fanctionis, donec ad fatisfactionem veniant, volumus coercere. Receptatoribus etiam malefactorum, qui prædictam pacem violaverint, & prædam ementibus, noftram indignationem fubituris, & eifdem pœnis feriendis. Præterea bona ejus publicentur, & domus ejus deftruetur. Qui pacem jurare, & tenere noluerit, beneficio, & lege pacis non fruatur. Illicitas etiam exactiones maxime ab Ecclefiis (quarum abufus jam per longa tempora inolevit) per civitates, & caftella omnino condemnamus, & probibemus & fi factæ fuerint, in duplum reddantur.

Monet & Epifcopos, ut pacis violatores Ecclefiaftica cenfura, hoc eft interdicto, excommunicatione, & fufpenfione coerceat §. *Epifcopos h. t.* Hæc poteftas in perturbato Reipublicæ ftatu, dum Comites, Duces, Marchiones, aliique in fuis dynaftis inter fe dimicabant, & bellis civilibus impetebantur, Prælatis etiam competiit, fi treugam, feu temporale fædus rumperent *cap.* 1. *de Treuga, cap.* 13. *de judic.* Eos, qui pacis violatores recipiunt, vel prædam ab iis emunt, eadem pæna ac ipfos delinquentes mulctat §. *receptatoribus h. t.*, quia fine receptatoribus malefactores diu latere non poffunt, & in idem crimen confentire videntur, *l.* 1. *D. de receptator*, *l.* 1. *C. de his qui latron.*, & Pipin. *in lib.* 1. *LL. longob. tit.* 25. *l.* 84. *qui latronem in hofpitio fufceperit, quafi latro, & infidelis judicetur; quia qui latro eft, infidelis eft in noftro Regno Francorum & qui illum fufceperit, fimilis eft illi.* Prohibet ab Ecclefiis exactiones, tributa, angarias, & parangarias exigi, & abufum auferri fanxit §. *illicitas h. t.* Denique ejus, qui pacem juratam fervare nolit bona publicari, hoc eft in populum publicari, & a judice difpenfari & domum demoliri jubet §. *præterea h. t.*, Cunther. *loc. cit.*

Ne conventiculum, vel confpiratio fiat,
Sive fodalitii, five juncti fanguinis aftu

Urbi.

Urbibus in nostris tali sub lege vetamus.
Qui convictus erit, libra mulctabitur auri.
Pontifices, sanctique patres, anathemate sacro
Spretores pacis, damnataque legibus ausos
Intrepide feriant, humanaque jura supernis
Legibus, & justum studeant sancire timorem.
Hactenus Italicas fieri consueta per urbes,
Angariisque sacras etiam vexare frequenter
Ausa domos plerumque suis, exactio cessat:
Aut exacta duplo redhiberi plura jubemus.
Qui pacis jurare modum, formamque tenere
Improbus abnuerit, quæ possidet omnia vulgo
Diripienda patent, evertendique penates.
Qui violatorem pacis fovet, atque receptat,
Consensu culpæ meruit consortia pœnæ.

§. CXXXV.

De jurejurando puberum.

Quinta pars, inquit, *item sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. Per vim autem, & justum metum etiam a majoribus (maxime ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant) extorta, nullius esse momenti jubemus;* & refertur in *lib.* I I. *c.* 28. Ætate Friderici Bulgarus juramentum cotractui improbato adjectum, nibil operari putabat, etsi minor sine curatoris auctoritate bona sua alienat. Martinus se opposuit, cujus opinionem Fridericus *hic* retinuit. Verum Cynus Bartoli Præceptor hanc authenticam mille animas ad orcum dimisisse conqueritur dum in istos jurisjurandi laqueos minores induxerunt. Henricus VII. Imp. abrogare cogitaverat, sed fato præventus, non potuit. Eadem enim facilitate, qua minor sine Curatoris consensu ad contrahendum, eadem ad jurandum seducitur. Nec nimia æquitatis, & judicii ratio Bonifacium VIII. *in cap. quamvis* 2. *de pact. in* VI. juvat, dum contractibus prohibitis, sed juramento firmatis vim subnectere voluit. Hinc hodie hæc Friderici sanctio exolevit, Sichar. *ad auth. item sacramenta C. si adversf. vendit.*, ibi Duaren. & Wissenbac.

Jusjurandum vero aut a minoribus, vel majoribus vi, metuque extortum, ipso jure evanescit, nec obligat, jure tamen canonico, tamdiu jurans tenetur, donec gratiam jurisjurandi a Prælato obtinuerit, *cap.* 8. *&* 15. *de jurejur.* Contractus autem vi, metuque celebratus ipso jure valet, etsi ope exceptionis elidatur. Guther. *loc. cit.*

Juramenta metu, mortisve dolore coacta,
Præcipue ne quis multis nocitura, loquendo

Publicet, aut in se erudeliter acta queratur,
Nullius meriti, vel ponderis esse jubemus.

TITULUS LIV.

De Allodiis.

ANdreas Alverotus, & Cujac. hunc a superiori titulo non sejungunt; & Fridericianæ Sanctionis partem agnoscunt. Sed an separetur, nihil refert. Imp. tria constituit, primo *jurisdictionis venditionem prohibet;* secundo *facultatem senioris declarat;* tertio *servitium vasalli statuit.*

§. CXXXVI.

De jurisdictione non vendenda.

Primo sanxit: *ad hoc, qui allodium suum vendiderit, districtum, & jurisdictionem Imperatoris vendere non præsumat; & si fiat, non valeat, princ. h. t.* Videlicet Titius allodium in distinctu, seu jurisdictione Imperatoris, vel Ducis, Marchionis, vel Comitis possidet, illudque vendit, jurisdictionem, vel Ducis vendere non potest, quia rem alienam venderet. Nec de evictione tenetur; quum emptor scire jurisdictionem esse alienam debebat. Hinc etiam unus jurisdictionem, alter castrum, vel civitatem, vel provinciam jure feudi possidere valet. Imo & unus civilem, alter criminalem potestatem etiam jure feudi obtinere non prohibetur. Verum, concesso castro, cui jurisdictio inhæret, hæc simul cum castro, ad vasallum ob accessionis vim transit. Nam a seculo præsertim XII. jurisdictio contra juris Romani dogma non personæ, sed territorio, & castro annexa perpendi cepit, Scrad. *par.* III. *c.* 4. *n.* 33., Vultej. *lib.* I. *c.* 3. *n.* 5., dixi *lib.* II. 14. §. 34.

Secundo, inquit, *si vero contigerit allodium aliquod etiam infeudatum conferri Ecclesiæ, vel pro oblatione fidelium, vel per emptionis, & venditionis, alteriusve hujusmodi contractum: infeudatus nisi per gratiam Ecclesiæ, tanquam de novo receperit, feudum quod habebat, retinere non poterit, h. t.*, quæ verba obscuritate laborant. Alverotus sensit, ut senior suum vasallum feudo privare posset, illudque non uti rem feudalem, sed alode Ecclesiæ concedere, etiamsi culpam, vel contractus, vel criminis non commiserit; nisi vasallus ex gratia illud feudum ab Ecclesia recipiat. Et id favor Ecclesiæ expostulat. At in jure ignotum est, innocentem vasallum feudo cadere. Qua de re sanior mihi videtur Hotomanni conjectura, nempe Titius allodium possidebat, de quo Mævium investivit; postea allodium jam infeudatum Ecclesiæ donavit, vel vendidit. Mævius feudum amittit, nisi de novo ab Ecclesia etiam jure feudi obtineat, quod a Titio, sed ab Ecclesia deinde recognoscit. Et hoc jus Ecclesiæ favor contra II. *f.* 26. §. *moribus*, I. *f.* 22.

I. *f.*

1. *f.* 27. extorsit. Præsertim cum Titius ob peccati redemptionem, & conscientiæ bonum concesserit.

Tertio statuit, *tam in Italia, quam in Alemannia, ut quicumque in dicta publica expeditione Romam, ad suscipiendam imperii coronam, Regem, aut sub Rege dominum suum non adjuverit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persolvendo, si de vocatione legitima a Domino suo convinci per compares suos poterit, feudum perdat: & dominus in suos usus illud habeat redigendi liberam facultatem h. t.* Rationem addit, *quia æquitas* (hoc est æqualitas) *in paribus caussis paria jura desiderat*, quod ex Tullio *in Topic. c.* 4. sumpsit, *quod in re pari valet, valeat & in hac, quæ par est. At in lege ædes non appellantur, & sunt ceterarum omnino, quarum annuus est usus. Valeat æquitas, quæ paribus in caussis paria jura desiderat.* Et loquitur de usucapione lege XII. tabul. retenta, conf. Joseph. Nerius *Analect. lib.* 1. *c.* 24. Æqualitas est, ut sicut vasallus a domino, sive Imperatore, sive privato feudum acceperit, ita eidem servitium domi, militiæque præstet. Hinc si Imperator, uti moris erat, ad imperii coronam, Romam iret, Duces, Comites, Marchiones legitime vocati simul cum suis vasallis, qui beneficia ab iis tenent, comitari coguntur; aut stipendia militibus præbeant, quæ hodie dimidium reditus unius anni existimantur II. *f.* 55. §. *firmiter*. Secus feudum amittunt, & ad dominum redit. Eadem obligatio vasallorum est, si Rex, vel Imperator quamlibet publicam expeditionem aggreditur.

TITULUS LV.

De prohibita feudi alienatione per Fridericum.

HActenus Imp. Frider., lata, modum, & necessitatem serviendi vasalli pro Reipublicæ salute constituit; verum, quia sæpius vasalli, illaudatis senioribus, beneficia alienabant; atque in expeditionibus, laborare, & servire non poterant. Sapienter omnem feudorum alienationem quolibet titulo actam hac Constitutione inter ceteras in Italia Imperantium leges celeberrima, & temporis diuturnitate a feudalibus Europæ provinciis recepta interdixit. Et sex partes includit: prima *de stricta feudi alienationis prohibitione, & pœna:* secunda *de investituræ renovatione, & servitio:* tertia *de prohibita feudorum regalium divisione:* quarta *de culpa filii*: quinta *de subvasalli felonia:* sexta *de feudalibus controversiis agit*. Et refert Radevic. *lib.* II. *c.* 7., & Gunther. carmine cecinit.

§. CXXXVII.

De feudo non alienando.

Prima pars: Imperatoris Lotharii edicto innixus feuda vendere, pignorare, vel quocumque modo distrahere, aut inter vivos, aut

cauſſa mortis, vel extraneis relinquere, aut piis locis interdixit; Lotharius tantum futuras alienationes, Fridericus etiam præteritas vetuit, ſive pars, ſive totum feudum alienaretur, *nullius temporis præſcriptione impediente: quia quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convaleſcere non debet: emptori bonæ fidei ex empto actione de pretio contra venditorem competente*. Andreas *in* II. *f.* 40. §. *præterea*, Clarus §. *feudum q.* 45., aliique intelligunt, nullam præſcriptionem, etſi longiſſimam, 30., vel 40. annorum ſeniori obſtare, quominus feudum alienatum ab emptore vindicare poſſit. Scraderus vero *par. v. c.* 4. *n.* 9. & Struv. *f. j. f. cap.* XIII. §. 10. *n.* 4. diſtinguunt; ſi quis a vaſallo ſine conſenſu domini bona fide feudum emerit, 30. an. contra Dominum præſcribere poteſt. Si malæ fidei poſſeſſor fuerit, cum ſciret vaſallum ſine domini voluntate feudum alienare non poſſe, non niſi præſcriptione immemoriali contra dominum ſe tueri valet. Et Fridericus jus canonicum ſectari voluit, quod malæ fidei poſſeſſorem præſcribere vetabat ex *cap. v. de præſcript.*, Alexandri III. qui Friderico coævus fuit. Atque auth. *ſacramenta puberum* idcirco Fridericus tulit, ut juri canonico pareret, Giphan. *in tit. C. ſi adver. vendit.*

Henricus a Roſenthall olim 30. an. præſcriptionem admiſit, poſtea *cap.* IX. 97. *n.* 37. 38. & 39. diſtinxit: ſi emptor utile, & directum dominium præſcribere velit, tempore, cujus memoria neſcitur, indiget. Si utile dumtaxat, 30. annis adquirit, dixi *lib.* II. *f.* 26. Merito: Etenim ſi dominus hoc temporis ſpatio feudum alienatum non revocavit, ſed ſervitia ab emptore vaſallo recepit, negligentiæ crimen incurrit, quæ præſcriptionem induxit, quæque omnem tollit actionem. Nec ratio Imperatoris læditur, dum ſevere alienationem inhibuit, quia vaſallus alienando ſervire non poteſt, & viribus imperii nocet. Imo in Radevico, verba, *quod ab initio non valuit*, non leguntur; & Hotom. magis ſcolaſtico Doctore, quam imperiali majeſtate digna exiſtimat. Nec a mente Imp. ejus nepos Fridericus II. in Conſt. *conſuetudinem pravam lib.* III. 38. longe abeſt, dum 30. an. præſcriptione feuda adquiri ſanxit, quia *nullum poteſt Reipublicæ præjudicium irrogari, cum apud quemcumque reſideat ſervitium deſignatum, & debitum, quod non tam perſonæ, quam rei ipſi adſcriptum eſſe dignoſcitur, minime amitti poterit, vel in aliquo minorari*. Fridericus itaque de præſcriptione 10. vel 20. an. ſenſit, tricennalem abrogare noluit, nec correctio præſumenda, niſi probetur, & potius Juri Romano tunc ſatis cognito, quam canonico conſentit.

Hujus prohibitionis Imperator rationem exhibet, *quod beneficia eorum,*

corum, *&* *feuda*, *quæ vasalli ab eis retinebant*, *sine dominorum licentia pignori obligaverant*, *&* *quadam collusione nomine libelli vendiderant*, *unde debita servitia amittebant*: *&* *honor imperii*, *&* *nostræ felicis expeditionis complementum minuebatur*. Consilio Episcoporum, Abbatum, Ducum, Marchionum, Comitum, Palatinorum judicum, & Procerum, feudum vel totum, vel partem alienare interdixit. Sub cujus nomine comprehendere voluit omnem dominii translationem, vel diminutionem, videlicet venditionem, permutationem, donationem, pignus, hypothecam, heredis institutionem, legatum, fideicommissum, emphyteusim, locationem, compromissum, dotem, in solutum dationem, compensationem, libellarium contractum.

Emptor, si bona fide, feudo jam ad dominum devoluto, emit, pretium, a domino recuperat; si mala fide, illud amittit, quia sibi imputet, dum scienter rem alienam emit *l. 27. C. de evict.* Scriba, qui alienationis instrumentum scripsit, infamiam contrahit, & manum amittit; quæ pœna in aliis criminibus jure romano, atque aliorum etiam invaluit, Cujac. VII. *obser. c.* 13., Gotofr. ad *Nov.* 134. *c. ult.*, & Gunther.

Si quis habens feudum precio seu vendere totum,
Seu pro parte velit, Dominique licentia desit,
Seu dare, seu vadio supponere cogitur, illud
Qui dedit, amittet non qui suscepit habebit:
Nullaque vel longi præscriptio temporis obstet,
Quominus ad dominum redeant translata priorem.
Emptorique bonæ fidei præstetur in illum
Actio, quæ precium cogat redbibere solutum.
Hæc magnus fieri vetuit Lutherius: at nos
Facta retractari volumus facienda caveri.

§. CXXXVIII.

De investituræ petione.

Secunda pars: *Si quis infeudatus major quatuordecim annis*, *sua incuria*, *vel negligentia per annum*, *&* *diem steterit*, *quod feudi investituram a proprio domino non petierit*, *transacto hoc spatio feudum amittat*, *&* *ad dominum redeat*. Sane Fridericus non *quatuordecim annis*, sed XVIII. sanxit, sicut Radevi. *lib.* 11. *c.* 7. *an.* 1158. refert, ubi Imp. Fridericus definivit, *vasallos*, *sive majores*, *sive minores*, *omnium locorum ab a.* XVIII. *ad* XXX. *annos constringendos formula jurisjurandi fidelitatis*, *clientelaris initiationis*, Lorber *Inst. jur. feud. German. lib.* I. *tit.* 13. §. 88. *in not.* 11. *f.* 24. 11. *f.* 40. Investituræ renovatio contingit, si vasalli, aut domini persona mutatur. Vasalli, videlicet *morte*, *feudi alienatione*, *aut felonia*; heres,

res, qui succedit, ad investituræ petitionem, & fidelitatis pollicitationem intra annum, & diem tenetur. Domini, nempe *morte*, *alienatione*, aut *divisione*, dum feudum ad alium seniorem transit, ut sæpius probavimus. Hoc petendi tempus ab anno XVIII. in vasallo currit; ante hanc ætatem, si non petit, excusatur, nec feudo cadit. Quin etiam minor si intra tempus non petiit, restitutionis beneficium usque ad annum ætatis suæ XXIX. completum habet. Major vero non ætatis caussa, sed alia de caussa restitui potest, Alver. *hic n.* 2., Wesenbec. *cap.* VIII. *n.* 8., Zasi. *par.* VII. *n.* II. Struv. *f. j. f. cap. x. A. 9. n.* 2., modo tam minor, quam major contumaciam non contraxissent.

§. CXXXIX.

De edicto Regis eundi ad exercitum.

Firmiter etiam statuimus, tam in Italia, quam Alemania, ut quicumque in dicta publica expeditione vocatus a domino suo, in eadem expeditione spatio competenti in temere venire contemserit, vel dimidium reditus feudi unius anni domino non subministraverit, feudum, quod ab Episcopo, vel alio dominò habuit, amittat: & dominus feudi in usus suos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem. Præterea vasallus legitime vocatus, ad publicam expeditionem noluerit, vel substitutum æque idoneum mittere contemplerit, vel dimidium reditus unius anni domino non subministraverit, feudum amittat, sive ab Episcopo, sive a laico teneat, & ad Dominum devolvatur §. *firmiter b. t.* Hinc jure novissimo vasallus aut ipsum ad exercitum eundi, aut vicarium mittendi, aut dimidiam reditus unius anni suæ clientelæ solvendi facultatem habet. Nec senior eum cogere valet, si ipse servire velit. Sicut inter libertum, & patronum pacisci solet, ut pro operis pecunia, vel aliud præstetur; atque si pactum non sit, pretium pro opera exigi nequit, nisi patronus alimentis destituatur, quia necessitas legibus soluta est, *l.* I. *C. de Oper. libert.*, *l.* 25. *in fin. D. eo*, Gunth. *loc. cit.*

Successor feudi totum siforte per annum,
Atque diem, tacto prima jam tempore pubis
Sive dolo, seu desidia, seu mente superba
Spreverit a domino feudalia poscere jura,
Perdat: & hæc dominus proprios assumat in usus.
Publica militiæ vassallus munera juste
Non renuat, dominique libens in castra vocatus
Aut eat, aut alium pro se submittat iturum
Arbitrio domini, vel quem laudaverit ille
Compenset, redimatque suum mercede laborem.

§. CXL.

§. CXL.

De vetita feudorum regalium divisione.

Tertia pars: omnium regalium feudorum divisionem, videlicet Comitatus, Ducatus, Marchionatus, prohibet; *Ducatus, Comitatus, Marchia, de cetero non dividantur: aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur: ita ut omnes qui partem feudi habeant, jam divisi, vel dividendi fidelitatem faciant; ita tamen ut vasallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur: nec dominus feudum sine voluntate vasalli ad alium transferat*, §. *praterea* 2. *h. t.* Proprie feudum regale est, quod ab eo confertur, qui superiorem non recognoscit, nihilque, nisi personalem dignitatem, non autem jurium exercitium, quæ *regalia* vocantur, jure Longobardico attribuit. Quamvis jure Germanico regalis dignitas etiam sine territorio acquisiri possit. Nam regalis dignitatis collatio ad Cæsarem pertinet, quam pro lubitu confert, etsi rara occurrant exempla, quibus novi Principes, atque imperii Comites principatus, & Comitatus ab Imperatore in feudum acceperint. Cum jure Longobardo, nemo Dux, Comes, Marchio esse possit, nisi de Ducatu, Comitatu, & Marchionatu, videlicet de territorio sub hoc titulo, hacve dignitate investitus esset, Xaverius Neumatius *disser. de jure publico*; & *feud. cap.* III. §. 8.

§. CXLI.

De successione feudi individui.

Omnis clientelarum successio a duplici jure, primogenituræ, & Longobardico pendet. *Jus primogenituræ*, seu francorum, primogenitum dumtaxat ad successionem invitat: *Jus Longobardicum* omnes heredes æqualiter vocat. Utrumque jus Italiæ moribus, & legibus & ceterarum nationum statutis placuit. In Italia omnia beneficia divisionem inter heredes admittebant; excipiebatur Ducatus, Comitatus, & Marchionatus, qui primonato, seu stirpis maximo adjudicabatur. Male hic Hotom. inquit, hanc primogenituram primum a Friderico inventam, cum Imp. abusum improbat, & nihil novi instituit, dixi *in prolegom. cap.* VII. 24. Feudum ab heredibus divisum, cum unum seniorem recognoscat, omnes ei pro portione sua fidelitatem facere coguntur. Hæc dividendi facultas heredibus competit, non autem domino, qui jus suum directum alteri sine voluntate vasalli cedere non potest, quia plures dominos pro uno feudo, vel unum habere non obligatur, cum servitium illi potius domino, & non alteri dicavit. Verum si senior, pluribus relictis heredibus decessit, omnes recognoscere uti seniores vasallus debet. Servitium, si in dando consistit, omnibus pro parte dabit: si in faciendo & individuum erit, nempe ad prælium ire,

& eli-

& eligere valet unum ex dominis, quem velit, cui serviat, Alverot. *in* II. *f.* 26. §. *omnes filii n.* 10., Gunth. *loc. cit.*

Marchia, seu Comitis possessio, sive Ducatus,
Integra permaneant: feudalia cetera multis
Participanda patent, domino dum quisque fidele
Spondeat obsequium, jurandaque fœdera præstat.
Sic tamen ut dominos ejusdem nomine plures
Vasallus feudi non compellatur habere.

Cum feuda igitur majora, seu Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronia, & Principatus, individua sint, constat in iis non nisi stirpis maximum succedere, sicut Regnorum, videlicet Aegypti, Syriæ, Asiæ, Judææ, Macedoniæ, Poloniæ, Traciæ, Hungariæ, Russiæ, Tartarorum, Turcarum, Græcorum, Hispaniæ, Galliæ, Neapolis, Angliæ, Scotiæ, similiumque Constitutio jure gentium cognita sanxit, in quibus jus primogenituræ viget. Primogenitus dicitur duplici modo, *vere*, & *ficte*. Vere, qui primo natus est, ceterosque fratres præcedit: Ficte, si jure repræsentationis ejus locum ingreditur, ut nepos qui locum patris subeundo, patruum excludit. Ut Robertus a Monte *in append. Sigiber. ad an.* 1171. *Mortuo secundo Balduino Comite Flandriæ, cum Ernulfus Comes Hamaucensis deberet ei succedere, ut pote nepos ex primogenito ejus filio Balduino.* Iisdem verbis, inquit, Gemmeticen. *Hist. Norman. lib.* VIII. *c.* 14. Ratio, quæ gentes ad jus *primogenituræ* cognoscendum commovit, fuit *major dignitas*, quæ in stirpis maximo nitidius præfulget, quam Cyprianus *in can.* 7. VII. *q.* I. *primatum* appellat. Dignitas non juris publici, sed domestica, majorque in familia auctoritas, privilegium, utilitas, cui jus divinum etiam plura indulsit, *Genes. c.* 27. 48. 49. *Prior* hominis, etsi imperfecta, *Creatio*, erga quam pater ardentiori amore se primum accendit, suæ familiæ fundamentum construxisse affirmat. Hinc vetusta mortalium ætas æque diis ac parentibus sacrificabat.

Nec refert, an hic stirpis maximus sit *natura*, & *lege* natus, an lege tantum, videlicet per subsequens matrimonium legitimatus, non autem adoptivus. Legitimatus ex subsequenti matrimonio omnes maculas, nativitatis vitio contractas amittit, seque spoliat. Nam tanta est legis auctoritas, & virtus, ut nostris actibus, physicisque motibus modo turpitudinem, modo honestatem annectit, cum sine lege in hominum actibus, nec bonitas, nec malitia, nec turpitudo, vel honestas esse, vel concipi possit, quia lex nostrorum actuum dominia possidet. Hinc finge Sabinus ex concubina filium genuit, postea legitimas cum Mevia contraxit nuptias, liberosque ex eis procreavit. Defuncta uxore, concubinam legi-

legitime duxit, filius in concubinatu susceptus evadit *legitimus*. Filius legitimatus jure primogenituræ, non filius ex Mævia, fruitur. Ratio, quia filio legitimato natura, & lex favet: Natura est primogenitus, quum primo natus sit; lex, quæ ex sua primogenitura maculas delevit. Nec filio ex Mævia suscepto jus quæsitum est: nam superstite patre, jus primogenituræ latet, in suspenso est, suasque vires non adhuc ostendit, defuncto patre, apparet, Voet *tit. D. de Concubin. n.* 11. Et quamvis Romana Nomothesia filios spurios, hoc est ex stupro natos, adulterinos, atque incestuosos, sed tantum ex concubina susceptos, ad legitimationem non admittat, tamen Regulæ SS. Patrum, quæ concubinatum æque ac quamlibet extra matrimonium conjunctionem condamnant, reprobant, prohibent, filios ex qualibet illegitima conjunctione natos, subsequenti matrimonio legitimos declarant, merito Boehmer. *tit. Decr. de qui filii sint legit.* §. 15. & 16. Sola matrimonii conjunctio Jure Divino licita est, ceteræ interdictæ censentur.

Legitimatus autem diplomate Principis in feudo non succedit, sive individuum, sive dividuum, majoratus, aut regnum fuerit. Princeps jus alteri quæsitum auferre injuste non potest: in feudo filius, atque agnatus jus sibi vindicant, ex tacito contractu, qui in investitura intervenit, dum senior, ejusve prædecessor ad successionem invitavit, Arnisæus *de Rebus publ. lib.* 11. *sect.* 14. *n.* 24. In legitimatione ex subsequenti matrimonio lex, favor matrimonii, & fuga ab illegitimis connubiis intervenit, ut homines ad legitimas tantum nuptias allicerentur. In legitimatione rescripto Principis hæc deficiunt, imo eorum vice jus tertii læditur, quamvis lex, & Principis voluntas idem censeantur. Nisi feudum ab eo recognoscatur, tunc legitimare potest, ut in feudo succedat, modo, me putante, filii, atque agnati consentiant. In allodio succedit, si filii legitimi non supersint, *Nov.* 74. *c.* 1. & *Nov.* 89. *c.* 9. In illis autem dynastiis, in quibus feuda sine senioris consensu etiam in extraneos caussa mortis, aut inter vivos vasallus alienat, nec filios, nec agnatos consentire oportet, si Princeps rescribat, ut in feudo succedat, Voet *Digressione de feud. n.* 66.

Semel constituta primogenitura, nunquam desinit, nisi deficiant omnes, qui ex ea descendunt, nec de una linea ad alteram transilire licet, sive de feudis, sive Regnis agatur, ut exemplis probat Arnisæus *loc. cit. sect.* 10. *n.* 5. Primogenitura vel *pacto familiarum*, vel *Principis privilegio* nascitur, nec interverti, immutari, de stirpis maximo ad secundonatum a patre transferri potest, nisi magnum Reipublicæ periculum immineret, Arnis. *loc. cit. sect.* 8. *n.* 58. Fleisch. *Inst. jur. feud. cap.* XII. §. 15. ubi, inquit, in domo

Brandeburgica, Hassiaca, Anhaltina, Badensi, Mecklenburgica. Hollatica pacto primogenituram invaluisse. Privilegio tam adquiri, quam in vasalli voluntate relinqui potest, ut filium, quem velit, unumve ex familia eligat, qui in feudo succedat. Quod in prima investitura, seu investito contingere potest, cum primogenitura semel constituta, ne Principis, senorisve quidem consensu immutari possit, nisi justa suadeat caussa.

Sic Imp. Sigismundus *an.* 1436. *die* 3. *Novem.* apud Dumont *in corpore diplom. to.* III. *par.* I. *p.* 12. investitivit Joannem de Marchionatu Mantuæ, & facultatem eligendi unum ex suis filiis concessit, qui in Marchionatu succederet. *Quod primogenitus tuus ex te legitime procreatus, & tandem primogenitus ipsicas primogeniti legitimus in dignitate, & feudo Marchionatus Mantuæ, te non existente, deberet succedere, prout ordo, & series hujusmodi successionis in pretactis concessionis nostræ literis, quas hic pro expressis habemus, clarius continetur. Tamen arduis bonis, & racionabilibus respectibus nos ad hoc inducentibus, & digne moventibus auctoritate nostra imperiali, & de certa nostra scientia decernimus, & sancimus, tibique illustris, & fidelis noster Joannes Francisce Marchio Mantuæ concedimus, & elargimur facultatem plenariam tibi etiam potestatem tribuentes, ac mandantes, ut juxta arbitrium suum, possis, & valeas instituere unum alium de filiis tuis legitimis tibi placibilem ad successionem, Marchionatum & dominiorum tuorum dumtaxat tamen ad successionem primam post personam tuam privilegio Marchionatus in omnibus aliis presentis clausulis, & articulis etiam quoad ordinem successionis filiorum, & descendentium tuorum, preterquam prima: semper salvo, & inconcusso manente cui solum quantum ad successionem primam auctoritate Cæsarea derogamus & in aliis omnibus uti prediximus illud tenori presentium solidamus, & confirmamus.*

Præsidium primogenituræ est *publica utilitas, splendor, & conservatio* familiarum: sed hæc jus naturæ, seu mundi legem abrogare non possunt. Proinde primonatus fratri suo alimenta subministrare tenetur. Gallia & Barbari *apanagium*, Lex Regni Neapolitani *vitam* nuncupant, cum ex feudo legitima detrahi non possit, nisi fuerit hereditarium, tunc ex ejus reditibus debetur. Consuetudo erat apud Barbaros, fratres minores natu, a successione Principatuum, Ducatuum, & similium moribus, vel legibus exclusos, armis novas sibi terras, & regiones conquirere. Recte Arnisæus *loc. cit. sect.* IX. *n.* 21. & 22. *sic enim Tancredus, relicta angusta possessione, quam frater Guilielmus Conquestor Normanniæ assignarat, in Italiam abiit quæsitum fortunam benigniorem, sedesque opimiores,*

ret, nec sine successu dominus evasit Apuliæ, & Calabriæ. Gotofredus Bullioneus, cum Comitatus sui maximam parte distraxisset Regnum Hierosolymitanum occupavit. Ludovvici Bavari Imper. filii unico Stephano totam Bavariam cesserunt, cum pater Ludovvicum seniorem Electoratu Crandeburgensi donasset, & huic obveniente aliunde Carinthiæ, Styriæ, & Tyrolis hereditate successissent duo fratres, Ludovvicus Romanus, & Ottho: reliqui vero duo, Wilbelmus, & Albertus Comitatus Hollandiæ, Selandiæ, & Phrisiæ beneficio nuptiali obtinuissent.

§. CXLII.

De filii felonia.

Quarta pars: Si filius vasalli feloniam in dominum commisit, quam si vasallus pater perpatrasset, feudo concidisset, nihilominus pater feudum non amittit, *tit. C. ne filius pro patre. Insuper si filius vasalli dominum offenderit, pater a domino requisitus deducat illum ad satisfaciendum domino, vel a se filium separet; alioquin feudo privetur. Si autem pater vult eum deducere, ut satisfaciat, & filius contemnit: patre mortuo in feudum non succedit, nisi prius satis satisfecerit domino. Parique modo vasallus pro omnibus suis domesticis faciat*, §. *insuper h. t.* quia vasallus dominum contra omnes etiam filios, fratres adjuvare tenetur, idcirco pro satisfactione filium seniori tradat, eumque arbitrio boni viri mulctet, secus hic filius in feudo non succedit, nec pater feudum retinet, quia amicitiam cum domini inimicis copulare videtur, Jac. a S. Georg. §. *dictique vasalli* 1. n. 4. quem vide Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* VI. *n.* 17., Gunth. *loc. cit.*

Si patris dominum vasalli filius atri
Læserit offensa, festinet providus illum
Conciliare pater: quod si contemnet agendum,
Munere privetur; si vero audire monentem
Filius indomita neglexerit aure parentem,
Non erit in feudo successor idoneus illo,
Ni prius accensam domini placaverit iram.

§. CXLIII.

De felonia subvasalli.

Quarta pars: *Illud quoque præcipimus, ut si vasallus de feudo suo alium vasallum habuerit, & vasallus vasalli dominum domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude ante habuerit, feudo suo privetur: & ad dominum suum, a quo ipse tenebat, revertatur: nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere majori domino, quem offenderit. Et nisi vasallus, idemque dominus a domino suo requiritus, eum qui majorem domi-*

num offenderit requirat, ut satisfaciat, suum feudum amittat. Aliam feloniæ speciem exponit, nempe si subfeudatarius a Comite, vel Duce, Marchione, aut Baronem Imperatorem, aut Regem, a quo dominus suus feudum tenet, offenderit. Dicam generaliter: si vasallus dominum domini sui læserit, *feudo suo privetur,* (seu subfeudo) *& ad dominum suum a quo ipse tenebat, revertatur,* §. *illud quoque b. t.* Nec refert an in personam domini superioris, seu mediati feloniam commiserit, an subfeudum sine consensu immediati senioris alienaverit. Devolutio non domino mediato, sed immediato cedit, quia plus juris Dominus immediatus, quam mediatus in subvasallo vindicat. Hinc idem Imp. *in* II. *f.* 54. Sanxit, vasallos dominorum, qui a Rege feuda tenent, non ipsum Regem, sed dominum suum adjuvare compellendos: dominus igitur immediatus nullum jus in subvasallos exercere valet. Præsertim dum de subfeudi alienatione agitur, quæ domino mediato prorsus non nocet, quia ejus jus non minuitur, Sonsbec. *par.* XIII. *n.* 91., Hartm. Pistor *lib.* II. *q.* 45. *n.* 13. Servitia, fidelitatem, renovationem, & devolutionem dominus immediatus, non mediatus exigit, postulat, & cogit.

At si subvasallus domino mediato satisfacere paratus est, subfeudum non amittit; aut *nisi pro servitio alterius Domini sui* (scilicet antiquioris) *hoc fecerit, quem sine fraude ante habuerit* §. *illud b. t.* Dum enim alium dominum antiquiorem juvare vellet, a quo feudum prius recognoscebat, superiorem dominum, hoc est Regem offenderet. Quod si vasallus suum subvasallum, ut domino mediato ab ipso læso satisfaceret, requirere neglexerit, feudo privabitur, sicut de filio nuper diximus *d.* §. *illud b. t.* Ex his constat jure etiam novissimo subinfeudationem sine domini consensu celebrari posse, quod male Hotom. negavit, dixi *lib.* II. 20. §. 56., Jac. a S. Georg. *loc. cit. n.* 10. *&* II., Gunther. *loc. cit.*

Si tuus ex feudo cuiquam vasallus id ipsum
Contulit, atque tuo vasallum munere fecit
Ipse tibi, si forte tuam, jam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa domino mediante secundo
Fecerit ipse satis; reprobato protinus illo
Ad dominum redeant feudalia jura secundum,
Si tuus, ille suum, tibi consiliare fidelem
Spernit: & aut torpens, aut perfidus esse probatur,
Ambobus spretis, ad te tua jura recurrent.

§. CXLIV.

§. CXLIV.

De foro feudali.

Sexta pars: Sæpius occaſione alienationis controverſiæ oriri poſſunt, idcirco noſter Imp. forum feudale conſtituit, *ſi inter duos vaſallos de feudo ſit controverſia, domini ſit cognitio, & per eum controverſia terminetur. Si vero inter dominum, & vaſallum lis oriatur, per pares Curiæ a domino ſub fidelitatis debito conjuratos terminetur*, §. *præterea ſi inter h. t.* Juriſdictio feudalis hoc jure domino ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtico, & Paribus Curiæ competit. Nihil intereſt, an dominus ſuperior, an inferior fuerit. Et vacante imperio Romano, loco Imperatoris, ſeu feudorum ſenioris Comes Palatinus Rheni Archidapifer imperii, & Elector Saxoniæ, ut alibi dictum eſt, ex Aurea Bulla Caroli IV. cognoſcit. Vacante Eccleſia, Capitulum de cauſſis feudalibus cognoſcere nequit, quia hæc juriſdictionis ſpecies eſt res ſingularis, & fructus; niſi feudum cum Capitulo commune fuiſſet. Si dominus pupillus, aut furioſus eſt, tutor, vel curator cognoſcit: Si minor etiam ſine curatoris auctoritate judicabit, etſi conſultius foret, ſi ejus conſilium adhiberet, Scrad. *par.* x. *ſect.* 3. *n.* 174. & 165. In controverſiis itaque inter vaſallos ortis dominus uti judex ordinarius cognoſcet. Sed ſi inter vaſallum, & dominum quæſtio eſſet, pares curiæ judicabunt, modo fidelitatem jurarunt; quamvis Scrad. *par.* x. *ſect.* 11. *n.* 105. teneat, Pares electos jusjurandum de recte judicando præſtari cogendos, ſicut jure ſaxonico obtinet, conſ. Roſent. *cap.* XII. 5. *n.* 13.

§. CXLV.

De feudo ligio.

Denique in omni jurejurando ſemper vel expreſſe, vel tacite Imperator excipiatur oportet §. *illud quoque ſancimus, ut in omni ſacramento fidelitatis Imperator nominatim excipiatur.* Feudum vel eſt *ligium*, vel non *ligium*. Ligium ſolus Imperator, Rex, & ſupremus Princeps concedit, & concedere poteſt, unde omnia Regni, & imperii feuda ſunt ligia. Non ligium inferior Princeps confert. Nam ligium eſt, in quo vaſallus ſuo ſeniori adeo fidelitatem jurat, ut neminem excipiat, contra omnes ei auxilia præſtare, obſequia, & ſervitia exhibere obligatur. Non ligium, in quo vaſallus fidelitatem jurat, & ſervitia daturum ſpondet, ſed Imperatorem, Regem, Supremumque Principem excipit, qui in omni juramento excepti intelliguntur.

Hinc contingere non poteſt, ut quis duorum Seniorum ligius ſit. Cum ſi priori fidelitatem contra omnes juravit, eique jus quæſitum eſt, ceteris jurare non conceditur, Arniſæus *de Rebus publi. c.* v. *n.* 14.

Ex abusu Ludov. Sigefridus *differt. de feudis legiis* §. 20. inquit. *Non solum enim consentientes habemus leges feudales* , (id est II. *f.* 99. sed est extraordinarium) *quæ* , *si præter feudum ligium* , *quod jam possidet aliud hereditario jure ab alio domino acquirat vasallus* , *tunc recentiori per substitutum servire permittunt* ; *sed etiam ipsa feudi ligii indoli nihil inde decedit* . *Quum nempe hodie servitia militaria plurimum per pecuniam* , *vel milites stipendiarios præstari soleant* , *quæ plerumque determinata sunt* , *utrique domino* , *sine alterutrius læsione* , *fidem servare* , *auxiliumque ferre potest vasallus* . *Ita tamen hoc temperandum erit* , *ut non promiscue* , *ex utroque feudo* , *sed ex eo tantum cuique domino subsidia mittat* , *quod ab ipso habet* , *adeoque obsequium non tam personale* , *quam reale præstet* . *Rem egregie illustrat exemplum Ducis Lotharingiæ* , *qui de ducatu Barri Regi Galliæ* , *Imperio autem intuitu feudorum quæ ab illo tenet* , *ligio vinculo est obstrictus* , *&* *neutri tamen auxilia potest denegare* .

Feudum itaque ligium solus Superior Princeps concedit. Verum in perturbata Barbarorum politia , Episcopi , Comites , Marchiones , Duces vasallos *ligios* contra omnes Seniorem se fueri obligantes habebant. Undique exempla experimur , præsertim in Episcopis Trevirensis Ecclesiæ . Nam acta Trevirensium Archiepiscoporum *lib.* III. *c.* 5. *an.* 1323. apud Martene *to.* IV. *vet. scrip.* inquiunt . *Eodem anno dominus Baldewinus Vellensteiin prope Cruzenache a Friderico Sylvestri Nuenbergh prope Kircastrum* , *&* *turrim Seiiuheim feodum ligium* , *&* *aperibile comparavit* , *&* *Regem Bohemiæ feodo in Iiimeren renunciare procuravit* , *quod ligium* , *&* *aperibile Georgius Comes Hirsutus a Baldewino* , *&* *Ecclesia sua Trevirensi* , *cum pertinentiis recepit* , *exceptis Misnicis* , *&* *Castrensibus feodis* , *ut in suo privilegiorum libro plenius continetur* . Nam Imp., & quilibet in suo dominio supremus Princeps vicem totius Reipublicæ , & patriæ repræsentat. Et nemo vasallorum suum seniorem contra Rempublicam, vel patriam adjuvare tenetur , Gunther. *loc. cit.*

Inter vasallos unius forte patroni
Quæstio de feudo quoties agitatur eodem:
Quo feudi domino gaudent , *hoc judice certent* .
Si tibi pro feudo , *quod te tribuente* , *fatetur*
Acceptum , *tu vero negas* , *vasallus agendam*
Forte movet litem , *non tu* , *sed Curia judex*
Audiat , *&* *certo determinet ordine caussam* .
Præterea quoties feudali jure recepto
Vasallus domino fidei juramina præstat .
Excipiendus erit Romanus nomine Princeps .

Denique noster Imp. sub nomine alienationis omnes commercii spe-

species comprehendit, quas *lib.* III. 27. §. 31. *& seqq.* recensui; quamvis moribus Francorum, & Belgicis feuda instar patrimonii redacta insalutato domino alienentur, Gudelin. *par.* VI. *c.* 2. *n.* 26.

TITULUS LVI.

Quæ sint Regaliæ.

HAc Constitutione ad Imperii utilitatem condita Fridericus Aenobarbus Regalia a Comitibus, Ducibus, Marchionibus, atque Episcopis in perturbato Italiæ statu reparat, & imperio injuste ablata restituit.

§. CXLVI.

De nomine regalium.

Nomen Regalium jura omnia Regia, & Fiscalia continet, sicut noster Rogerius in Const. *scire volumus lib.* III. I. usurpat, *quod quicumque de regalibus nostris magnum, vel parvum quid tenet.* Sæpius feuda, & possessiones, quæ Imperatorum, & Regum liberalitate Ecclesiis, & venerabilibus locis fuerunt concessæ, quarum possessores licet Ecclesiastici omnia feudorum onera, nempe obsequium, fidelitatis jusjurandum, & servitia substinent. Hinc ipsamet loca pia *regalia* dicuntur, *lib.* III. *LL. Longob. tit. l.* 30. *de Monasteriis, & Xenodochiis, quæ per diversos Comitatus esse videntur, & REGALIA sunt, ut quicumque ea habere voluerint per beneficium Domini Regis habent, & cap.* 8. *de Rebus Eccl. alien.* Et fœdus inter Henricum V. Imp. & Callixtum II. de investiturarum refutatione initum ostendit, confer. Nat. Alex. *seculo* XIII. *&* XIV. *differ.* 8. *art.* I. *& seqq.* Sæpius jura quædam eximia, quæ solis Imperatoribus, & Regibus competunt, & de his Imperator *hic* loquitur, Sixtin. de Regal. *lib.* I. *c.* I. *n.* 9., P. de Marcha *de Concord. lib.* VIII. *c.* 20. *&* 21. Denique hæc vox significat jus Regi competens ad fruendum reditibus, qui ad Ecclesias Cathedrales, sede vacante, pertinent, donec novus Episcopus, fide Regi præstita, Ecclesiæ possessionem adipiscatur. Nec tantum reditus temporales, quos ipsemet Rex concessit; sed & spirituales, hoc est beneficiorum collationem curam animarum non habentium occupat, & sibi vendicat, P. de Marcha *loc. cit. c.* I. *n.* I., Nat. Alex. *loc. cit.*, omnibus propemodum Europæ Regibus, imo & Ducibus, & Comitibus hæc facultas competiit, Florens *tit. Decr. de elect.*

§. CXLVII.

Definitio regalium.

Regalia ex hac Friderici lege, sunt jura ei, qui superiorem non recognoscit, vel cui concessione, aut præscriptione, consuetudineve quæsita sunt, ad salutem, & decus Reipublicæ competentia. Hinc vectigal, moneta, Ducatus, Comitatus, Marchionatus, & si-

& similia non sunt regalia, sed jus vectigal imponendi, monetam cudendi, & feuda Ducatus, & Comitatus concedendi, *regalia* dicitur. Hæc Princeps possidet, ut justitiam populis ministret, quia nulla lex sanctior, antiquior, & justior, quam salus populi existimatur. Possidet, ut bona sive corporis, sive animi, sive fortunæ civium custodiat. Hæc differunt ab illis bonis, quæ jure proprio, & tanquam privatus, Princeps, Rex vel Imperator habet, & Honorius in *l. 9. C. de jure fisci res Dominicas*, & *l. 2.* a Cujacio edita *C. de offic. Comit. rer. priv. patrimonium privatum* appellat. Patrimonium ex bonis allodialibus jure sanguinis, vel contractus titulo componitur, &, uti lubet, alienare potest. Bona publica sunt res, quæ populus sibi in proprium usum omnibus communem reservavit. Regalia sunt jura, quæ Imperanti competunt, quæ Interpretes *patrimonium Principatus*, *patrimonium fiscale*, *bona Dominialia* vocant. Regalia a Principe alienari non possunt, semper penes imperium remanent, nisi publica alienandi, vel infeudandi utilitas suadeat, prolixe dixi *lib.* 11. 3. §. 3. *& seqq.* Nullum propemodum in media ætate regale jus erat, quod Principes, & Imperatores Episcopis, vel laicis jure feudi non concederent. Verum quæsitum est, an generalis feudi, castri, Civitatis, provinciæ concessio regalia comprehendat? negatur, quia jus regale, diversam fovet naturam, quam castrum; nec in generali concessione id continetur, quod specialiter concedi oportet *l. 6. D. de pignor. cap. 3. de offic. Vicar. in 6.* Etiamsi in investitura dictum fuerit, *cum omni jure, quod Princeps ibi habet*. Excipitur, si Princeps in Castro, vel civitate nihil nisi regalia habeat; hæc ad vasallum pertinent; modo regalia minora, non majora Princeps ibi possideat. Aut si castrum, vel territorium simul cum regalibus concedi solet. Aut si in investitura nonnulla ex regalibus recenseat; hæc concessisse, cetera prohibuisse videtur. Aut si onus vasallo impositum, quod sine regalium fruitione expediri non posset, Zasi. *par. v. n. 6.*, Sonsbec. *par.* VIII. *n.* 19., Sixtin. *de Regal lib.* 1. *cap.* 5. Sæpius in regalium concessione etiam majora continentur, nempe si Marchioni, Duci, Comiti, ut in Italia Mediolanensi, Sabaudiæ, Ferrariæ investitura permittatur. In omni enim infeudatione loci consuetudo, vasalli dignitas, regalium magnitudo, pacta, & mens investientis perpendenda est. Atque omnia hodie Imperii regalia partim usurpatione, partim consuetudine, privilegio, partim emptione venditione vel civitates liberæ, vel magni Ducatus, Comitatus, Marchionatus fere possident, Zasi. *par. v. n. 6.*, Rothius *in Pand. feud. cap.* 12.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII.

De regaliis Italiæ sub Friderico.

Aetate Friderici indomita Italiæ indoles Imperii regalia, hoc eſt Duces, Comites, Marchiones, Barones, Epiſcopi, & Civitates præſertim Mediolanenſis uſurpaverant. Qua de re Imp. Conſilio Bulgari, Martini, Jacobi, & Hugonis Clariſſimorum Bononienſis Academiæ Interpretum; nec non Civitatum conſenſu, reſtitui ſibi curavit. Nam ſingulæ Civitates duos Judices ſibi elegerunt, ut decernerent, an Imperatoris petitio juſta eſſet. In his Comitiis Obertus de Orto, & Gerardus etiam interfuerunt; ſi Pancirolæ fides præſtetur, Otto Murena in *Hiſtor.* Radevic. *lib.* II. *c.* 5. Otto a S. Blaſio *in Chron. cap.* XIV. *Anno ab incarnatione Domini MCLX. Fredericus Imperator convocatis omnibus Italiæ Baronibus generalem Curiam apud Roncaliam, cum maximo Principum conventu celebravit: ibique renovatis antiquis legibus novas de ſuo promulgavit, ac diverſis imperii negotiis expeditis, jura deſueta in conſuetudinem reduxit, & quo juris genere Civitates Italicæ ſubjacerent imperio, judicialiter exquiſivit. Quod a Principibus, & legum Dominis diligenter examinatum, generali omnium ſententia judicatur: Omnia regalia Civitatum, utpote monetas, telonea, navigia, nec non & dignitates Poteſtatum, Conſulum, judicum ad jus ſpectare imperii, electaſque a civibus ad hac dignitates perſonas, de manu Imperatoris jure beneficii eaſdem ſuſcipere, nec ſine ejus conſultu ſuſpectas deponere. In hac etiam Curia, jam per multa oblivioni, & neglectui datos ad* XX. (alia MSS. legunt XXX.) *millia talentorum annuos reditus imperio adquiſivit. Præterea vectigalia antiquitus conſtituta, necnon exactiones pro imperii neceſſitate exigendas in rationem Cæſaris, ubi, quando, & a quibus, & quomodo tractentur decretum eſt, & edicto confirmatum.* Quam legem generaliter in Italia promulgavit, Gunther. lib. VIII.

Poſtea ſollicite regni de jure vetuſto
Quæſtio mota fuit: quod deſuetudine longa
Priſcus inumbrabat neglecti temporis error.
Ac primum Ligures ſuper hoc a Rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes,
Id quoque, quod fodram vulgari nomine dicunt,
Et Capitolitium certo ſub tempore cenſum.
Hæc Ligures ſacro tribuerunt omnia fiſco.

De regalium diviſione, atque ſingulorum, quæ hic Imp. recenſet, interpretatione *lib.* II. *tit.* 3. §. 3. & *ſeqq.* jam occupavimus.

TITULUS LVII.

Quot testes sunt necessarii ad probandam feudi ingratitudinem.

Assidue in his libris de vasalli felonia actum est; hic Henrici Imp. constitutionem refert, quæ modum probandi præscribit. *Si vasallus inhonestis factis, atque indecentibus machinationibus dominum suum offenderit, insidiisque eum clandestinis, vel manifestis appetierit, vel inimicis ejus suas amicitias copulaverit: atque in aliis sic versutus est, ut potius inimicus, quam fidelis esse credatur, vel si eum cucurbitaverit, seu in campestri bello suum dominum reliquerit feudo privabitur. Quod non obtinere sancimus, nisi quinque testibus summæ atque integræ opinionis probatum fuerit manifeste.* Videlicet in probanda vasalli erga seniorem ingratitudine, requiri quinque testes *summæ, atque integræ opinionis*, qui *manifeste* probent. Ne in re magni momenti vilium personarum testimonio vasallus feudo privaretur. Nec quælibet probationis evidentia, sed *manifesta* exigitur, idcirco non duo testes, sicut in ceteris caussis fieri solet, sed quinque omni exceptione majores interveniri sanxit, Duaren. *cap.* XXI. *n.* 3. Zasi. *par. x. n.* 123., Vultej. *lib.* I. *c.* XI. *n.* 108.

TITULUS LVIII.

De Notis feudorum.

IN hoc titulo quasdam generales de re feudali regulas exponit; & quatuor partes includit. Prima *de feudo Cameræ, & Cavenæ*, secunda *de investituræ probatione, petitione, & paribus* §. *quod autem*, §. *idcirco*, §. *item investitura*; Tertia *de rei communis infeudatione* §. *item sciendum*; quarta *de feudi instrumento, & controversus dominum inter, & vasallum agit* §. *si instrumentum, &* §. *seqq.*

§. CXLIX.

De feudo cameræ.

Prima pars: *Notandum in feudo, quod de cavena seu camera dicitur, non debere dari, nisi cum sit in camera, vel cavena, unde solvi possit: vel si ita evacuata sit cavena sine culpa promissoris, expectandum est, donec iterum de cavena, vel de camera dari possit. Dominum autem feudi dare posse intelligitur, omni ære alieno ducato. Non enim æquum est quem videre egentem, quem prius habuit in conjugem vel amicum.* Si dominus vasallo feudum cameræ, percipiendos videlicet ex suo ærario quotannis tot reditus, vel feudum cavenæ hoc est ex suo cellario, horreo, vel penuario jus aliquod annonarium, tot vini amphoras, tot frumenti mensuras, & similia constituit. Postea ærarium, vel cellarium sine culpa senioris solvere nequit; senior, deducto ære alieno, in id quod facere potest, te-

netur; *non enim æquum est quem videre egentem, quem prius habuit in conjugem* (hoc est consortem, consocium) vel *amicum, princ. h. t.* Nam alia est actio, qua solidum, alia qua non solidum, sed minus consequimur, ut actio de dote, in qua maritus in id quod facere potest condemnatur, dum dotem uxori suæ restituit; actio donatarii in donatorem, actio de peculio, actio liberorum emancipatorum in parentem, actio Socii in Socium, actio liberti in patronum §. 10. 26. 37. 38. *Inst. de actio.* Hujusmodi personæ in id quod facere possunt idcirco tenentur, quia, inquit, Paul. in *l.* 173. *D. de R. J. ne egeant*, quod ex personæ conditione dependet. Hoc privilegium merito feudista seniori concedit, cui maximum obligationis vinculum vasallus debet. Nec vasallus senioris creditoribus præfertur, sed prius æs alienum deduci, postea jus suum exigi oportet. Verum dum Camera, & Cavena solvendo evasit, dominus etiam pro præterito tempore, quo solvere non potuit, tenetur, Andr. *hic*, dixi *lib.* 11. *f.* 1.

§. CL.

De novæ investituræ probatione.

Secunda pars: Regula juris est, in probanda novi feudi investitura, paribus Curiæ opus esse, *si dominus vasallos alios habuerit. Alioqui adhibeat Dominus quos meliores poterit* (testes) *liberos tamen* §. *quod autem h. t.* Et duo, vel tres sufficiunt idonei, tamen etiam extranei, cum pares deficiunt. Utitur constitutione Ludovici Imp. in *l.* 7. *lib.* 12. *LL. Longob. tit.* 18. dum cuique pro piis locis testandi facultatem concedit, modo *testes idoneos* de pagensibus suis, hoc est ejusdem pagi incolis adhibeat. Atque hæc investitura accipi, & dari per procuratorem potest §. *item h. t.* 11. *f.* 3. §. *sed utrum*, ibi dixi. Pares jus feudale requirit, *ne quid excogitetur fraudis in perniciem domini alii testibus inductis, corruptis forte pecunia vel odio, vel gratia, quæ non sunt suspitanda in paribus*, §. *idcirco h. t.*

§. CLI.

De re communi in feudum danda.

Tertia pars: Regula quoque juris est, non modo res proprias, sed etiam communes in feudum concedi posse, *quia si sponte dividere noluerit ille, cum quo habet rem communem, qui investivit, potest cogere per judicem ille, qui investitus est, ut dividat* §. *item sciendum h. t.* Nam in alia parte non nocetur ei, qui rem communem non dedit, quia suam dumtaxat partem dedisse intelligitur. Sicut qui fundum communem legat, *portionem deberi constat*, etiamsi testator *suum* nominaverit *l.* 5. §. 1. & 2. *D. de legat.* 1., donari, vendi, permutari, aliove titulo alienari *l.* 12. *C. de donat.*, *l.*

1. & 4. C. Commun. rer. alien. Et heredes ejus necesse habent tenere firmam investituram, quam pater fecit. Item eadem lege, & eodem jure debet habere rem iste qui investitus est: quam haberet, qui eum investivit, cum coherede suo, scilicet adaquatio percurrat usque ad quadraginta annos d. §. item sciendum. Heres videlicet senioris partem indivisam in feudum concedentis, ratihabere investituram cogitur, quam pater defunctus fecit, cujus personam repræsentat, & factum ratum habere debet *l. 14. C. de R. V., l. 73. D. de evict.* Et investitus idem jus in re infeudata vindicat, quod investiens ante investituram vindicabat; & proinde consortes ad divisionem judicio communi dividundo cogere valet, quia nemo in communione vivere tenetur *l. fin. C. Comm. divid.* Hinc etiam si dominus in divisione deceptus est, vasallus investitus, contra socios *adaequationem*, hoc est æquam partitionem petere potest. Atque ad intendandam hanc actionem jure Longobardo quadraginta annos habet, *lib. 11. LL. Longob. 29. l. 3., & 35. l. 12.* Jure Romano est 30. *an.* Andr. *hic*, Sonsbec. *par. VIII. n. 31.*, Joan. Blanc. *lib. 1. c. 6. n. 8.*: Gudelin. *par. II. c. 3. n. 3.*


§. CLII.

De controversia inter vasallum, & seniorem.

Quarta pars: Mævius vasallus possidet, dominus infeudationem negat: vasallus instrumentum investituræ producit, quod dominus falsum agnoscit. Si instrumentum, vitiis non laborat, & dominus falsitatem probare nequivit; vasallus obtinebit, si investitum se esse juraverit. Si vero Dominus feudum possidet; & vasallus petat, sed non probat, jurejurando domini caussa decidatur §. *si instrumentum h. t., 1. f. 4.* Deinde regulam proponit, *de omni controversia, quæ inter Dominum, & vasallum, oritur, si pares veritatem noverint, omnino cogi debere a Domino, & paribus dicere veritatem. Qui si dicant se nescire, cum sciant, & vasallum postulet; Dominus eos cogat, jurare, & veritatem dicere, §. notandum h. t.* Omnis controversia sive de feudo novo, sive antiquo inter dominum, & vasallum orta a paribus Curiæ jam electis cognoscitur, qui si judicare, vel testimonium dicere nolunt, dominus auctoritate judicis superioris vel aliorum parium cogere potest, ut judicent, & veritatem dicant *l. ult. §. 14. D. de Muner. & hon.* Et jure communi omnis testis ad veritatem dicendam propemodum compellitur *l. 9. C. de Testibus*, quod & juri Longobardo convenit, *lib. 11. LL. Longob. tit. 56. l. 13.*, Jac. a S. Georg. §. *& dicti vasalli pro dictis n. 14.*, Sixtin. de Regal. *lib. 1. c. 8. n. 49.* Et quia feudalis investituræ controversia sæpius sacramento senioris, sæpius sui successoris deciditur; Si sacramento senioris, *jurare debet se investituram*

non

non fecisse: si sacramento successoris, hic *jurare debet se non credere investituram factam esse ab antecessore suo* §. *cum datur h. t.*, 11. *f.* 33. §. 2. Dominus liquido jurat se scire, quia de facto proprio jurat, in quo ignorantia non toleratur; successor, se credere, seu ex animi sui sententia jurat, quia successor juste ignorare potest. Sicut & tutor, curator pupilli, minoris, furiosi, Syndicus jusjurandum de calumnia in caussis pupilli, minoris, furiosi, & Universitatis præstant, *l.* 2. §. 2. *C. de jurejur. prop. calum.* Ex animi sui sententia jurare idem est, ac ex conscientia, & sincera fide jurare, ut vulgaris & vetus jurisjurandi formula docet, Livius *lib.* 22. *Ex mei animi sententia juro, ut ego Rempublicam non deseram, neque alium Civem deserere patiar*, Cujac. 1. *obser. c.* 21. Semper tamen jusjurandum principalis a jurejurando hereditario differt *l.* 12. *C. de rebus cred.* Ceterum nec patri, nec matri, nec heredi, aut tutori, vel curatori de alieno facto, & alieni animi sententia jusjurandum datur, quia iniquum est, aliquem jurare de facto alieno §. *si qua h. t. l.* 11. §. 2. *D. de Act. rer. amot.*, quamvis jure Longobardo filius, mortuo patre, patrem debitorem non fuisse jurare cogatur *lib.* 11. *LL. Longob. tit.* 56. *l.* 7. Si itaque senioris successor investituram a defuncto non esse actam ex animi sui sententia, ex credulitate jurat; vasallus explicare tenetur, quisnam fuerit ille senior, qui investituram sibi fecit §. *si qua h. t.*



DE

DE REGULIS JURIS.

Lex I. *Quilibet rerum suarum liberam habens administrationem, infeudare potest* II. *f.* 3.

QUoniam publica utilitas, necessitas, & Principum liberalitas clientelas invenit, idcirco antiquitus nemo infeudare poterat, nisi cui publica salus, libera administratio, & jus belli gerendi concredita essent. Hujusmodi est summus Princeps: feuda enim ob militiam conceduntur, militia soli Principi competit, qui jus belli gerendi possidet. Postea Comitibus, Ducibus, Marchionibus competere cepit, aliisque, qui a summo Principe regalia, domania, ditiones, prædia, & fiscalia jure feudi cognoscerent. Denique alia invaluit ratio, suppeditare, si quis, licet privatus, liberam sui patrimonii, & peculii administrationem haberet, de qua nostra regula distitat. Hinc in jure Longobardo, (1) Imperator, seu Rex, (2) Comes, Dux, Marchio, (3) minor valvassor, (4) valvasinus, seu minimus valvasor infeudant, I.*f.*16., II. *f.* 10., Sonsbec. *par.* VI. *n.* 10., Hannet. *lib.* I. *c.* 5., Vultej. *lib.* I. *c.* 3. *n.* 3., Christophor. Lorber *Inst. jur. feud. Germanici lib.*I. *tit.* 2. §.29.

Sane cum infeudatio sit alienationis species, infans, pupillus, furiosus, mentecaptus, prodigus, filiusfam. in peculio adventitio & profectitio (excepto castrensii infeudare non possunt. Hodie in Germania Nobiles, hoc est ingenui sua allodia, Civitates liberæ, & Dynastiæ territoria, reditus, & oppida infeudant, Lorber *loc. cit. tit.* 7. §. 52. & *tit.* 8. §. 53. & 54., Rothius *in Pand. feud. cap.* v. *q.* 22. In Regno Neapolitano, & Siculo nullus de allodio feudum facit, nisi solus Rex Andr. *in* II. *f.* 16. *n.* 10.

Lex 2. *Quilibet ecclesiasticus bona suæ ecclesiæ infeudare valet, modo juris solemnia servet*, II. *f.* 35., I. *f.* 6., I. *f.* I., *cap.* II. *de reb. eccl. alienand.*, *cap.* 2. *de feud.*

Nomine *Ecclesiastici* venit S. Pontifex, Cardinalis, Metropolitanus, Episcopus, Parochus, qui licet bonorum ecclesiæ non dominium, sed administrationem, & usum habeant, modo utilitas non propria, necessitas non quævis, pietas, & magna, & incommoditas suadeat, bona suarum ecclesiarum infeudare possunt, Curt. *par.* II. *q.* I., Pistor *lib.* II. *q.* 27. Seculo enim VIII. & seqq. Episcopi, Abbates, & ecclesiarum Rectores sine ulla plerumque solemnitate bona ecclesiæ in feudum dabant; nec semper sponte, sed sæpius coacti. Cum magna divitiarum Ecclesiæ copia laicos, Du-

Duces, Comites, non raro ipsos Reges Francorum ad invidiam traheret, qui easdem invadebant, vel usurpabant. Ecclesiæ ut ab his rapinis, & violentis expoliationibus, atque usurpatione se eximerent, vel diminuerent; Milites armatos, & vasallos sibi creabant, eisque stipendii loco bona sua in feudum concedebant, ut defenderent, & invasionibus occurrerent; quod assidue in medio ævo perlegi, Lorber *loc. cit. lib.* 1. *tit.* 6. §. 48.

Lex 3. *Omnis res in feudum dari potest, nisi a lege probibeatur, vel naturæ feudi repugnet*, II. *f.* I. §. *sciendum*.

Omnis res vel in commercio, vel extra, existit. In commercio, vel mobilis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis. Extra commercium, vel *voluntate unius*, ut bona fideicommisso, & restitutioni subjecta, bona pupilli, prodigi & furiosi; vel *societatis consilio*, ut bona publica, communia, Universitatis; vel *divini cultus obsequio*, & ministrorum Ecclesiæ alimonia, aut religionis puritate, ut res sacræ, sanctæ, religiosæ, Ecclesiasticæ. Rex sacræ sunt templa, sacella, vasa divino cultui destinate: res sanctæ apud christianos exulant: res religiosæ sunt cæmeteria, sepultura: res ecclesiasticæ sunt bona Ecclesiæ, prædia, decimæ, oblationes, primitiæ. Res immobilis, ut Civitas, provincia, oppidum, territorium; res mobilis, ut pecunia, aliave; res incorporalis, ut reditus, regalia, hoc est jura, quæ Regibus competunt. In his omnibus partim jure, partim abusu olim in medio ævo feuda consistebant. *Jure*, videlicet in civitatibus, oppidis, prædiis provinciis, reditibus, & Principum regaliis, quæ commercio conveniunt, vendi, & quovis titulo alienari possunt, recte divisionem ususfructus a domino recipiunt. *Abusu*, dum Ecclesias, monasteria, Abbatias, hoc est earum reditus militibus infeudabant; nec vel Princeps, Comes, Dux, aut Marchio in sepultura, vel cæmeterio alicujus ecclesiæ feudum suis domesticis, ministerialibus, vel militibus constituere dubitabat. Nam cæmeteria eran fructifera, nempe pro sepultura ætate seculi IV. & V. a Clericis aliquid peti obtinuit ut suum laborem referret. Hoc lucrum laicos allexit, idcirco in feudum concesserunt. Sane regula juris est, omne quod lucrum vel naturaliter, vel civiliter, vel industria hominis producit, infeudari potest, Zasi. *par.* IV. *n.* II. Vultej. *lib.* I. *c.* 5. *n.* 3., rectiusque Obertus *in d.* §. *sciendum* docuisset, omnes res in feudum dari posse, quoties ex iis fructus percipiuntur, Sandes *ad Consuetud. Geld. tit.* I. *c.* I.

Lex 4. *Quisque feudum accipere potest, nisi a lege, vel natura probibeatur*. II. *f.* 3. §. *personam*.

Primæva feudorum nativitas militiam dumtaxat admisit, nec qui

qui militare nesciret, feudum accipere poterat, II. *f.* 34. §. *similiter*. Regula erat, *omnis feudum adquirere potest, qui miles esse potest:* postea publica necessitas togatam militiam invitavit, & *omnis, qui ad magistratus gerendos idoneus esset, feudi quoque capax esset*. Verum sicut natura assidue agendo, & in seipsam revolvendo nova producit, vel in se inclusa paulatim expandit; ita & ars juris assiduis societatis actibus nova inducit, vetera delet, suos auctores relinquit, virtutes, & vitia eundo contrahit. Et tertia invaluit regula, *omnis acquirere potest feudum, nisi natura, aut lege prohibeatur*. *Natura*, ut furiosus, mentecaptus, mutus, surdus, cæcus, vel aliter imperfectus; his si senior feuda concedit, sibi imputandum. *Lege*, ut excommunicatus majore excommunicatione, infamis, usurarius, hæreticus, apostata, vulgivoga venere natus; quibus si senior donat, vel alio titulo tradit, aut jus gentium, aut privatum, aut religionis lædere oportet, idcirco prohibetur. In ceteris nec *conditio*, ut in servo; nec *sexus*, ut in fœmina; nec *ætas*, ut in pupillo; nec *qualitas* personæ, ut in clerico; nec *artis professio*, ut in mercatoribus impediunt, quominus feuda recipiant, & vasalli evadant, Sonsbec. *par.* VII. Duaren. *cap.* 6. *n.* 13., Struv. *f. j. f. cap. v. A.* 12. *& seqq.* At loci mores inspiciendi; ut jus Aleman. *cap.* 1. §. 4. *Clerici, mulieres, & agricolæ, & omnes, qui sunt infamia notati, & qui non sunt legitime nati, nec ex equestri genere, illi omnes carent jure feudali*.

Lex 5. *Omne feudum proprie investitura, improprie successione, & præscriptione adquiritur*, I. *f.* 25., II. *f.* 33. II. *f.* 26. §. *si quis*.

Investitura est verus, & naturalis adquirendi, & constituendi feuda modus; & in jure Longobardo quinque ostendit. Primo ipsam feudi possessionem significat II. *f.* 2., secundo instrumentum infeudationis II. *f.* 10. ibi *sermonem tamen investituræ*; tertio contractus feudalem, qui inter seniorem, & vasallum celebratur I. *f.* 20., quarto actum investiendi, seu nostri allodii, aut juris in usumfructum concessionem, cui vasallitica fidelitas inest I. *f.* 26., quinto pacta, quibus feudale negotium perficitur, II. *f.* 87. Hotom. *disput. feud. c.* 23. Quamvis hujusmodi notiones inter se non longe distant. Definitur a Cujac. *in* I. *f.* I. *Cessio feudi solemnis sive contractus, qui sine traditione possessionis per se subsistit*, & Vultejo *lib.* I. *c.* 7. *n.* 6., & Boehmero *de Invest. cap.* 2. §. 41. placet.

Aliud est feudum, aliud investitura; feudum non est contractus, sed contractu constituitur; nempe illud, quod ex pacto dominum inter, & vasallum resultat, feudum vocamus. Vel propria est, vel abusiva: propria, cum feudi possessio in vasallum cum usufru-

ctu transit: abusiva, dum vasallus feudalem possessionem jus apprehendendi adquirit. Utraque est modus adquirendi feuda, & in medio ævo etiam allodia, symbolis quibusdam vestita, nempe hasta, ense, baculo, aliisque sicut feudi qualitas, & consuetudo instruit, Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* II. §. 116. *&* *seqq.* & Feudista *in* I. *f.* 25. II. *f.* I. §. *ult.* Successione non proprie feudum adquiri, sed adquisitum possideri, dicitur ab eo, qui investitura vocatus succedit. Præscriptio, investituræ non veræ, sed præsumptæ, & tacitæ vicem occupat, modo præscribens servitia bona fide tanquam vasallus domino præstiterit, & dominus acceptaverit II. *f.* 26. §. *si quis per triginta*. Paræmia juris Longobardici est, allodium & feudum tuto 30. annorum possessione bona fide, & justo titulo possessori concredi, Lorber *loc. cit. lib.* II. *tit.* 33. §. 290.

Lex 6. *Investitura fidelitatem præcedere debet* II. *f.* 4., II. *f.* 7. §. I., II. *f.* 17.

Quæsivit Obertus *in* II. *f.* 4., an investitura prius faciunda, & deinde jusjurandum fidelitatis præstandum, an præstatio jurisjurandi præcedere debeat? Inquit, *sæpe responsum est investituram debere præcedere fidelitatem*. Interpretes distinguunt, ut si de abusiva investitura agatur, hæc hominium præcedere debeat, si de reali, hæc non præcedat, sed hominium sequatur. Quæ distinctio alibi feudistæ placuit, nempe *in* II. *f.* 3. §. *nulla*, *&* II. *f.* 7. *in fin.* ibi *investitura vero facta*, *&* *fidelitate subsecuta*, *omni modo cogatur Dominus investitum in vacuam possessionem mittere*, *quod si differat*, *omnem utilitatem ei præstabit*. Vox *investitura* abusivam intelligit, seu civilem; vox *possessionem*, realem, seu naturalem investituram ostendit. Ratio, quia feudum est militaris clientela, clientelæ subjectum est jus utendi fruendi, caussa efficiens est senioris beneficium, forma est investitio, finis est militaris servitii munus. Aequum est primo caussam efficientem præcedere, quia prius beneficium esse, deinde vasallum constitui, qui beneficium agnoscat. Nam jusjurandum est effectus beneficii, & effectum præcedere ordo naturæ monet, Hotom. *disput. feud. cap.* 23., Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 49. Nihil tamen vetat, si vasallus ante investituram jurare voluerit; & tunc seniorem ad abusivam, & realem investituram agendam compellere potest, sibique devinciet, Gudelin. *par.* II. *c.* 7. *n.* 2. *&* 3.

Lex 7. *Investitura de feudo novo*, *sive civili*, *sive naturali*, *tantum coram Curiæ Paribus faciunda*, *secus non valet*, II. *f.* 2., II. *f.* 33. §. *nec dicatur*, II. *f.* 32., II. *f.* 58. §. *idcirco*.

Necessario omnis investitura coram Paribus agenda est, videlicet convasallis, qui eodem feudi jure in eadem Curia gaudent. Aliter etsi

etsi mille testes extranei adessent, vel hujusmodi extranei deinde pares fiant, tamen investitura non valet. Et si fieri coram extraneis contingat, improprium feudum erit, ad vitam investiti durabit, & ad ejus heredes non transit, nisi 30. an. spatio *præscripserit* I. *f.* 25., II. *f.* 26. §. *si quis per triginta*, Sonsbec. *par.* IX. *n.* 10., Scrader. *par.* V. *c.* 2. *n.* 6., sive clericus, sive laicus investiat, vel investiatur. Ratio hujus consuetudinis est, quia fraudem, dolumque malum odio, amore, vel pecunia non facile Pares committunt II. *f.* 58., qui domino nocere posset. Excipitur, si dominus Pares non habet, tunc testes extraneos adhibere potest, II. *f.* 58. Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 29. Olim moribus Germaniæ cum investitura esset quædam judicii species, sub Dio agebatur, Lorber *loc. cit. lib.* I. *tit.* 3. §. 35. *not.* Hodie Paribus Curiæ non indiget, sed investitura in publicis archivis conservatur, & plenam fidem inducit, Rothius *in Pand. feud. cap.* XII. *q.* 8., Struv. *f. j. f. cap.* XVI. *A.* 14. etiamsi subscriptio parium non fuerit.

Lex 8. *Omnis feudi investitura accipi, & dari per procuratorem potest*, II. *f.* 3. §. *sed utrum*, II. *f.* 58. §. *item investitura.*

Investitura non est actus legitimus, nec contentiosæ jurisdictionis, proinde per internuncium accipi, dari, & in qualibet ditione exerceri valet. Nec Longobardis Romana in legitimis actibus subtilitas placuit, P. de Vineis in privilegio Regni Austriaci *lib.* VI. *c.* 26. *Nullus ex successoribus tuis coronam, aut consecrationem in prædicto tuo Regno de manu cujuspiam accipiat: sed a nobis, & successoribus nostris, tantum in Curia nostra, vel ab his qui speciale mandatum a nobis super hoc habeant, coronationis, & consecrationis munus, & decus pro tempore consequentur.* Præstatur quoque jusjurandum per procuratorem, Radev. *lib.* I. *c.* II., modo Dominus procuratorem excipiat, secus ipse vasallus coram eo comparere tenetur, Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 18., Scrad. *par.* V. *c.* 3. *n.* II., Roth. *in pand. feud. cap.* XII. *q.* 20., & *ex Clemen.* I. *de jurejuran.* constat.

Lex 9. *Vasallus feudo uti frui, & tanquam Dominus a quolibet vindicare potest* II. *f.* 8., II. *f.* 43.

Constituto feudo, vasallus omnes utilis dominii reditus percipit, subinfeudat, olim sine senioris consensu, alienabat, actiones sive in dominum, sive, in extraneos exercet, interdicta uti possidetis, adipiscendæ, recuperandæ, & retinendæ possessionis intendit, servitutem, quamdiu ipse vivit, duraturam imponit, sine senioris licentia in jus venit. Nunquam hodie, illaudato domino, alienat, II. *f.* 52. II. *f.* 55. Gudelin. *par.* IV. *c.* I., Sande *ad Consuetud. Geld. tit.* 2. *c.* I., Zasi. *par.* VI. *n.* 27.

Lex

Lex 10. *In omni feudorum controversia semper tenor investiturae inspiciendus, qui naturae feudi derogare potest,* 11. *f.* 18. *arg.* 11. *f.* 2. §. 1. 1. *f.* 4. 11. *f.* 48.

Si qua clientelaris controversia contingat, sive servitia, modum serviendi, tempus, locum, quantitatem, vel qualitatem; sive successionem, vel utendi, fruendi circumstantias respiciat. Primo investiturae verba, & sensum perscrutari oportet, qui tanti aestimatur, ut omni feudorum naturae, juri scripto, topicis, vel universalibus Regionum, & pronunciarum consuetudinibus derogare potest. Cur ita? Quia pacta leges contractibus indicunt, eosque regunt, quin contractuum substantia vim patiatur. Pactorum enim appositio a contrahentium voluntate, non contractuum substantia dependet, *l.* 10. *C. de pactis*, *l.* 23. *D. de R. J.*, Sande *ad Consuetud. Geld. tit.* 3. *c.* 1. §. 7. *n.* 50. At si investiturae verba obscura sint, nec constat, quid investiens sentire voluerit? Regula est, primo consuetudo loci inspicienda, in qua infeudatio contracta est; secundo, si haec deficiat, jus commune feudale; tertio, si ne hoc quidem instruit, jus romanum; quarto jus canonicum sectari tenemur.

Denique si haec diligentia nihil proficit, contra dominum pro vasallo respondendum est. Nam domino imputari debet, si mentem clarius non explicuit, *l.* 39. *D. de pact.*, *cap.* 57. *de R. J. in* 6., cum senioris non vasalli mentem suam clarius explicare interesset, Peckius *ad d. c.* 57. *n.* 6., Vultej. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 90., Struv. *f. j. f. cap.* 1. *A.* 11. 12. 13. Plane si investiturae pacta opponat, quae turpia, vel natura, vel lege, vel bonis moribus, aut si impossibilia sunt, eam vitiant, sicut de contractibus *l.* 6. *C. de pactis*. Et turpitudo intelligitur, non modo ea, quam jus naturae, & gentium improbat, sed & quam civitatis institutum abhorret, conf. Noodt *lib.* 11. *Probabil. c.* 13., Andr. *in* 1 1. *f.* 2. *in fin.*

Lex 11. *Jure novissimo vasallus feudum sive proprium, sive improprium alienare nequit, nisi senior consensiat*, 11. *f.* 52., 11. *f.* 55. *ubi pæna statuitur.*

Cum feuda adhuc a nutu Principis dependerent, & personalia essent, cogitatum non est, nec vasallis interdictum, ne alienarent, quia frustra prohibetur, quod committi non cogitatur. Verum cum vel usurpatione, vel jure hereditaria evasissent, de iis tanquam de allodio disponendi facultatem adrogarunt. Haec facultas, conniventibus Principibus, & consuetudine, non displicuit, nec Longobardis in Italia improbata est, & quot in Italia feudales curiae erant, tot propemodum mores invaluerunt. Alibi totum, alibi partem alienare sine senioris consensu, poterat 11. *f.* 44. Camer. *in* 11. *f.* 55. *pag.* 8. Donec Lothar, in Campis Roncaliae *an.* 1136. vetuisset,

eumque Fridericus I. secutus confirmavit, & ad omnem alienationis speciem extendit *d.* 11.*f.* 52. 11.*f.* 55.

His duabus celeberrimis legibus pacta, & mores Europæ non pauca detraxerunt: Pacta, si senior jus vasallo alienandi dedisset, quin suum consensum expectaret: Mores, ut in Gallia; in Silesia, & Lusatia, modo æs alienum urgeat, in Regno Siciliæ; in Germania, si Principes aliquid ex suo feudo alienare velint; si totum Cæsaris consenlu indigent, & Lex Friderici servatur, Gudelin. *par.* IV. *c.* 2. *n.* 16., Roth. *in Pand. feud. cap.* IV. *q.* 53., Lorber *Inst. jur. feud. Germ. lib.* 2. *tit.* 34. §. 301.

Lex 12. *In feudo antiquo consensus senioris, & agnatorum requiritur, secus revocatio competit* 11. 26. §. *Titius*, 11. *f.* 39. 11. *f.* 45.

Omnis juris sollicitudo, omne fori negotium eo tendit, ut unusquisque quod suum est, retineat, & conservet. Equidem investitura omnes investiti agnatos, & filios in suo sinu, tanquam planta in semine, fructus in siliquis comprehendit, qui successionis ordine unus post alterum ad clientelam accedit. Non alio jure, quam primus acquisitor, & primus investiens eis concessit. Hujusmodi si alienari vel voluntas, vel necessitas petit, omnes agnati consentire debent, quia omnes æquale jus vindicant, & quod omnes tangit, ab omnibus ad probandum *cap.* 29. *de R. J. in* 6.

Agnati itaque, qui alienationi non consenserunt, jure protimeseos, vivo etiam alienatore, jure successionis, defuncto vasallo revocant 11. *f.* 3. §. 1. 11. *f.* 26. §. *Titius:* primo pretium, non autem secundo solvere tenentur. An etiam filii, si pater feudum alienat? Alibi dictum est; nec agnatus requisitus consentire cogitur, Scrad. *par.* VIII. *c.* 5. *n.* 11., Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 160., Lorber *loc. cit. lib.* II. *tit.* 35. §. 302.

Lex 13. *Dominus, licet vasallo alienare feudum, se inconsulto, permittat, tamen in ecclesiam alienare non potest* 1. *f.* 13.

Vetusto jure Romano collegia, & municipia heredes institui non poterant, nec eis legari, quia incertæ personæ erant, Ulpian. *fragm.* 25. 5. Eodem jure Ecclesiæ vivebant. Donec *an.* 320. Constantinus M. in *l.* 1. *C. de SS. Eccl.* cuique liberam relinquendi facultatem Ecclesiis concessit. Supervenit Constitutio Valentiniani, Theodosii, & Arcadii *l.* 20. & 27. *C. Th. de Episc. & Cler.*, & Clericis, & Monachis aliquid testamento relinquere vetuit, ne opibus insolescentes, minus pietati vacarent, & heredipetarum officium deponerent.

Hæc lex D. Hieronymo non displicuit *Epist. ad Nepot.*, quinimo ex lege Constantini erui videbatur, quæ Ecclesiis tantum, non

non Clericis, vel Monachis relinquere indulsit, Forner. *lib.* 1. *select.* *c.* 28. Paganin. Gandent. *lib.* 1. *juridic. exposit. c.* 26. Legem Constantini Justinianus retinuit *l.* 13. *C. de SS. Eccl. Nov.* 131. *c.* 9.) & si quis Clerico, vel Monacho relinqueret, Ecclesiæ, vel monasterio relictum censeretur, Giphan. ad *d. l.* 1. Lex Constantiniana imperii excidio, excidium & ipsa passa est: In Gallia Chilpericus Rex qui seculo VI. floruit, Ecclesias heredes institui vetuit: in Hispaniis, Burgundia R. Neapolitano sub Suevis; Anglia sub Edoardo I. *an.* 1290., & alibi nemo sine Regis venia quicquid relinquere poterat. Et hodie apud nos servatur, ut invictissimus Ferdinandus IV. sanxit, Peckius *de Amortizat. cap.* 4., P. Greg. *de Republ. lib.* 13. *c.* 16., Wanespen *J. E. to.* 1. *tit.* 29. *c.* 3. *n.* 25. Hinc *amortizatio* invaluit, hoc est *licentia bona immobilia per manum mortuam retinendi, & in perpetuum possidendi*, Peck. *loc. cit. c.* 1.

An Ecclesiasticæ libertati repugnet? Imo monstrum nonnullis apparuit. Immerito: Regula juris est, Prælatum in adquirendis Ecclesiæ nocere posse, non autem in adquisitis; sicut debitor, si adquirenda omittit, nempe hereditatem repudiat, non incidit in Prætoris edictum, *quæ in fraudem creditorum facta sunt restituantur l.* 6. *D. eo.* excipitur: debitor fiscalis *l.* 45. *D. de jure fisci*. Quamvis nonnullis placeat, Ecclesiam ad interesse agi, si damnum a Prælato sentiat. Princeps adquirenda adquirere prohibet, non adquisita retinere improbat. Non ut suum ærarinm augeat, sed ut pietatem, religionem, & honestatem in Clericis servet, quæ divitiarum copia languescit. Christus apud Matth. XIX. v. 16. omnibus dixit, *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in cælo.* Non quia bona improbare voluit, sed quia bonis perfectio, & charitas vilescit, ut ibi Lyranus, inquit.

Princeps igitur tantum clericis permittere debet, quantum eorum sustentatio, honor, dignitas, meritum, & doctrina exposcit; si Christi præcepta imitari ambiat. Præsertim illis, qui in vinea Dei pro cultu religionis, opere, vel scriptis laborant. Non illis, qui tanquam in tempo religionis picturæ non modo non ornant, sed impediunt, non proficiunt, sed nocent, non sua consumunt, sed aliena usurpant, a quibus nihil & societas, & Christus sperat. Ad rem: Feudum in ecclesiam, vel jure libellatico, vel alienationis transferri non potest, quia Ecclesia nunquam heres esse desinit, nec feudum ad seniorem reversurum esset; nec facile servitia seniori præstaret. Et licet senior alienandi facultatem dedisset, tamen non in eum, quem lex feudalis improbat, sensisse censetur. Consensum remisit, non juri suo in clientela renunciavit, nisi aliter investitura suadat.

Lex

Lex 14. *Senioris consensus est stricti juris, ut universalis feudistarum consensus docet.*

Hæc Regula, uti jacet, in jure feudali non occurrit, sed natura feudi, assensus, & Interpretum sententia eidem robur & jus dederunt. Nam assensus licet dicatur *gratia*, tamen talis in his, quæ dominus expressit, vel vasallus, cui dominus consensit. Sic si dominus donandi facultatem dedit, caussa mortis, vel inter vivos donare potest, cum utramque donationem lex appellet. Data vendendi licentia, uti placet, & cui placet, quoties a lege non vetatur, vendere potest.

Hinc nostra regula, non ad generalem assensum, sed specialem pertinet; videlicet senior alienandi in Mævium facultatem dedit, si in Sabinum vasallus alienat, alienatio ruit. Senior permutare permisit, vasallus vendere nequit; vel donare, aut locare, vel in emphyteusim dare: Et vicissim. Proinde Interpretum Paræmia, assensus nec de contractu ad contractum, persona ad personam, re ad rem, casu ad casum, tempore ad tempus extenditur, Camer. *in* 11.*f*.55.*p*.45., Pistor *lib*.11. *q*.49., Vultej. *lib*. 1. *c*. 10. *n*.99. Cur specialis Domini assensus *stricti juris* dicatur? Respondeo, quia in assensu non modo vasalli, sed & senioris utilitatem perpendimus: Senioris interest, feudum potius Mævio, quam Sabino vendi, vel donari: potius permutari, quam omnino alienari; sicut in ceteris eadem ratio suadet. Ne copiam clientelarium jurium invitus amittat.

Lex 15. *Qui præsens actum impedire potuit, nec contradixit, is habetur pro consentiente*, 11.*f*. 9. §.*porro*, 11.*f*. 26. §. *Titius*, 11. *f*. 33. §. *inde etiam*.

Regula juris canonici, & civilis est, qui tacet consentire videtur; quæ tantas comprehendit exceptiones, ut nomen suum pene amittat, & Interpretes naturæ *corii* comparant, qui, quantum placet, extendi potest. Brevi dicam: tacere medium inter confiteri, & negare continet *l*. 142. *D. de R. j. cap*. 44. *de R. j. in 6.* Verum hæc regula *in tit. D. de interrog. in jur. fac.* locum non habet, ubi in solidum convenitur, qui interrogatus, an heres esset, tacuit, & tacere est negare; nam qui non respondit, contumax est, & contumaciæ pœnam ferre debet *l*. 11. §. 4. *D. de interr. in jur. fac.*, & ideo *tacere* in duriorem partem accipimus *cap*. 2. *de confes. in 6.*

An qui tacens pro consensiente habeatur? Aliud est fateri, aliud consentire: fatemur præterita, consentimus in futurum, ut aliquid fiat. Distingui oportet: si quod agitur, *ad tacentis utilitatem* spectat, tunc silentium consensui respondet: Si Mævius Cajum pro se fidejubere patitur, & tacet, actione mandati tenetur *l*. 6. *C. mandat.*

dat. Puellæ taciturnitas in sponsalibus est pro consensu *l.* 12. *D. de sponsal.* Pater non aliter in judicio dotem petit, quam si filia consensiat, si tacet, consentire videtur *l.* 2. §. 2. *D. solut. matri.*, si reus, lata sententia, non appellat, sed tacet, consentit *l.* 3. *C. quomodo, & quando, jud. cap.* 15. *de sent. & re judic.*, Peckius *ad cap.* 43. & 44. *de R. j.*, Cujac. *obser.* 16. *c. ult.*

Præterea taciturnitas habet vim consensus, si ratio sanguinis, ratio publica, dolus, contumacia, diuturna scientia, &. Dominica potestas vertitur. *Ratio sanguinis*, *l.* 38. §. 1. *D. de donat. inter vir. & uxo.* ubi tres fratres rem communem possidebant, unus uxorem duxit, & rem communem uxori donavit, pro tertia parte, donatio non valet; quia inter virum, & uxorem donatio prohibetur. Ex duabus autem partibus reliquis; si fratres scissent, & tacuerunt, vel ratum habuerunt, donatio valet. *Ratio publica*, si patre præsente, & tacente, filius decurio creatur, pater adeo obligatur, ac si pro filio fidejussisset *l.* 2. *D. ad municipal. Dolus* : si quis dolo tacet in damnum alterius contrahentis: finge, Mævius prædia Titii, præsente Titio, & tacente, obligavit, obligatio in Titii præjudicium valet *l.* 2. *C. si aliena res pign. Contumacia*, de qua nuper ex *d. l.* 11. §. 4. *Diuturna scientia*: quæ semper consensum inducit, & malam fidem tacentis præsumit, 11. *f.* 26. §. *si quis per triginta*. *Dominica potestas*: ut si servus aliquem, sciente domino, occidit, in solidum dominum obligat *l.* 2. & 3. *D. de Noxal.*, Pacian. *de Probat. lib.* 1. *c.* 29. & 30., Pecki. *loc. cit.*, Cujac. 13. *obs. c.* 34. & *ad l.* 49. *D. de Negot. gestis*.

Aut agitur ad eum obligandum, & silentium pro dissensu habetur, ut si debitor, tacente creditore, hypothecam distrahit, creditor sibi non nocet, quia *sciebat ubique pignus sibi durare l.* 8. §. 15. *D. quibus mod. pign. vel hypoth.* Nam taciturnitas, si pro minuendo tacentis jure agatur, non est consensus: finge, Mævius, tacente Titio, in aream Titii stillicidium immittit, nunquam Mævius servitutem adquisivit; quia in servitutibus *invitum* accipimus, *non modo eum, qui contradicit, sed* etiam *eum, qui non consensit*, inquit, Ulpian. *in l.* 5. *D. de S. U. P.* Sepius vero taciturnitas consensum continet; etiamsi ad obligationem actus pertineat ut in *d. l.* 2. *D. ad municip.* Nunc ad rem: olim vasallo jus erat sine domini consensu feudum alienandi, dominus vero jure redimendi uti poterat, quod si sciens anno non exercuerat, repellebatur. Nam qui sciens prudens jus suum intra tempus a lege statutum non exercet, renunciasse videtur, *l.* 1. §. 12. *D. de succes. edict.* Aut si domino sciente, nec contradicente, vasallus prædium ejus jure feudi anno possedit, & servitia præstitit, si dominus expellere velit, non

non potest, modo vasallus jurabit, & alia major pro seniore præsumtio non occurrat 11. *f.* 33. §. *inde etiam;* ibi Alverot. *n.* 3. & 4.

Lex 15. *Ratihabitio senioris alienationem vasalli illegitime actam confirmat.*

Quamvis in jure feudali hæc regula non occurrat, in jure tamen civili, & canonico constituitur. Ratihabitio habet vim mandati, *l.* 60. *C. de R. j.*, mandatum æquivalet jussui *l.* 1. *D. quod jussu*, illegitime factum confirmat. Ut si filiusfam. sine patris consensu mutuam pecuniam accipit, non obligatur, aliter si pater deinde ratum habeat *l.* 7. §. 15. *D. ad macedon. l. ult. C. eo.*, Peckius *lib.* 1. *de testamentis conjug. c.* 5. *n.* 5., & *ad cap.* 9. & 10. *de R. j. in 6.* Si quis bonorum possessionem Mævii petat, deinde Mævius ratum habeat, Mævio possessio competit *l.* 3. §. 7. *D. de bon. possess.*, quamvis si filius hereditatem sibi delatam adquirere velit, jussum Patris præcedere debeat. Ratio, quia jus Prætorium benignius, quàm jus civile est *l.* 25. §. 4. *D. de adquir. hered.* Olim, ignorante patre, si filius bonorum possessionem petierat, inutilis erat possessio; hodie utilis, nec ususfructus ad patrem pertinet. Sicut si hereditatem, invito, & ignorante patre adeo totum sibi adquirit, & ad patrem nihil spectat, modo ante patrem moneat ratione ususfructus, & administrationis *l. ult. C. de bonis, quæ liber.* ibi Wissenbac. Cuja. *ad tit. C. qui admitti ad bon. possess.*

Disputatum olim Sabinionis, & Proculejanis an ratihabitio retrotrahatur? Justinian. *l.* 25. *C. de donat. int. vir.* & *uxor.*, *l. ult. C. ad maced.* in omnibus, sive quæ sunt juris, sive quæ facti, quamcumque ratihabitionem retrotrahi ad tempus, quo agi, vel geri ceperunt, constituit, Giphan. ad *d. l.* 25., Cura. IV. *f.* 45., 17. *obs. c.* 20., Raguel. ad *d. l. ult.* Si itaque vasallus sine senioris consensu feudum alienat, deinde senior ratum habet, alienatio valet, quia ratihabitio vice consensus ostendit. Cum universalis feudistarum sensus fuerit, nihil referre, an ante alienationem, an in alienationis actu, an post alienationem senior consentiat, Vultej. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 94. An mortuo alienatore, dominus ratihabere possit? Sane potest, & sibi tantum nocet, non agnatis, qui in feudo jus quæsitum vindicant. Agnati, vel filii mortua alienatore, qui illegitime alienavit, statim utile feudi dominium adquirunt, quod sine facto, hoc est consensu suo, vel delicto amittere non possunt; Peckius *tract. de Amortization. c.* 27. *n.* 3., Afflict. *dec.* 286. *n.* 3. & *decis.* 335. *n.* 12. & 13., Rosent. *cap.* VII. 4. *n.* 7. ubi disputando docet.

Lex

Lex 17. *In generali bonorum venditione non veniunt feuda*, 11. *f.* 26. §. *in generali*.

Hanc regulam jus canonicum *in cap.* 81. Sic enunciat, *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*. Cognoscimus in specie verosimiliter non concessurum, si *jus tertii*, & *juris solemnitas* vertitur: jus tertii, ut si Princeps naturalem Mævii filium legitimat, nihilominus in feudo non succedit, ne jus agnatis quæsitum lædat, nec lædere præsumitur 11. *f.* 26. §. *naturales*. Solemnitas juris, ut si alicui testamenti factionem dederit, solemnitatem idcirco juris non remisit, cum tantum capacitatem donasset, *l.* 35. *C. de inoff. testam.* Aut si quis omnia bona sua vendat; feuda, bona fideicommisso, vel restitutioni subjecta, dotalia, juspatronatus non continentur; quia in hujusmodi bonorum alienatione solus possessoris consensus non juvat, nec simplex voluntas, sed juris solemnitas requiritur, quam si non servat, pœnam substinet, Pecki. ad *d. cap.* 81. *n.* 5.

Lex 18. *Non sufficit obstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est* 11. *f.* 6.

Jusjurandum fidelitatis, quod vasallus præstat, sex continet, *tutum*, *honestum*, *facile*, *possibile*, *utile*, *incolume*, 11. *f.* 6., 11. *f.* 24. §. 1., 11. *f.* 3. §. *nulla*. Quo jurejurando vasallus domino se obligat, ne ipse vel alius ejus nomine damnum afferat, & curare, ne alius illud inferat, & committat. Nam qui potest prohibere & non prohibet, impedire, & non impedit, ipsemet fecisse videtur; qui patitur peccare peccantem, vires audaciæ administrat, & fovet, sicut a contrario sensu in *l.* 50. *&* 109. *D. de R. J.* constat.

Hinc duplex feloniæ species, seu modus quo feudum amittitur, primus in *committendo*, secundus in *omittendo* consistit; & dum vasallus seniori auxilium præstaturum jurat, stipulari videtur, *per te non fieri, quominus mihi domino damnum inferas*. Quæ clientelaris stipulatio hunc sensum capit, per te non facturum, *nec curaturum*, ut aliquis mihi noceat, sed curaturum, ut vel lucrum sensiam, vel damnum non patiar, *arg. l.* 38. *&* 50. *D. de V. O.*, infra dicam.

Lex 19. *Vasallus servire non cogitur, nisi monitus* 11. *f.* 28. §. *ad hoc*, 11. *f.* 37. *in fin.* 11. *f.* 26. §. *licet*.

Omne clientelarum servitium sua origine *militare* est; lapsu temporis *aulicum*, *honorarium*, *judiciale*, & *administrationis* invaluit, sicut pactis, natura feudi, & moribus provinciarum constituitur. Servitium militare vasallus armis, & equis præstat, si vel publica urget expeditio, vel quoties hostis imminet. Apud Francos, & Longobardos *heribanno* evocari debebat; *bannum* edictum denotat, *heri* exercitum ostendit, quia bellicam expeditionem indicit, 11. *f.* 54.

f. 54. Hodie vel nuncio, vel litteris, aliove modo fenior vafallos cogit, atque evocat, ficut Regni confuetudo jubet. Suis expenfis non domini fervit, fed quamdiu? jure Longobardo ftatutum non eft: jure Saxonico fex feptimanis fuis fumptibus fervire tenetur, quibus elapfis, fenior alimenta præftat: jure Napolitano, tribus menfibus, Roth. in *pandect. feud. cap.* XVIII. *q.* 26., Scrad. *par.* VI. *c.* 6. *n.* 15. & *par.* IX. 2. *fect.* 5. *n.* 28. & 31.

Verum fi fenior extra patriam, vel territorium dimicare cogitur, vafallus non fuis fumptibus, fed fenioris fervit, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 44., unde Barones Bohemici ad Carolum IV. Imp., *Domine Rex, de jure noftro exiftit, & ab antiquis temporibus inviolabiliter obfervatum, quod extra regnum non debemus armis proficifci, fed intra Regni limites ipfum Regnum contra eos, qui hoc hoftilitate invadere conantur, pro viribus defendere, & tueri*, conf. Guibert. *lib.* V. *Hift. Hierofol. c.* 24. Quæ lex pactis quidem a primis feudorum natalibus obtinuiffe videtur.

Servitium aulicum ad fplendorem domus & honorem fenioris pertinet: *juridicum*, nempe juftitiam, advocatiam, patrocinium, & procuratoris munus exhibere, vel ad curiam dominum comitari debet, unde feudum *advocatiæ* nafcitur. *Servitium adminiftrationis*, fi res fenioris curat, vel cuftodit, unde feudum Gaftaldiæ, & Guardiæ contingit, Gudelin. *par.* IV. *c* 6. *n.* I. Non raro pacta, & mores ludrica, & amæna fervitia vafallo indicunt, de quo Andr. *in* II. *f.* 2. *in fin.* inquit, *fi dedit feudum fonatori violæ, ut dominum recrearet fonando quia delectabatur multo fortius fi habebat peritiam pulfandi violam: nam etfi non effet panthomimus publicus; & dedit ideo fi pulfaret coram eo violam ad recreandum Dominum; non effet in hoc turpitudo; imo conceffum etiam jure divino, feu canonico*. Et fæpius hæc ludicra fervitia in feudis mediæ ætatis perlegi, quæ vafallus fervare tenetur, modo honeftati non repugnent II. *f.* 7., Scrad. *par.* VI. *c.* 6. *n.* 27.

Lex 20. *Vafallus plerumque perfonaliter fervire tenetur*,
II. *f.* 55. §. *firmiter* II. *f.* 26. §. *fi quis deceſſerit*,
II. *f.* 23. *in fin.* II. *f.* 36.

Prima clientelarum conditione vafallus non per fubftitutum, fed ipfe fervire cogebatur, & fatis vetuftis in Italia Longobardorum moribus convenit. Nam feuda Europæ Principes viris militaribus, comperta eorum in bellicis rebus peritia, atque induftria, concedebant. Poftea cum quibufdam concedi cepiffent, qui ne bellis quidem adeffe poterant, *per fubftitutum* fervitia obtinuerunt. Prælertim inducta in feudis hereditaria fucceffione, dum patri militaris artis, aut aulicæ, aut regiminis perito, filius imperitus fuccederet.
Hinc

Hinc *ætas*, ut minor, infans, pupillus, senex: *conditio*, ut clericus, monachus, ecclesia, universitas, major vasalli dignitas: *vitium*, ut valetudo, imperfectio, aut alia impedimenta per substitum servire potest. Verum opus est, *ut hic substitutus, quoad peritiam rei militaris, prudentiam, fortitudinem, auctoritatem, nec non quoad reliquas qualitates, in omnibus, & per omnia sit æque habilis ad servitia præstanda Domino feudi, sicut est is vasallus, qui eum loco suo substituere vult*, inquit, Scrad. *par. vi. c. 6. n.* 45., & Fridericus in *d. §. firmiter, domino acceptabilem* vocat, Struv. *s. j. f. cap. xi. A. 6.*

Jure novissimo Lombardiæ, seu Italico vasallus electionem habet, vel substitutum mittendi, vel ipsum ad expeditionem pergendi, vel dimidiam fructuum partem unius anni contribuendi *d. §. firmiter*. Et mores regionum inspicere oportet. Quæ servitiorum redemtio *adæratio*, seu *hostentitiæ* dicuntur.

Lex 21. *Vasallus contra omnes plerumque seniorem adjuvare tenetur*, II. *f.* 28. *in fin.* II. *f.* 55. *in fin. & §. insuper.*

Tanta est jurisjurandi fidelitatis virtus, ut vasallus contra omnes suum seniorem adjuvare, servire, & tueri domi, militiæque compellatur. Dixi *plerumque*, quia in omni obligatione, sive simplici, sive religiosa antiquior obligatio a jure divino, vel naturali nata excepta intelligitur. Nempe Imperator, antiquior dominus, R. Pontifex, patria, contra seipsum tuitio II. *f.* 7. II. *f.* 55. *in fin.*, II. *f.* 28. *in fin.*, *cap.* 19. *de jurejuran.*, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 38., Scrader. *par. vi. c. 6. n.* 21.

Hinc celeberrima feudi divisio *in ligium*, & *non ligium* emanat. Ligium, si vasallus contra omnes fidelitatem domino, nomine excepto, jurat, II. *f.* 99. Non ligium, si in juramento fidelitatis aliquem excipit, vel excipere debet. Hæc divisio Germanis, Gallis, Anglis, Nortmannis, non vero in Italia feudali Longobardis innotuit. Fatendum, olim ligium dumtaxat feudum fuisse, quia olim feuda militare servitium præstabant, & unus vasallus cui tantum servitia exhibere potest. Postea cum Cæsarum auctoritas diminuta esset, nec, crescente divitiarum copia, luxu, & ambitione, unum feudum uni sufficere, feudum non ligium audiri cepit.

Tanta enim in Gallia erat vasallorum auctoritas, ut vasalli suos ligios habere liceret, *unde ipse Rex singulari constitutione majoribus vasallis concesserit, vasallis suis ligiis in bello contra illum uti, neque inde inferiores isti vasalli feloniæ rei existimati fuerint; recentiori tamen ævo, arctioribus vasallorum potestatem limitibus circumscriptam esse, nullique alii, quam Regi ligeitatem præstari, ac in feudis dominorum inferiorum vocem ligius tantum abusive sumi* con-

contendit Carolus Molinaeus, inquit, recte Lorber. *Inst. jur. feud. German. lib.* II. *tit.* 16. §. 167. *in not.* Hodie igitur ille tantum ligios vasallos habere potest, qui nullum superiorem, nisi Deum, & solem agnoscit. Unde nonnulli hoc feudum *solare* vocant. An contra patrem, fratrem filium vasallus seniorem tueri debeat? Alibi dictum est.

Lex 22. *Nemo in feudum succedere potest, nisi a primo adquirente descendat*, II. *f.* 50. I. *f.* 14. II. *f.* 31.

Omnes clientelarum species initio precariae erant, simplices rerum domini administrationes, sive provincias, Civitates, Castra, regerent; sive praedia, reditus, regalias, aut alia jura vasalli administrarent. Postea seculo IX. & X. hereditariam successionem adquisiverunt, diversam ab ea, quam jus Romanum, & barbaricum tunc universaliter propemodum in Europa vigens praescribebat. Tota enim feudalis successio a primo adquirente originem trahit; civilis defuncti tantum mortem respicit: feudalis solos in investitura comprehensos invitat, civilis adgnatos, & cognatos quoscumque admittit: feudalis non tam ultimo possessori defuncto, quam communi parenti, a quo defunctus, & successor descendit, successionem promittit, simulque considerat: Civilis ultimo tantum possessori favet, I. *f.* 14.

Hinc in feudis successio testamentaria exulat, & sola intestata regnat I. *f.* 8. Primis enim feudorum institutoribus placuit, in suis clientelaribus concessionibus non modo ad vasalli commodum, honorem, dignitatem respiciendam, quam sanguinem, generositatem, stirpem perpendendam, quam non ipsummet vasallum regere permiserunt, sed ipsi praescribere, & praefinire voluerunt. Nec hunc ordinem a senioris voluntate statutum amplius evertere possunt, nisi ejus consensus interveniat.

Lex 23. *Prima successionis caussa est liberorum*, II. *f.* II. I. *f.* 8. II. *f.* 50.

Universalis gentium consensus, commune parentum votum, & proximitas in allodio simul & feudo liberos primum invitat. Non omnes: illegitimos, clericos, monachos, adoptivos, adrogatos, mutos, surdos, caecos, claudos, vel aliter imperfectos repellit. Cum iis natalium vitium, professionis conditio, & serviendi incapacitas obstat. Quod & jure Longobardo, & Germano obtinet, II. *f.* 26. §. *adoptivos*, & §. *naturales*, & §. *qui clericus*, II. *f.* 36., Sande *ad Consuetud. Geldr. tit.* 3. *c.* I. §. I. *n.* 5., Struv. *f. j. f. cap.* IX. *A.* 3. & 5. An cognati succedant? Paraemia juris Longobardici, & Germani est, neminem in feudo succedere, nisi *militare* calleat, II. *f.* II. feminis non militiam, non res publicas, sed curam domesti-

mesticam recta instituta societas concredidit. Nec refert, an filii sint *sui*, an *emancipati*, an *præteriti*, vel *exheredati*, an *unus*, an *plures*; cum omnes æqualiter succedant. Nisi de feudo primogenituræ agatur, in quo maximus stirpis tantum succedit. Non me fugit, magnopere a feudistis disputari, an filius exheredatus in feudo succedat: alii juste exheredatum excludunt: alii in feudo tantum antiquo admittunt: ceteri in feudo hereditario, non ex pacto, & providentia asserunt. Mihi in feudo hereditario, & ex pacto, & providentia *novo* tantum exheredari probatum est *lib.* II. *Jurisp. tit.* 16. §. 44., a quo Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 197. & Gudelin. *par.* III. *c.* I. *n.* 10. non discedunt.

Lex 24. *Omnis collateralis successio tunc nascitur, quoties feudum est antiquum* II. *f.* II. II. *f.* 50., II. *f.* 31. I. *f.* 14.

Exhausta liberorum linea, collateralis succedit, non generaliter, sed cum de antiqui feudi successione agitur: nam collateralis, seu agnatus nunquam agnato in feudis novis succedit, quia agnatus ab agnato non descendit. Et nemo, qui a primo acquirente non descendit, succedere potest, ut nuper probavimus. Ex his prono alveo fluit, omnes collaterales a primo adquirente descendentes jure novissimo in feudo in infinitum succedere, cum hodie clientela feudalis unam tantum successionem agnoscat. Nam nemo succedit, nisi a primo adquirente descendat, sive descendens, sive collateralis fuerit; qui tamen respectu primi adquirentis descendens, non collateralis vocatur.

Nec refert an fratres germani, an consanguinei sint; quia jus feudale semper, solam agnationem considerat. Frater consanguineus est, qui eodem patre, licet matribus diversis natus sit, Paul. IV. *sent.* 8. §. 17., Germanus, qui ex utroque parente conjunctus est, Gajus *lib.* II. 8. §. 3. Vinculum ex parte matris jus feudale nunquam perpendit; sed an a primo acquirente descendat, perscutatur, & speculatur II. *f.* II. Hinc uterinus in feudo paterno non succedit, sed tantum materno, in quo consanguineum excludit. Finge, Mævius ex priore uxore *Sejum* filium suscepit: mortua uxore, viduam duxit, quæ *Sabinum*, & *Proculum* filios habebat: ex hac vidua duos filios *Stichum*, & *Sempronium* procreat. Hæx uxor decedit, eique filii ex primo, & secundo matrimonio geniti succedunt. Deinde unus ex his filiis nempe Sabinus moritur: huic soli fratres uterini, scilicet Proculus, Stichus, & Sempronius succedunt, & *Sejum* fratrem consanguineum excludunt, qui a linea materna non descendit, ex qua feudum cæpit, & venit, Sonsbec. *par.* IX. *n.* 94. & 95., Struv. *s. j. f. cap.* IX. 6., Lorber *Inst. jur. feud. Germ. lib.* III. *tit.* 4. §. 345. & 346. Ute-

Uterini igitur in feudo masculino non succedunt. Sed an consanguinei in feudo fæmineo succedunt? Minime: Finge, Mævius ex prima uxore præmortua filium habuit, deinde aliam ducit, quæ a majoribus suis fæmininum feudum haberet, & ex ea duos aut tres liberos suscepit. Hujusmodi filii cum filio ex prima uxore sunt fratres consanguinei, cum eundem patrem habeant. Filius ex prima uxore filiis ex secunda uxore natis, licet consanguinei sint, non succedit. Nam frater consanguineus ex prima uxore non descendit a stipite, a quo feudum originem recognoscit, II. *f.* II. Atque adeo excluditur, ut etiamsi omnes sui fratres consanguinei deficerent, nihilominus nunquam succedit.

Lex 25. *In linea descendenti, & collaterali repræsentatio admittitur*, II. *f.* II. II. *f.* 50.

Vetusta XII. tabb. lex expresse jus repræsentationis inter suos heredes non induxit, quicquid Imperator in *l.* 3. *C. de suis, & legitim.* §. 15. *Inst. de her. quæ ab int.* statuat, sed ex mente ejusdem legis Prudentum interpretatio eduxit, quod æquum deinde apparuit, Schulting. *ad Cajum lib.* II. 8. §. 2., Pitheus *in collat. LL. Mosaic. tit.* 16. Quod jus Hebræis quoque innotuit, & satis juri naturæ convenit, Grot. *de J. B. & P. lib.* II. *c.* 7. *n.* 6. Verum olim Geldris, Zutphaniensibus, Transisulanis, & Trajectensibus displicuit. Moribus quoque Flandriæ, Arthesiæ, Hannoniæ, aliorumque, nec in linea descendenti, nec collaterali jus repræsentationis obtinuit. Sed semper proximior in feudo remotiorem exclusit. Donec *an.* 1540. sub Imperat. Carolo V. in recta linea Trajectensis, & Geldriæ ditio jus repræsentationis admisit, Sande *ad Consuetud. Geldr. tit.* III. §. I. *n.* II. I2. I3.

Attamen jus feudale Longobardum, & allodiale illud cognovit: Et *regula* est: omnes filii, exclusis agnatis, patri in feudo juris Longobardi æqualiter; juris francorum primogenitus tantum, succedunt, I. *f.* I. §. I. Altera *regula* est: Si gradus dispar erit, veluti filii, & ex altero filio præmortuo nepotes, omnes, non in capitu, sed in stirpes succedunt, *d.* II. *f.* II. Quæ successio jure repræsentationis composita in infinitum durat. Cavendum, nomine descendentium, non fæminas, sed masculos tantum comprehendi, quia masculos tantum vera feudorum natura, & jus Longobardum in clientelis cognovit. Sicut vox *heres* tantum masculos semper intelligit; Aliter si hanc *vocem* homo seu concessor proferret, tunc masculos, & fæminas continet, ut Andreæ, Camerario, Frecciæ, aliisque placet. Obloquitur Hertman. Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 33., & asserit vocem *heres* sive a lege, sive ab homine prolatam semper pro masculis accipi, cum in jure feudali investiturarum pacta occur-

currant, in quibus vox *heres* pro masculis, cui Roth. *in pand. feud. cap.* IV. *q.* 47. adhæret.

Ego repono: si vox *heres* tam a lege, quam ab homine prolata semper masculos, seu heredes feudales contineret, quomodo feudum ex pacto, ab hereditario differret? Ipsi fatentur clausulam *pro se, & heredibus quibuscumque*, non *pro heredibus*, feudum hereditarium constituere. Peto, cur vox *quibuscumque* feudales heredes non tantum continet? Cum quisque contrahens legi se aptare præsumatur? Lex heredes *masculos* tantum vocat; sive igitur concessor *pro heredibus quibuscumque*, sive simpliciter *pro heredibus* diceret, semper feudales heredes intelligendi essent. Quod absurdum. In linea collaterali Jure Romano olim frater fratri, excluso alterius fratris filio, succedebat, neque id jus digestorum, Codicis, & Institutionum immutavit, Cajus *lib.* 11.8. §. *pen.* Postea Nov. 118. *c.* 3. filios fratrum cum fratribus, & sororibus in stirpes succedere statuit, non proprie jure repræsentationis, sed quodam privilegio admisit. Justinianus solis fratrum filiis dedit, ut patres suos repræsentando patruo simul cum patruis in stirpes succederent. Si vero nulli sint patrui, in Capita succedunt. Et ultra fratrum filios repræsentatio cessat, & gradatim succeditur. Hanc Justiniani novellam feudista *in* 11. *f.* 11. retinuit, modo feudum paternum, seu antiquum fuisset, Cujac. *ibi*, & *ad Nov.* 118., Struv. *s. j. f. cap.* IX. *A.* 6., Sonsbec. *par.* IX. *n.* 98. Post defuncti fratres, fratrumque filios omnes agnati per masculinum sexum a primo acquirente descendentes in infinitum succedunt, ut proximior remotiorem excludit, *d.* 11. *f.* 11. 11. *f.* 50., ut in sequenti regula dicam.

Lex 26. *In omni feudatum collaterali successione linea simul & proximitas inspicienda* 11. *f.* 50.

Nuper diximus post defuncti fratres, fratrumque filios, omnes æqualiter succedere; & proximior remotiorem excludit. Verum caveri oportet: successio descendentium unam, & sane in infinitum lineam continet: successio autem collateralis triplicem proprie lineam comprehendit. Primam cudunt illi, qui a patre meo veniunt; secundam illi, qui avum meum pro stipite agnoscunt; tertiam, qui mecum a meo proavo descendunt. Quod & ab abavo, atavo, tritavo deinceps dici potest. En regula: in collaterali successione non modo gradus æqualitas, sed lineæ proximitas attendenda est: finge, Sabinus vasallus relictis duobus filiis Mævio, & Cajo, decedit: Mævius ex hereditatis divisione feudum accepit; Mævius, duobus filiis Titio, & Sejo relictis moritur; & ex divisione feudum Titio obvenit: Titius, accepto feudo, illiberis, ut loquitur Tertullianus, moritur. Sejus nepos, & Cajus patruus de feudi

feudi successione contendunt. Præferendus est Sejus, quia licet Cajus patruus proximior sit, non tamen descendit ab eodem proximo stipite a quo defunctus, & feudum provenit. Nepos igitur quoad stipitem est defuncto proximior, idcirco succedit.

Semel ac feudum in lineam ingressum fuerit, nunquam ab ea recedit, nisi ultimi possessoris vasalli linea definiat. Secus semper qui ex eodem stipite a primo acquirente provenerint, reliquis, qui in alia linea existunt, præferantur. Hinc qui proximior stipiti est, licet a primo acquirente gradu remotiori distet, tamen potior est illo, qui acquirentem gradu proximiore attingit, Pistor *lib.* 11. *q.* 19. *n.* 25., Sonsbec. *par.* 1x. *n.* 112., Struv. *s. j. f. cap.* 1x. *A.* 7. *n.* 4. & 5., Rothius *in Pand. feud. cap.* xvI. *q.* 17.

Lex 27. *Successio feudalis primi investiti personam non transcendit, ex omnibus lineis extinctis feudum aperitur*, 11. *f.* 11., 11. *f.* 50.

Postquam, uti diximus, feudum unam lineam inivit, ab ea nunquam discedit, nisi & ipsa pereat; etiamsi aliæ lineæ primo adquirenti proximiores fuerint. Finge, Mævius feudum accepit, relictis quattuor filiis decedit: Filii æqualiter succedunt, deinde gradatim ad nepotes pervenit. Nepotes, ne forte in servitiis feudalibus vexarentur, uni adjudicant; Nepos cui adjudicatio contigit, filios, nepotes, pronepotes, & deinceps relinquit; qui omnes, sed gradatim succedunt. Postremus sine feudali herede decedit; tunc feudum a sua linea ad lineam primorum nepotum redit; & omnibus lineis extinctis, feudum seniori aperitur. Nam vasallus quot filios, vel quot nepotes relinquit, tot lineas cudunt; & una extincta, ad aliam feudum transilit, Hotom. *disputat. feud. cap.* 19. Hujus singularis successionis ratio est, quia quisque sibi, & suis heredibus ex se descendentibus prospicere videtur, 11. *f.* 18., *cap. extraord.* 90. Nec tamen, una linea extincta, ad omnes alias lineas statim recurrendum, sed ad proxime præcedentem investituram ejus a quo feudum in defunctum est devolutum, nempe Mævium, ut in exemplo præcedentis regulæ constet, & tunc secundum illius investituram non collaterales Mævii, sed descendentes admittuntur, Struv. *loc. cit.*

Lex 28. *In successione feudorum non patet locus fæminæ, donec superest masculus ex eo, qui primus fuerit investitus.* 1. *f.* 7. 11. *f.* 17.

Primæva origine feuda militaria sunt, militia sive armata, sive togata fœminis ob sexus imbecillitatem convenire non potest. Nemini, cui arma agere non competit, & datum est, militare beneficium conceditur. Hinc clericus, monachus, colonus, agricola, imperfectus, feudi successionem non sperant. Quin imo ne ma-

scu-

sculus ex fœmina succedit, quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Si mater a successione exulat, ergo & filius ab eadem reppellendus I. *f.* I. §. 3., Hotom. *disp. feud. cap.* 5., Beckius *dissert. de feudo fœmin.* §. 19. Præterea in media ætate etiam ab allodio excludebatur, ut lex erat apud Anglos, Saxones, Baivarios, Alemannos, Ripuarios, Burgundiones, & Longobardos, ut extantibus masculis, ipsa non succederet. Exceptis Wisigothis, qui æqualiter filios, filiasque admittebant, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib* II. *g.* §. 218., *& seqq.*, P. Greg. *synt. lib.* 45. *c.* 4.

Sæpius vero succedit, si in investitura expressum fuerit; secus si investitura erit *pro se*, *& heredibus*, vox *heres* in jure feudali tantum masculos continet; in allodio jure civili fæminas, & masculos comprehendit. Sicut si concessio *tibi & descendentibus* esset, ne fæminæ quidem veniunt, quia vox *descendens* secundum rem, in qua concessio contigit, intelligitur. Nec sub nomine *liberorum* & ipsa includitur, etiamsi ratio, cur ipsa non succedat, cesset: verum non una, sed multiplex ratio arcet. Aut si feudum a masculo originem habet, deinde ad fæminam ex pacto pervenit, nihilominus filiæ ex ea natæ non succedunt, si filii extent, quia feudum statim, sublata de medio fœmina, suam originem repetit. Succedit in feudo fœmineo, quod ipsa de novo adquisivit II. *f.* 30. Aut si consuetudo admittat, quæ hodie adeo generalis est, ut in omni propemodum Europæ regione servatur, Sande *ad consuetud. Geldr. tit.* III. §. I. *cap.* I. *n.* 18., conf. Vultej. *lib.* I. *cap.* 9. *n.* 36. *& seqq.*, & Zasius *par.* VIII. *n.* 46. *& seqq.*

Lex 29. *Quilibet præsumitur prospicere sibi, & suis heredibus* II. *f.* 18., II. *f.* 90.

Tanta est unicuique suis heredibus prospiciendi, & consulendi cupido, ut in omni contractu, aut pacto eosdem includere vellet, etiamsi in eis heredum mentionem non faciat. Cui desiderio lex & favet, & consensit, *l.* 9. *D. de probat.*, *l.* 13. *C. de contraben. stipulat.* Sive stipulatio in dando, sive in faciendo consistat. Idque contingit, etsi defunctus de suo tantum facto promiserit, & particulam *solummodo* adjecit, ut exempla sunt in *l.* 8. §. *pen. D. de pignor. act.*, & *l.* 38. *D. de V. O.* Peck. *ad cap.* 46. *de R. J. in* 6. *n.* 9. Finge, Mævius & Sabinus simul novum feudum acceperunt, hac conditione, *ut quamdiu ipsi & sui heredes mares viverent*, & his deficientibus, fæminæ illud haberent. Mævius, relicta filia, decedit; ejus portio non fratri Sabino, sed filiæ adscrescit; quia quilibet suis heredibus, præsertim descendentibus etiam nascituris prospicere præsumitur. Nam in hac specie nullus extat masculus, qui a primo adquirente descenderet, proinde merito filia Mævii Sabino

no fratri, seu patruo a primo acquirente, hoc est Mævio non descendenti præfertur. Cum speciali pacto ad successionem: filia vocaretur, Struv. *f.j.f.cap.* 1x. *A.* 8. *n.* 10., Pistor *lib.* 11. *q.* 35. *n.* 7., *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 70.

Lex 30. *Agnatus feudum accipere, & hereditatem repudiare, non vero filius potest* 11. *f.* 45.

Tanta est in hac regula opinandi libertas, ut ejus veritatem, & rationem expiscari difficile videatur, sicut prolixe sed censura dignus disputat Freder. a Sande *ad Consuetud.* Gelr. *tit.* 111. *par.* 3. *c.* 2. §. 3. Ego dicam: filius nequit hereditatem patris accipere, & feudum repudiare, vel vicissim, sed utrumque habere cogitur. Agnatus feudum recipere, et hereditatem repudiare potest.

Ratio differentiæ est, quia pater & filius jure Romano, cui feudista adhærere videtur, est una, & eadem persona; & quamvis feudum antiquum ex pacto, & providentia filio ex communi stipite competat, tamen secundario a patre accipit, quem filius in successione repræsentat. Hinc si pater delinquit, & feudum amittit, nocet filio, qui a successione feudi removetur. Delictum vero agnati agnato non nocet. Proinde jus Longobardum etiam in feudali successione inter filium, & patrem quandam dependentiam, non inter agnatos cognovit, secus delictum unius agnati, alterum agnatum a successione repelleret, 11. *f.* 26. §. *si vasallus culpam*, 11. *f.* 31., Gudelin. *de jure feud. par.* 111. *c.* 1. *n.* 9.

Lex 31. *Heres plerumque factum defuncti servare tenetur* 11. *f.* 45. 11. *f.* 86.

Heres cum defuncti personam repræsentet, & in ejus locum succedat, ejusque occasione lucrum sentiat, factum illius præstare tenetur *l.* 149. *D. de R. J. l.* 14. *C. de R. V., l.* 10. *C. de solut.*, Peckius *lib.* 11. *de Testam. conjug. c.* 10. *n.* 6. Verum heres, vel successor multiplex est, nempe *successor, & heres universalis, particularis, mediatus, immediatus, successor in imperio, dignitate, aut Prælatura* consideratur. Heres sive universalis, sive particularis etiamsi in minima hereditatis parte fuerit: vel immediatus, vel mediatus, factum defuncti ex contractu, vel quasi contractu natum, & descendens servare debet. Nam heres, & defunctus juris fictione eadem persona est, & eodem jure uti cogitur. Sive primus, sive secundus, & deinceps heres sit, quia heres heredis mei est heres meus *l.* 170. *D. de V. S.*, Peckius *ad cap.* 21. *n.* 7. *& cap.* 46 *n.* 8. *de R. J. in* 6. Non undique factum defuncti servare debet, sed pro ea parte, pro qua heres est, quia in ea defunctum repræsentat. *Princeps*, qui in imperio, vel alius in dignitate succedit jure *electionis*, factum antecessoris servare non tenetur, nisi illud fa-

factum *nomine dignitatis*, aut *Principatus*, aut *ratione publicæ utilitatis* egerit. Contracta enim nomine dignitatis, non in personam, sed in rem contracta sunt, idcirco cum persona non pereunt; sed in successorem transeunt. Utile dicitur, non quod nunc utile est, sed quod tunc utile erat, cum constitueretur, Arnis. *de jure Majest. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 13.

Hinc idem Arnisæus *loc. cit.* concludit. *Summa igitur totius discursus hæc est: Principem, qui Majestatem habet Antecessoris sui decreti, quoad jura Majestatis, & statum imperii, non teneri, nisi quatenus utilitas publica, & divina, naturæque jura exigunt. Eundemque sibi scopum habere propositum in ceteris ejusdem actis, ut & honor ejus, & fides salva maneat, nec Resp. quicquam detrimenti capiat. In quibus vero contractus intervenit, ad eorum, quæ nomine dignitatis, & pro Republica pacta sunt, confirmationem teneri, ad reliqua vero, quæ ad privatum fiscum pertinent, non aliter obligari, quam si hereditatem adeat, aut sit filius defuncti, quanquam agnatos propiores etiam obligari, æquius videatur, clausula semper sub intellecta si nihil sit in contractu, honestati, vel utilitati publicæ contrarium.* Si jure hereditario succedit, tenetur *cap.* 14. *de offic. jud. deleg.*, *cap.* 3. *de sent. & re judic. in* 6. Attamen si factum antecessoris, imperio, aut dignitati nocet, successor sive jure electionis, sive hereditario succedat, nunquam tenetur, P.Greg. *de Republ. lib.* VIII. *c.* 20. *n.* 52. Successor in prælatura etiam res recte ab antecessore gestas ratihabere cogitur *d. cap.* 14. *de offic. deleg.*, Peckius *loc. cit. n.* 13.

Dixi in regula *plerumque*, quia sæpius heres factum defuncti servare non cogitur: I. Si lex publicæ utilitatis contemplatione actum infirmet, nempe si lex fundum genearchicum, familiarum conservatione, sine propinquorum consensu alienare vetat; fundo alienato, filius, vel ipse pater vindicare possunt. Aut si Princeps res domanii sine populi consensu alienat, & imperio, aut regno noceat, successor revocat, etiamsi alienationem jusjurando confirmaverit *cap.* 33. *de jurejur.*, *l.* 2. §. 8. *D. de admin. rer. ad Civit. pert.* II. Si lex factum defuncti favore tertii, vel heredis infirmat, videlicet si testator fructuariam cautionem fructuario remiserit, *l.* 1. *C. de usufructu.* III. Si heres non ex persona defuncti, sed jure suo venit. Distingui tamen oportet; si heres, repudiata hereditate, feudum dumtaxat adivit, debita defuncti vasalli, aut ejus factum servare non cogitur *d.* II. *f.* 45., præsertim cum singularis successor dici possit; & successor singularis nunquam æs alienum solvere debet *l.* 13. *C. de hered. instit.* Hoc jus repudiandi hereditatem, & feudum adeundi agnato competit, igitur agnatus ad defuncti factum non tenetur.

Sane si feudum ex pacto, & providentia antiquum fuerit, si hereditarium, vel absolute, vel mixtum, agnatus utrumque recipere; vel utrumque repudiare debet. Si recipit, factum defuncti servare oportet. Quin etiam si defunctus illud factum, onus, aut debitum consensu agnati contraxit, Agnatus, etsi repudiare hereditatem valeat, tamen ex feudo solvere debeat. Aut si defunctus debita pro feudi utilitate, vel obligatione contraxit, quæ pro ipsa dignitate ex feudo voluntate concedentis orta, contracta videntur, ipsamque dignitatem afficiunt, sequuntur, & cum suo onere ad ejus possessorem transeunt. Filius vero, qui omnino hereditatem, & feudum excipere cogitur, semper patris factum, debita, & onus servare compellitur, Scrad. *par.* VII. *c.* 7. *n.* 32., Intrigl. *cent.* I. *art.* 51. *n.* 125., Vultej. *lib.* I. *c.* 9. *n.* 239. IV. Si pater filium beneficio legis fraudare voluit, tunc doli mali exceptio filio rem suam vindicanti non obstat: Finge, parens secundæ conjugi plus reliquit, vel inter vivos dedit, quam filio prioris matrimonii, filius patris heres contra factum patris venire potest, ex *l.* 6. *C. de secund. Nupt.*, Grammat. *decis.* 193. *n.* 9., Peckius *ad cap.* 46. *de R. J. in* 6. *n.* 12.

Lex 32. *Quod de communi expensum est, alteri pro parte competenti restituendum* II. *f.* 12.

Explorati juris Longobardici regula est, fratrem fratri in feudo novo non succedere, nisi pacto convenerit, I. *f.* I. §. 2., II. *f.* 12. I. *f.* 14. §. *si duo fratres*. Hinc si unus frater feudum cummunibus bonis, & armis adquisivit, solusque investituram obtinuit, & decedat, alter frater ei non succedit. Aliud enim est feudum a fratre pecunia cum altero suo fratre communi adquiri; aliud feudum inter eos commune evadere. Nunquam commune evadit, licet fructus, si simul habitaverint, inter eos communes sint; quia frater, proprio nomine, & sua contemplatione adquisit *l.* 4. *C. Commun. utriusq.*, ubi Dioclet., & Maxim. AA. rem emptam communibus bonis, communem non fieri sanxerunt.

Non obstat Paul. *in l.* 74. *D. pro socio si quis societatem contraxerit, quod emit, ipsius fit, non commune, sed societatis judicis cogitur rem communicare*. Nam societas omnium bonorum contracta est, quæ quisque ex sociis habet, & habiturus est, ibi Cujac. Cohabitatio fructus communicat, quia mutuum servitium seniori præstitisse præsumitur. Verum æquitati displicet, quem cum jactura aliena locupletari, idcirco expensas in adquirendo feudo actas alter frater repetit, & vasallus frater restituere cogitur, *l.* 206. *D. de R. J.* Struv. *f. j. f. cap.* IX. *A.* 4. *n.* 2. *in fin.*

Lex

Lex 33. *Tunc investiturae renovatio petenda, cum vel senioris, vel vasalli persona mutatur*, II. *f.* 3. *pr.*, II. *f.* 24. II. *f.* 40., II. *f.* 32.

Origo investiturae renovationis ita invaluit: olim feuda erant personalia, nec filius patri, nec nepos avo, nec frater fratri succedere poterat. Sed si succedere vellet, & cuperet, a domino feudum obtinere, atque impetrari debebat. Cui dominus non consentiebat, nisi prius vasallus jusjurandum fidelitatem ei praestaret. Postea, etsi hereditaria, sive genearcicha successio inducta esset, nihilominus renovatio investiturae defuncto prius actae remansit. Ut vasallo successori constaret, se proprie non beneficio defuncti, sed senioris liberalitate feudum accipere, & assidue gratum senioris animum veneraretur.

Mutata etiam senioris persona, vel quia decessit, vel quia renunciavit, vasallus eandem renovationem petere a novo domino cogitur, ut dominum, qui in directum dominium successit, vasallus cognosceret, eique honorem, & servitia deinceps praestaret. Hinc renovatio isthaec *census devotionis* vocatur; nihil tamen veteri investiturae addit, nec illam immutat, sed jus in prima, seu veteri investitura voluntate senioris, & vasalli acceptatione constitutum confirmat, conservat, nec aliquid de novo concedit. Nec vasallus simpliciter renovationem petit, sed simul jusjurandum fidelitatis praestare debet, etsi suus antecessor eandem fidelitatem jurasset. Nam fidelitas unius, non est fidelitas alterius, quia morum honestas in omnibus non semper eadem videatur. Sane si feudum sine juramento erit, vasallus renovationem petendo jurare non cogitur II. *f.* 40., Boehmer. *de invest. renovat. cap.* 5. §. 101. & 102., Struvius *f. j. f. cap. x. A.* I.

Lex 34. *Investiturae renovatio intra annum, & diem petenda est*, I. *f.* 22. II. *f.* 24., II. *f.* 40. II. *f.* 52. §. *ult.* II. *f.* 55.

Tempus renovationem petendi jure Longobardo est annus, & dies; jure Germanico est annus, sex septimanae, & tres dies, Christoph. Lorber *Inst. jur. feud. German. lib.* II. *tit.* 32. §. 261. *in notis*, dixi *ad* I. *f.* 22. Hoc tempus, quod a die scientiae currit, nec sola vasalli voluntate, nec solo senioris consensu coarctari, vel prorogari potest. Sed uterque consensiat oportet. Intra quod si vasallus non petit, feudo cadit II. *f.* 24. & infra dabo, Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 102., Hotom. *disput. feud. cap.* 27., Montan. *lib.* III. *c.* 6. Nihil prohibet, an ipse vasallus petere, an procuratorem mittere velit, modo dominus non dissensiat, II. *f.* 3. Hoc jus tamen in variis feudalibus Germaniae Curiis inconstans apparuit; nonnullae propriam va-

vasalli personam exigebant: nonnullæ ejus procuratorem; præsertim seculo XIV. & XV. admittebant, conf. Lorber *loc. cit.* §. 262.

Lex 35. *Investituræ renovatio coram testibus faciunda*, II. *f.* 32.

Jus longobardum in investituræ solemnitate duas testium species requirit: in nova investitura necessario *Pares* Curiæ desiderat, secus feudum constitutum dici non potest, etiamsi mille extranei testes adessent, II. *f.* 2. II. *f.* 33. §. *nec dicatur*. In veteri investitura, seu renovatione omnes testes extraneos a jure civili, vel municipali non improbatos admittit *d.* II. *f.* 32. *Ratio hujus est*, inquit, Sonsbec. *par.* IX. *n.* 27., *quia jam eorum consilium nihil efficeret apud Dominum acceptandi vasallum vel minus, quia velit nolit, Dominus in antiquo feudo successorem ejus confirmare debet per investituram, quem semel approbavit*.

Nam feudi possessionem renovatione investituræ vasallus non adquirit, cum jam possideat, sed eam dominus externa quadam solemnitate confirmat. Semel in vasallum feudali possessione translata, semper in ea manere debet, nisi justa caussa fuerit, cur ab ea cadat, Duaren. *cap.* VII. *n.* 8. An vasallus in investituræ renovatione aliquid domino solvere debeat? Dixi lib. III. Jurisprud.

Lex 36. *Ubi justa caussa impediat, dolus abesse videtur* II. *f.* 52. *in fin.*

De dolo olim Gallus Aquilius, Servius Sulpitius, Labeo., & Ulpianus disputarunt, & quamvis in definitione non eandem formulam adhibuissent, tamen eadem sententia placuit. Servius Sulpitius in *l.* I. §. 2. *D. de dolo malo* definivit, *dolum malum esse machinationem quandam alterius decipiendi caussa cum aliud simulatur, & aliud agitur*. Quæ definitio exemplo, non genere, & differentia constat. Naturam vero doli mali non obscure indicat. Quomodo dolus malus in contractu puniretur, vid. Noodt *lib. sing. de forma emend. doli mali c.* 5. *& seqq.* In omni actu, sive delicto, sive contractu bonæ fidei, vel stricti juris deinde vindicari placuit, nec conveniri posse, ne præstetur, *l.* 23. *D. de R. J.*

Si itaque vasallus dolo malo intra statutum tempus investituræ renovationem non petat, feudum amittit, II. *f.* 24. II. *f.* 40., non statim, sed judicis sententia indiget I. *f.* 22. *in fin.* Nec ejus liberi succedere possunt, cum patris delictum filiis noceat II. *f.* 26. §. *si vasallus*, II. *f.* 31., modo senior, vivente patre, ad privationem agere ceperit. Atque si agnati adsunt, tamdiu feudum apud dominum remanet, quamdiu vasallus, qui deliquit, vivit; quo defuncto, feudum ad agnatos redit. Et sane cap. *extraord.* 78. omnium descendentium delinquentia vasalli requirit, ut ad agnatos redire pos-

possit, quod iniquum videtur, Pistor *lib.* II. *q.* 18. *n.* 8., & *q.* 15. *tot.* Struv. *f. j. f. cap.* x. *A.* 8. Si caussa suadet, cur non petiit, feudum non amittit. *Caussa est infamia, morbus sonticus, capitalis cum seniore inimicitia, justus metus, justa absentia, justa ignorantia,* & alia, quam recta ratio invenire valet, Vultej. *lib.* I. *c.* 7. *n.* 114.

Lex 37. *Recta ratio docet ætati, & imprudentiæ succurrendum* I. *f.* 22.

Hæc regula ad investituræ renovationem pertinet, a qua nemo excusatur, nisi *ætas*, & *imprudentia* interveniat. Jure feudali Germanico majorennitas est an. xx., jure Longobardo est XVIII. *lib.* II. *LL. Long. tit.* 29. *l.* I. & 2. ante hanc ætatem minorennitas est. Minor renovationem petere debeat; si non petit, restitutionis beneficium implorare valet. Et si tutor ejus nomine renovationem petiisset, minor fidelitatem jurare non cogitur, donec ad pubertatem perveniat II. *f.* 26. §. *si quis decesserit*. Lorher *Inst. jur. feud. Germ. lib. tit.* 13. §. 88. *in not.* Struv. *f. j. f. cap.* x. *A.* 9. 2. Jac. a S. Georg. §. *qui quidem investiti* n. 24. 25. 26.

Lex 38. *Forum competens in caussis feudalibus est Curia Domini* II. *f.* 15. II. *f.* 46. II. II. 55. §. *preterea fin. cap.* 5. *de judic. cap.* 6. *de foro competen.*

Introductis in Europa feudis, generalis consuetudo forum feudale constituit, hoc est unusquisque senior suam Curiam habere cepit, in qua suorum vasallorum caussas non plane omnes, sed tantum feudales cognoscebat. Nec alios judices, aut testes, nisi suæ Curiæ Pares admittere poterat. Investigandum quænam caussa dicatur feudalis, & cur Pares tantum, vel Dominus cognoscant.

Caussa feudalis est, si ad feudi essentiam, naturam, vel accidens spectet. Hinc caussam de feudi adquisitione, devolutione, alienatione, servitiis, obsequio, fidelitate, feudi alienati revocatione, felonia, abusu rei feudalis, feudalem recte vocamus. Nam regula juris est, quoties de nexu feudali agitur, toties Curia senioris cognoscit, cui consuetudo tantum jurisdictionem concessit. Nec judex ordinarius cognoscere potest, quia quodlibet fere beneficium in media ætate non jure scripto, sed moribus vivebat, quos nemo scire poterat, nisi alius vasallus, qui feudum ab eodem domino recognoscebat; idcirco Paribus Curiæ, seu convasallis feudalis jurisdictio tantum competit.

Hinc quatuor statuo regulas: *Prima est*, si contentio fuerit super feudo regali inter Comites, Marchiones, Duces, solus Imperator cognoscit, II. *f.* 34. Curt. *par.* VII. *n.* 2., Duaren. *cap.* 20. *n.* 5., non modo, quia ob Imperatore feuda recognoscunt, sed quia *non tutum esset, talium Capitaneorum caussas, nempe Ducum, Marchionum,*

num, Comitum, ab aliquo decidi, quam ab Imperatore, vel Regibus: non enim parium sententiæ acquiescerent. Hinc multa mala, bella, & seditiones evenire possent, quæ omnia, si ab Imperatore fiunt, locum non habebunt. Nam hunc timent; qui ut nec munere, ita nec amicitia flectitur, nec jam caussa ab illo discussa, facile quis eorum ad arma convolabit, inquit, Sonsbec. *par.* XIV. *n.* 19. Quod & Carolus Imper. *in lib.* II. *LL. Long. tit.* 46. *l.* 1. de caussis Potentiorum sanxit: *Ut Episcopi, Abbates, & Comites, & quique potentiores, si caussam inter se habuerint, & pacificare noluerint, ad nostram debeant venire præsentiam* (alias notitiam) *neque illorum contentio alicubi judicetur, ne propter hoc pauperum, & minus potentum justitiæ remaneant, neque ullus Comes palatii nostri potentiores causas sine nostra jussione finire præsumat, sed tantum pauperum, & minus potentum ad justitiam faciendam, sciat sibi esse vacandum.* Hodie de his feudalibus Ducum, Comitum, Marchionum, & Baronum caussis in Imperio Camera judicat, Vultej. *lib.* II. *c.* 2. *n.* 8. *&* 9.

Secunda est, si de feudo vasalli inter se litigent non immediate supremo Principi subjecti, Dominus feudi dijudicat II. *f.* 55. §. *pen.*, modo suos vasallos esse constet, II. *f.* 16. sive Dominus laicus, sive clericus, vel vasallus laicus, vel clericus fuerint, Curt. *loc. cit. n.* 3., Duaren. *loc. cit. n.* 2.

Tertia est, si inter dominum, & vasallos de feudo controversia contingat, Pares Curiæ judicabunt. II. *f.* 16., II. *f.* 39. §. *si inter*, I. *f.* 22. §. *sancimus*, II. *f.* 55. §. *pen.* Nec refert an Dominus superiorem, vel non, cognoscat; proinde orta inter Imperatorem, & vasallum controversiæ, Pares Curiæ judicant, Vultej. *lib.* II. *c.* 2. *n.* 26.

Quarta est, si de caussa non feudali agatur, judex ordinarius judicabit, aut si caussa criminalis fuerit. Sane controversia de fructibus feudi jam perceptis (non vero pendentibus, qui sunt pars feudi, de feudo promisso, nondum tradito, si dominus in sua curia Pares non habet, si non ex lege feudi agatur, ad judicem ordinarium pertinet. Lex feudalis dicitur, quæ ad feudi constitutione, conservationem, & privationem respicit, Amædeus a Ponte *tract. quis sit jud. in caussa feudali*, Vultej. *loc. cit. n.* 34., Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* III. *c.* I. §. I. *&* 2.

Lex 39. *Jusjurandum non semper est dandum possidenti, sed quandoque possidenti, quandoque petenti, quandoque neutri* II. *f.* 33.

Primæva & naturalis jurisjurandi apud Gentes inventio invaluit, ut præsertim in judiciis controversiæ dirimerentur, & inter humanæ societatis, & fidei præsidia collocarunt. Plura tamen de

co

eo jus feudale a jure Romano diversa constituit; non vero certam præscripsit regulam, cuinam, an vasallo, an domino, & quando illud deferre debeat, illique præstare cogantur. Judicis arbitrium erit; quandonam deferre possit, non vagum, & omnino arbitrarium, sed temperatum: ne deferat illi, qui plane suam intentionem probaverit: nec illi, cui nulla præsumtio favet. Aliquid enim ex litis conditione, & statu apparere debet, quod judicis animum ad jusjurandum moveat *d.* 11. *f.* 33. §. *sacramentum*.

Nec regula juris civilis, & canonici, *actore non probante reus absolvitur*, Longobardis clientelis placuit. Nam si actor nihil probavit, sæpe reus jurare cogitur, nec continuo absolvitur, si in eum aliquid urgeat, quod judicem ad jurisjurandi delationem moveat, quod turpiter Hotomannus negavit, Blancus *lib.* IV. *c.* I. *n.* 129., Vultej, *lib.* II. *c.* 3. *n.* 34. *&* 35. Nostræ regulæ exempla sunt *in* 1. *f.* 4. 1. *f.* 23., 1. *f.* 10., 11. *f.* 2. §. *si enim domino*, *&* §. *si vero vasallus*, 1. *f.* 12., 11. *f.* 33. ibi diximus, Sonsbec *par. XV. n.* 12.

Lex 40. *Quod quisque juris in alium statuit, ipse eodem jure utatur* 11. *f.* 33. §. 1.

Hæc juris regula ex naturæ fonte, & Prætoris albo hausta *Curione*, hoc est Vicaria lingua non eget. Cum hæc talionis lex amicos amicis, summos infimis, pauperes divitibus, doctos ignaris, urbes urbibus conjungat, & componat. Exempla refert Adduensis *Explicat. lib.* 1. *ad l.* 1. *D. quod quisque juris*. Prætoris, Album nimiam Magistratuum licentiam coercuit, qui sæpe in gratiam, vel alicujus odium acti, aut exceptionem dabant, quæ dari non debuerat: vel negabant, quam dari oportuerat. Sæpe & novum, hoc est insolitum jus cum effectu præscribebant. In eos talionis pænam decrevit, ut dum Magistratus officium deponerent, privati eodem jure, adversario postulante uterentur. Coercuit & litigantes, qui iniquum jus adversus aliquem postulaverint, simulque obtinuerint; & in eo eandem talionis pænam constituit l. 1. D. quod quisque juris, Duaren. *lib.* 1. *disput. c.* 49., Cujac. 8. *obs. c.* 22. Hæc juris regula in re feudali Longobardis placuit: Nam si inter dominum, & vasallum controversia contingat, nec dominus a vasallo, nec vasallus a domino jusjurandum calumniæ exigere potest. Dominus nolebat suo vasallo de calumnia jurare, vicissim vasallus idem jusjurandum a domino petitum præstare recusabat; quia quod quisque juris in alium statuit, eodem jure & ipse utatur. Et ita Imp. Frideric. I. in Roncalia sanxit *d.* 11. *f.* 33., ut ibi dictum est.

Lex 41. *Pluralis locutio duorum numero contenta est* 11. *f.* 58.

Universalis in jure divino, canonico, civili, & feudali regula

 obti-

obtinet, in omnibus propemodum caussarum decisionibus duos testes sufficere, *Deuter. xix. v. 15.*, *can. 75. Apost.*, *cap. 23. de Testibus*, *l. 20. D. de quaestion. l. 9. C. de Testib.* Unus testis, nullus testis, etsi praeclara fulgent dignitate, sive caussa civilis, sive criminalis fuerit. Saepius non duo, sed plures testes requiruntur, ut Ballsamon ad *d. Can. 75. Apost.*, inquit, *in duobus enim, aut tribus testibus, inquit, stabit omne verbum. Hoc autem sine distinctione ne intelligas. Sed dicas secundum juris rigorem, quod si est caussa pecuniaria & usque ad libram unam, duo testes, fide digni, bonae existimationis adversus Episcopum jurati testificantes sufficiant. Sin autem usque ad L. libras, tres. Si autem ultra, haec, quinque. Si autem non est pecuniaria caussa, sed criminalis, per quinque fide dignos testes & jurantes, qui sunt & ipsi bonae famae, adversus Episcopum accusatio probatur.* Et Zonaras ad *d. can. 75.*, *arbitror vero nunc in accusationibus, per quas consecratis ministris casus proprii gradûs infertur, non sufficere duos testes, etsi fideles, & irreprehensibiles sint.*

Verum ibidem recte testes ab accusatoribus distinguit Aristenus: testimonium unius contra quemlibet non sufficit, accusatio ab uno, vel pluribus fieri potest. In Gratiani decreto magnus contra Episcopos testium numerus occurrit, et merito; cum vetus eorum vita, honestas, & morum sanctitas undique pelluceret. Aliquando unus testis fidem facit, si de modica caussa, & damno agatur, si nemini noceat: exempla sunt in *can. 110. de consecrat. dist. iv.*, & *cap. 7. de probat.* Aliquando illustris personae testimonium pro duobus testium dictis valet, *const. regni prosequentes lib. 11. 32.* Quod si lex, vel edictum numerum non exprimit, duo sufficiunt; quia pluralis elocutio duorum numero contenta est *l. 12. D. de Testibus.* Sicut legatum sub conditione *si illud feceris in diebus* relictum, non expresso dierum numero, intra biduum fieri oportet *l. 217. D. de V. S.* Investitura coram Paribus facienda, si senior Pares habet, secus coram extraneis testibus, quot? lex non distinguit, sane duo satis sunt *d. 11. f. 58.* Non raro septem opus est, ut in testamentis; vel quinque ut in rusticorum testamentis, aut probanda vasalli felonia *11. f. 57.*

Lex 42. *Qui ex liberalitate convenitur, in id, quod facere potest, condemnandus 11. f. 58.*

Aequitas juris quibusdam personis beneficium concessit, ne condemnarentur, nisi in id, quod facere possent, *l. 28. l. 173. D. de R. J. l. 16. D. de re judic.*, hoc est, non in solidum, sed ipsorum ratio habenda est, ne egeant. Sicut est *Socius*, sive omnium bonorum, sive unius rei, quia societas fraternitatis speciem, & vicem sustinet, indecorum legibus visum est, socium bonis omni-

bus

bus ab altero socio spoliari *l. 63. D. pro Socio*, Zas. 2. *respon.* 4. *Maritus* ab uxore conventus, ut dotem restituer, postquam jure ab ea discesserit, *ne egeat*. Quod beneficium etiam mariti heredi suo, non extraneo competit *l. 12. D. solut. matri.*, nisi maritus post divortium in rebus dotalibus dolum, vel culpam admiserit, nisi dolo dotem dilapidaverit *l. 18. §. 1. D. eo.*, consl. Duaren. *ad d. l. 12. Parens* a filio emancipato conventus, ob illam reverentiam, quam Patri debet *l. 16. D. de re judic.*, eamque cum libertus patrono præstare teneatur, *Patronus* eodem beneficio fruitur *l. 7. §. 1. l. 9. D. de obsequi. Paren. Donator*, ne ob suam liberalitatem bonis suis expolietur, idque in simplici donatione, non ea, quæ ob caussam celebretur *l. 49. D. de re judic.*, *frater arg. l. 63. D. pro Socio*. Inter hos recensetur *Dominus*, cujus persona honesta, & sancta vasallo videri debeat, Duaren. ad d. *l. 16. D. de re judic.* Si itaque dominus annuam præstationem ex suo ærario, aut penu solvendam jure feudi Mævio dederit. Si ærarium, sive Camera, Cavena, aut penus non habeat, unde solvat, dominus in id quod facere potest, condemnatur *d.* 11. *f.* 58. & prolixe in proleg. de *feudo Cameræ & Cavenæ*, & *ad d. 11. f. 58.* diximus, & in *Instit. juris feud.* Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit. 24. n. 16. & 17.*, quinimo creditor vasallo præfertur.

Lex 43. *Pares pecunia, odio, gratia, corrumpi non est suspicandum* 11. *f.* 58.

Hujus regulæ origo, & mater est præsumtio, quæ ex jurejurando fidelitatis a Paribus Curiæ seniori præstito descendit. Ob religionem enim pares in feudalibus controversiis non odio, amore, pecunia, vel favore, sed veritatis studio judicare præsumuntur. Aut si eos in novæ investituræ probatione adhiberi oportet *d.* 11. *f.* 58. Verum nihil est tam sanctum, vel sacrum, quod vitio, sacrilegio, perjurio violari, atque labefactari non possit, plane ipsi reiici tanquam suspecti possunt, sicut & ipse Dominus, licet nonnulli, sed non recte, negent, Vultej. *lib. v. c. 2. n. 7. & 37.*, Curtius *par. VII. n. 35.*, & tunc judex ordinarius, vel arbiter cognoscit.

Lex 44. *Ex folonia dolo malo, culpa commissa vasallus feudum amittit*, 1. *f.* 5. 1. *f.* 17. 11. *f.* 24. 11. *f.* 28., 11. *f.* 23.

Omne feudale delictum *felonia* dicitur, & duplici modo, nempe *dolo*, aut *culpa* vasalli contingit. Nam nullus Hominis actus criminis nomen assumit, nisi dolus, vel culpa interveniat *l. 3. D. de injur.*, *l. 23. §. 2. & 3. D. de ædit. edict.*, *l. 11. §. 2. D. de pœnis*.

Et duplex delictum, vel felonia nascitur, *vera*, & *quasi vera*: veram dolus, quasi veram culpa constituit. In dominum, vel in

obtinet, in omnibus propemodum caussarum decisionibus duos testes sufficere, *Deuter.* XIX. v. 15., *can.* 75. *Apost.*, *cap.* 23. *de Testibus*, *l.* 20. *D. de quaestion.* *l.* 9. *C. de Testib.* Unus testis, nullus testis, etsi praeclara fulgent dignitate, sive caussa civilis, sive criminalis fuerit. Saepius non duo, sed plures testes requiruntur, ut Balsamon ad *d. Can.* 75. *Apost.*; inquit, *in duobus enim, aut tribus testibus, inquit, stabit omne verbum. Hoc autem sine distinctione ne intelligas. Sed dicas secundum juris rigorem, quod si est caussa pecuniaria & usque ad libram unam, duo testes, fide digni, bonae existimationis adversus Episcopum jurati testificantes sufficiant. Sin autem usque ad L. libras, tres. Si autem ultra, haec, quinque. Si autem non est pecuniaria caussa, sed criminalis, per quinque fide dignos testes & jurantes, qui sunt & ipsi bonae famae, adversus Episcopum accusatio probatur.* Et Zonaras ad *d. can.* 75., *arbitror vero nunc in accusationibus, per quas consecratis ministris casus proprii gradus infertur, non sufficere duos testes, etsi fideles, & irreprehensibiles sint.*

Verum ibidem recte testes ab accusatoribus distinguit Aristenus: testimonium unius contra quemlibet non sufficit, accusatio ab uno, vel pluribus fieri potest. In Gratiani decreto magnus contra Episcopos testium numerus occurrit, et merito; cum vetus eorum vita, honestas, & morum sanctitas undique pelluceret. Aliquando unus testis fidem facit, si de modica caussa, & damno agatur, si nemini noceat: exempla sunt in *can.* 110. *de consecrat. dist.* IV., & *cap.* 7. *de probat.* Aliquando illustris personae testimonium pro duobus testium dictis valet, *const. regni profequentes lib.* II. 32. Quod si lex, vel edictum numerum non exprimit, duo sufficiunt; quia pluralis elocutio duorum numero contenta est *l.* 12. *D. de Testibus.* Sicut legatum sub conditione *si illud feceris in diebus* relictum, non expresso dierum numero, intra biduum fieri oportet *l.* 217. *D. de V. S.* Investitura coram Paribus facienda, si senior Pares habet, secus coram extraneis testibus, quot? lex non distinguit, sane duo satis sunt *d.* II. *f.* 58. Non raro septem opus est, ut in testamentis; vel quinque ut in rusticorum testamentis, aut probanda vasalli felonia II. *f.* 57.

Lex 42. *Qui ex liberalitate convenitur, in id, quod facere potest, condemnandus* II. *f.* 58.

Aequitas juris quibusdam personis beneficium concessit, ne condemnarentur, nisi in id, quod facere possent, *l.* 28. *l.* 173. *D. de R. J.* *l.* 16. *D. de re judic.*, hoc est, non in solidum, sed ipsorum ratio habenda est, ne egeant. Sicut est *Socius*, sive omnium bonorum, sive unius rei, quia societas fraternitatis speciem, & vicem substinet, indecorum legibus visum est, socium bonis omni-

bus

bus ab altero socio spoliari *l. 63. D. pro Socio*, Zas. *l. 2. respon.* 4. *Maritus* ab uxore conventus, ut dotem restituet, postquam jure ab ea discesserit, *ne egeat*. Quod beneficium etiam mariti heredi suo, non extraneo competit *l. 12. D. solut. matri.*, nisi maritus post divortium in rebus dotalibus dolum, vel culpam admiserit, nisi dolo dotem dilapidaverit *l. 18. §. 1. D. eo.*, conf. Duaren. *ad d. l. 12. Parens* a filio emancipato conventus, ob illam reverentiam, quam Patri debet *l. 16. D. de re judic.*, eamque cum libertus patrono præstare teneatur, *Patronus* eodem beneficio fruitur *l. 7. §. 1. l. 9. D. de obsequi. Paren. Donator*; ne ob suam liberalitatem bonis suis expolietur, idque in simplici donatione, non ea, quæ ob caussam celebretur *l. 49. D. de re judic.*, *frater arg. l. 63. D. pro Socio*. Inter hos recensetur *Dominus*, cujus persona honesta, & sancta vasallo videri debeat, Duaren. ad d. *l. 16. D. de re judic.* Si itaque dominus annuam præstationem ex suo ærario, aut penu solvendam jure feudi Mævio dederit. Si ærarium, sive Camera, Cavena, aut penus non habeat, unde solvat, dominus in id quod facere potest, condemnatur *d.* II. *f.* 58. & prolixe in proleg. de *feudo Cameræ & Cavenæ*, & *ad d.* II. *f.* 58. diximus, & in *Instit. juris feud.* Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit. 24. n. 16. & 17.*, quinimo creditor vasallo præfertur.

Lex 43. *Pares pecunia, odio, gratia, corrumpi non est suspicandum* II. *f.* 58.

Hujus regulæ origo, & mater est præsumtio, quæ ex jurejurando fidelitatis a Paribus Curiæ seniori præstito descendit. Ob religionem enim pares in feudalibus controversiis non odio, amore, pecunia, vel favore, sed veritatis studio judicare præsumuntur. Aut si eos in novæ investituræ probatione adhiberi oportet *d.* II. *f.* 58. Verum nihil est tam sanctum, vel sacrum, quod vitio, sacrilegio, perjurio violari, atque labefactari non possit, plane ipsi reiici tanquam suspecti possunt, sicut & ipse Dominus, licet nonnulli, sed non recte, negent, Vultej. *lib. v. c. 2. n. 7. & 37.*, Curtius *par.* VII. *n.* 35., & tunc judex ordinarius, vel arbiter cognoscit.

Lex 44. *Ex felonia dolo malo, culpa commissa vasallus feudum amittit*, I. *f.* 5. I. *f.* 17. II. *f.* 24. II. *f.* 28., II. *f.* 23.

Omne feudale delictum *felonia* dicitur, & duplici modo, nempe *dolo*, aut *culpa* vasalli contingit. Nam nullus Hominis actus criminis nomen assumit, nisi dolus, vel culpa interveniat *l. 3. D. de injur.*, *l. 23. §. 2. & 3. D. de ædit. edict.*, *l. 11. §. 2. D. de pœnis.*

Et duplex delictum, vel felonia nascitur, *vera*, & *quasi vera*: veram dolus, quasi veram culpa constituit. In dominum, vel in

 ejus

ejus familiam, vel in ipsum feudum, vel in extraneos committitur. In dominum pluribus modis delinquit, si reverentiam non exhibeat, servitia neget, in prælio deserat, si imminens periculum non evertat, si vulneraverit, injuriam verbis, litteris, re inferat, si aggrediatur, si amicitiam cum senioris hostibus in ejus perniciem contrahat, si oppugnaverit, si secreta ejus panderit, in criminali caussa accusaverit, si intra statutum tempus investituram non petierit, si actione famosa convenerit, & quæ sunt, I. *f.* 21., I. *f.* 24. II. *f.* 26. §. 2. II. *f.* 55. §. *firmiter*, I. *f.* 5. I. *f.* 17. II. *f.* 6. & 7. II. *f.* 57. II. *f.* 34. II. *f.* 38. In familiam, si ejus uxorem cucurbitaverit, aut impudica oscula fixerit, si ejus sororem in suis ædibus turpiter cognoverit, si cum ejus matre rem habuerit, vel unum ex sua familia occiderit I. *f.* 5. II. *f.* 57.

In feudum, si illud sine senioris consensu alienet, aut abutatur II. *f.* 52. II. *f.* 55. In extraneos, si crimen læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ committat, dum bona publicantur, & feudum ad seniorem redit, si parricidium, vel assassinium perpetrat, si convasallum occidat, ut feudistis merito placet, quia in sui senioris curia sine dedecore stare non potest, Curt. *part.* v. *tot.*, Sonshec. *part.* XIII. *tot.*, Gudelin. *par.* v. *c.* I. 2. & 3., Duaren. *cap.* 14. 15. & 16.

Lex 45 *Aequitas in paribus caussis paria jura desiderat* II. *f.* 54.

Fridericus I. in *d.* II. *f.* 54., sanxit, nemine excepto, quemlibet vasallum, tam in Italia, quam Alemannia, Imperatorem ad suscipiendam imperii coronam comitari, aut pro feudi quantitate stipendia militiæ persolvere cogi, modo legitime fuerit vocatus, aliter feudo cadit. Rationem Imperator subnectit, quia *æquitas in paribus caussis paria jura desiderat*, hoc est æquitati convenit, vasallum suo seniori servitium præstare, dum ab eo beneficium accepit, & proinde vasallus seniori æqualitatem servare tenetur. Quod effatum ex Tullii *topica cap.* IV. sumptum est. Attamen æquitas duplici aspectu considerari potest.

Primo, & tunc æqualitatem significat, de qua *hic* Fridericus, & Justinian. *in l. fin. C. Constit. pecunia*, & Lactant. *in lib.* v. *Justitia c.* 15. *Altera igitur justitiæ pars est æquitas: æquitatem dico non utique bene judicandi, quod & ipsum laudabile est in homine justo: sed se cum ceteris coæquandi, quam Cicero æquabilitatem vocat. Deus enim qui homines generat, & inspirat, omnes æquos, id est pares esse voluit, eandem conditionem vivendi omnibus posuit, omnes ad sapientiam genuit, omnibus immortalitatem spopondit: nemo enim a beneficiis ejus segregatur. Nam sicut omnibus unicum suum lumen æqualiter dividit, emittit omnibus fontes, victum sub-* mi-

miniſtrat, quietem ſomni dulciſſimam tribuit: ſic omnibus æquitatem, virtutemque largitur. Nemo apud eum ſervus eſt, nemo dominus. Si enim cunctis idem pater eſt, æquo jure omnes liberi ſumus.

Secundo, & tunc temperatam juſtitiam oſtendit. Quid autem hoc ſenſu ſit æquitas? Dicam, jus quod lex ſcripta prætermiſit; nulla eſt æquitas ſcripta; eſt naturalis ratio, homanitas, & dedicatum divinæ juſtitiæ ſimulacrum actibus hominum attemperandum, nihilque a juſtitia differt. Plus dicam, æquitas juſtitia non ſcripta, ſed in lege tacite comprehenſa vocari poteſt. Hinc Ariſtot. Rhetor. *lib.* 1. *c.* 13. *part.* 300. æquitatem vocat τῦ ἰδίου νόμυ χας εγγεγραμμένου ε ἔλλειμμα, hoc eſt *propriæ legis, & ſcriptæ ſupplementum.* Et infra eleganter *part.* 302. ex verſione Majoragii deſcribit, *Aequum eſt etiam non pari pœna dignos ſtatuere errores, & injurias, neque errores, & infortunia. Sunt autem illa infortunia, quæ præter cogitationem eveniunt, & a nullo animi vitio: errores vero qui non quidem præter cogitationem accidunt, ſed tamen malitia carent. Injuriæ illæ ſunt, qua & a cogitatione, & ab animi vitio proficiſcuntur: nam etiam quæ impellente cupiditate fiunt, a malitia proveniunt. Humanæ etiam naturæ, imbecillitatique ignoſcere, æquum, ac bonum eſt: & non ad legem ipſam, ſed ad legislatorem animum referre; & non verba legis, ſed legislatoris ſententiam ſpectare. Neque furtum ipſum, ſed ejus, qui fecit, animum conſiderare: neque partem tantum, ſed rem univerſam perpendere. Et qui reus eſt, non qualis nunc ſint, ſed qualis anteacto tempore fuerit, & majori ex parte*, ubi prolixe Paulus Benius. Ariſtoteles idem *loc. cit. part.* 301. quid ſit æquitas, exemplo illuſtrat: lex ferro vulnerare prohibet; ſed ſi quis manum attollens aliquem annulo ferreo, quem digito geſtaret, vulneraverit? Hic reus legis erit, & ſane plectendus; ſed æquitas abſolvit, quia hunc caſum legislator punire noluit, eumque, ſi prævidiſſet, pœna liberaſſet. Conf. Freher. *tract. de Aequitate*, ſeu *ad l.* 1. *C. de legibus*.

Lex 46. *Deſinit eſſe miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti* 11. *f.* 21. 11. *f.* 109.

Si vaſallus arma bellica deponit, ſervitia relinquit, & Clericatum aſſumit; a ſapientibus Lombardiæ merito clientela privari placuit. Hac nixi ratione, *ne ſecularibus negotiis ſe immiſceret*, quæ ſemper a PP. Eccleſiæ retenta eſt, primumque *Can.* 6. 81. *&* 81. *&* 82. *Apoſtol.* repetiiſſe videtur, deinde Concil. Carthagin. ſub Theodoſio juniore *can.* 16. *Similiter placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi conductores, vel procuratores non fiant; nec ex turpi aliquo, vel vili negotio victum ſibi quærant; debent enim ad id quod ſcriptum eſt, reſpicere. Nemo Deo militans ſeipſum implicat*

cat secularibus negotiis. Concil. Calcedon. sub Imperat. Marciano *can.* 3. *Definit ergo sancta, & magna synodus, neminem deinceps nec Episcopum, nec Clericum, nec monachum, vel possessiones, vel res conducere, vel secularibus possessionum administrationibus seipsum ingerere: nisi utique ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur, vel civitatis Episcopus eum rerum Ecclesiasticarum curam gerere permittat, vel orphanorum, vel viduarum, quibus non providetur, & personarum, quæ ecclesiastico auxilio maxime indigent, propter timorem Dei. Si quis autem quæ statuta sunt deinceps transgredi aggressus fuerit, is pœnis ecclesiasticis subjiciatur*; ibi prolixe Balsamon præsertim de tutela agit. Hos canones sequens conciliorum copia retinuit, & Tridentin. *session.* 22. *de reform, cap.* 1. Nihilominus vitium nunquam a clericis abscessit, sicut de sua ætate conqueritur Balsam. *loc. cit.* qui sub Isaacio Angelo CP. Imperat. floruit *an.* 1185. *Neque tamen idcirco facta malo huic medicina, quod omnibus locis nunc quoque grassatur, & nemo coercendæ huic pesti, non Patriarcha, non Imperator, non Episcopus animum intendit. Despecti itaque jam habentur tam multi canones & iis, qui sic a Canonibus deponuntur, Patriarchæ, & Episcopi comministrant, & communicant*. Animo clericatum concipimus, qnomodo esse, & vivere debeat, sed eum nunquam universaliter Ecclesia vidit, vel sperare potest. Sicut Cicero eloquentiam animo concipiebat, quomodo in oratore optimo esse deberet, sed reperturam nunquam sperabat. Clericus itaque in feudo non succedit, nec illud retinere potest, quia clericale officium divinis contemplationibus addictum servitio feudali non convenit, ne secularibus negotiis immisceat. Non raro succedit, si nempe senior consensiat, si feudum francum fuerit, si illius feudi servitium clericali dignitati, vel officio non repugnet, si dolo malo patris vel agnatorum clericus evasit, si per substitutum servire senior consensiat, Pistor *lib.* 11. *q.* 33., Sonsbec. *par.* x11. *n.* 138., Bammac. *in* 11. *f.* 26. §. *qui clericus*.

Lex 47. *Promptiores sumus, ad absolvendum, quam condemnandum* 11. *f.* 28. §. 1.

In omni judicio tres sunt principales partes, actor, reus, judex, qui dirimit. Actor est, qui in jus vocat, sibique aliquid dari, fieri, aut restitui intendit. Reus est, qui in judicium, litemque vocatur. Si actor jura sua probavit, reus damnatur; si obscure probavit, nec judex sententiam ferre potest, reus, etiamsi nihil præstiterit, absolvitur *cap. fin. de jurejuran.*, 14. *C. de eden.*, *l.* 38. *D. de re judic.* Reus enim paribus sententiis potius vincit, quam actor, Paul. IV. *sent.* 12. §. 5. *humanæ rationis est* fa-

favere miserioribus, & prope innocentes dicere, quos absolute nocentes pronunciare non possumus, Grot. *de jure bel.* & pac. *lib.* II. *c.* 5. *n.* 18.. *Cap.* II. *de R. J. in 6.*, ibi Peckius *n.* 7. Exemplum nostræ Regula dabit: Etsi vasallus Domino non servierit, nihilominus feudum non amittit, nisi legitime requisitus servire noluerit, vel domino magnum imminere periculum sciverit, & non adjuvavit. At si dubitatur, an vasallus fuerit vel, non vocatus, periculum vel non imminere, bellum parari vel, non obsidionem in eum institui, vel non, & similia sciverit, judex arbitrabitur. Et in dubio potius pro reo, quam pro domino respondere tenetur.

Lex 48. *Feudum totum, vel partem, inconsulto Domino, alienat, non videtur fidem promissam servare* II. *f.* 24. §. 2. *in fin.*

Jure novissimo ex Constit. Lotharii Saxonis Longobardis, & Germanis præscripta, & Friderici I. *in* II. *f.* 52. & II. *f.* 55. vasallus sive a supremo Principe, sive ab inferiore feudum recognoscens, sine sui senioris licentia alienare quolibet titulo non potest. Secus fidem in jurata investitur a promissam servare non videtur, hoc est *feloniam* committit, perjurium incurrit, jura domini lædit, quæ servaturum juravit, Giphan. *juris feud. disput.* VIII. *n.* 32., Pistor *lib.* II. *p.* 17. *n.* 4., Lorber *Inst. jur. Germ. lib.* II. *tit.* 34. §. 300. & 301.

Lex 49. *Resoluto jure datoris, resolvitur jus accipientis* I. *f.* 13. II. *f.* 8.

Omne jus, quod vasallo in feudo competit, est personale, instar fructuarii, & cum persona perit, quia feudum concessum intelligitur, donec vasallus vivat, deinde ejus filii, vel agnati possideant. Hinc si vasallus etsi consensu domini feudum alienat, agnatis est jus revocandi II. *f.* 3. §. *sed etiam res*, II. *f.* 8. §. *a contrario*, II. *f.* 26. §. *Titius*. Ratio, quia nemo de jure alieno disponere valet, nisi illius juris dominus consensiat. Agnati jus in feudo quæsitum, ex investitura natum vindicant, a quo cadere nequeunt, nisi ipsi consensiant. Nec alienatione eorum jus perit, quum nemo plus juris in alterum, transferre possit, quam ipse habeat *l.* 54. *D. de R. J.*, *cap.* 79. *eo in 6.*, ut furta, fraudes, & damna evitarentur, cum facile quis de re aliena disponeret, Pekius ad d. cap. 79. *n.* 5. fructuarius si usumfructum vendidit, emptor utitur fruitur, donec venditor vivat, decedente, ad proprietatem redit. Res restitutioni, vel fideicommisso subjecta, in præjudicium eorum, quibus restitutio faciunda sit, non alienatur, *auth. res quæ C. Commun. de legat.* Attamen hæc de feudo ex pacto, & providentia antiquo. De novo autem, vel hereditario pos-

possessor alienatione nocere potest, quia tunc successor heres factum defuncti servare cogitur *l.* 14. *C. de R. V.*, Pistor *lib.* 11. *q.* 1. *&* 14. *&* 6.

Lex 50. ***Probibita alienatione, subinfeudatio probibita non censetur, nec feudum amittit,*** 11. *f.* 3. §. 1. 11. *f.* 9. 11. *f.* 34. §. 2. 11. *f.* 55.

Franciscus Hotoman. V. Cl. nescio, qua cæcitate, adversus feudales leges asseruit, jure Longobardo sicut feudi alienationem, ita & subinfeudationem prohiberi. Non recte: etsi enim stricte alienationem feudales mores prohibuissent, subinfeudationem ratam esse voluerunt. Nec sua destituuntur ratione, cum seniori non noceat, nec vasallus subinfeudans ab obligatione serviendi se eximit, quinimo senior duplicem vasallum adquirit. Fateor veram non reperiri rationem, cur alienatio, & non etiam subinfeudatio interdicatur. Sed ita Longobardis placuit. Nec vasallo subinfeudanti nocet, quia a subvasallo servitia exigit, renovationem investituræ petit, & quæ inter se convenerunt. Nec tantum feudi partem, sed & totum, nec in unum, sed & in plures subinfeudare potest. Et sane ipse subvasallus iterum, & in infinitum subinfeudare non vetatur 11. *f.* 9. 11. *f.* 34. Modo hæc subinfeudatio sincere, æque idoneo, & iisdem conditionibus fiat, & contingat *d.* 11. *f.* 34. Vultej. *lib.* 1. *c.* *x.* *n.* 149. Sande *ad Consuetud. Gelriæ tit.* 1. *c.* 1. *n.* 44. Et quamvis subvasallus fidelitatem domino immediato præstiterit, tamen in dominum mediatum, seu superiorem feloniam committere potest 11. *f.* 55. §. *illud quoque*. Denique, morto subinfeudante, agnati, vel descendentes, subinfeudationem rescindere possunt, quia jus subvasalli a defuncto subinfeudante dependens, simul cum defuncto periit, ut nuper dixi, Sonsbec. *par.* XIII. *n.* 98.


Leg. 51. *Natura novas deproperat edere formas* 11. *f.* 24.

Anselmus filius Patrem suum Obertum Mediolanensem Consulem rogavit, ut caussas, quibus feudo vasallus cadit, exponeret. Cum varias in Italiæ curiis cognosceret. Obertus *in* 11. *f.* 23. *&* 24. plurimas retulit, postea alias arbitrio feudalis judicis reliquit, alias exemplo repudii, sive divortii, alias argumento exheredationis inveniri, & peti posse concludit. Cur ita? quia sub una regula actuum humanorum copia comprehendi vetat. Nam natura novas formas assidue operando cudit. Hoc est sicut natura continuo agit & dum agit, quod occultum retinebat, expandit, novumque apparet, & vetera ad nova & vicissim reducit. Ita & ars, scientia, & lex agendo, discendo, docendo, & jubendo, nova assidue invenit, quæ sub unico, & primo actu comprehendere non

non poterit. Ex analogia prudens judex, nempe ex caussis exheredationis a Justiniano in *Nov.* 115. *c.* 3. introductis, repudii in *Nov.* 22. *c.* 15., revocandæ donationis ex *l. fin. C. de revocan. donat.* caussas colligere potest, quibus vasallus feudum amittit, conf. Rosent: *c.* 10. *conclus.* 15. *& seqq.*, si eadem gravitas suadeat, si veræ, vel quasi feloniæ conveniat.

Lex 52. *Ex omni felonia, qua vasallus feudo privatur, dominus spoliatur proprietate*, 11. *f.* 47. 11. *f.* 6. *&* 7., 11. *f.* 26. §. *domino*.

In feudalibus Italiæ Curiis disputabatur, an ex iisdem caussis, quibus vasallus feudum amitteret, dominus proprietate etiam caderet? Affirmantium opinio invaluit; sane præclarum est illud Lotharii in 11. *f.* 52. *inter dominum, & vasallum nulla fraus, nec ullum malum ingenium debet intervenire*. Dominus & vasallus adeo mutuam fidem, obligationem, atque amicitiam inter se præstant, ut hæc nomina correlativa esse videantur; non mirum si iisdem caussis dominus proprietatem amittat. Et cuique constare potest, quam arctam Italiæ populis fuisse clientelam, quæ hac in re Romanorum clientelis comparatur. Quamvis hujusmodi juris feudalis species gentibus deinde Europæ displicuit, & vix in earum annalibus exempla occurrunt, quibus dominos directo dominio expoliatos intrueremur, Lorber *Inst. jur. feudal. German. lib.* III. *tit.* 10. §. 386., Giphanius *juris feud. disput.* 1. *n.* 4. *&* 5., Struv. *f. j. f. cap.* XV. *A.* 18., Lipar. *ad Andr. in* 11. *f.* 6.



Dissertatio I. de fructibus feudi.

CAP. I.

De jure vasalli percipiendi fructus.

§. I.

Constituto in rebus a Deo creatis dominio, unusquisque liberrimam de parte sibi præscripta disponendi facultatem adquisivit, quæ in omni ætate duo, videlicet *veram dominii translationem*, vel *quasi*, seu minus plenam comprehendit. Prima in emptione venditione, mutuo, permutatione: secunda in usufructu, emphyteusi, pignore, superficie, & servitute contingit. His dominus quælibet pacta honestati, & civitatis moribus non adversa adiicere potest; nam dominium nihil aliud est, quam jus pro arbitrio de re disponendi, nisi quid vi, aut jure prohibeatur. Licet enim quisque uti, abuti, & privatum a jure suo expellere valeat; nihilominus Respublica, hoc est summa supremi Imperantis voluntas, sive populus fuerit, sive Princeps pro communi utilitate hanc liberam utendi, fruendi, abutendique facultatem in nonnullis casibus, & personis modo temperat, modo relaxat, modo imminuit, modo auget.

§. II.

Illa dominii translatio, qua omnino dominus se expoliat, & alteri concedit, simplex dominium parit, quod ætas Interpretum *dominium directum* vocavit. Illa vera, quæ juris portionem transfert, *utile* appellavit. Quæ divisio a jure abhorret, Muretus *Epist.* 52. *Dominium enim directum, & utile, nusquam a Jurisconsultis, nusquam ab Imperatoribus nominantur, sed commenta, & somnia sunt eorum qui obscurando, & ineptiis suis contaminando jure civili, sibi se acuminis, & eruditionis laudem quæsituros putarunt.* Utrumque vel simpliciter, vel conditione adiecta, Gentium voluntas dare solet, uti sibi placuerit. In media ætate conditio adjungi cæpit, quæ militare servitium, fidei præstationem, mutuam fidelitatis, atque obsequii obligationem inter seniorem, seu concedentem, & vasallum, id est accipientem contineret. Ex quo actu *feudalitas*, seu *clientela* allodialibus rebus jure gentium videlicet ab omni onere, vel servitute liberis adnecti visa est, quæ tamen non veram dominii translationem, sed usumfructum, rei nostræ utilitatem, commodumque sub fidei pacto vasallus consequeretur. Hinc Obertus de Orto in II. *f.* 23. feudum dicit esse beneficium, *quod ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: ususfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum, heredesque suos masculos, seu feminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat; ad hoc ut ille, & sui heredes fideliter domino serviant:*

viant: sive servitium illud nominatim, quale esse debeat, sit expressum, sive indeterminate sit promissum, ibidixi.

§. III.

Hac conditione, adquisito feudo, & utili in vasallum translato dominio, plurima ipse jura consequitur, quæ ad duo nempe *adipiscendi*, seu *retinendi*, & *utendi* capita redigi valent. Adipiscitur, seu retinet actionibus, quas *lib.* IV. *6.* §. *6.* & II. *f.* 8. recensui. Utitur, dum fructus, omnesque utilitates, & reditus percipit. Nam *uti frui* qualemcumque utilitatem, commoditatem, oblectationemque complectitur, vel ex re mediate, vel immediate percipi potest. Feudum non est simplex fructus, nec simplex usus, sed usu, & fructu sub lege hominii componitur *in prolegom. c.* I. §. 2. Vasallus tanquam dominus plenissime omnibus feudi emolumentis utitur fruitur II. *f.* 8. II. *f.* 28. §. *bis consequenter*, Rosent. *cap.* VIII. 2., Zasi. *par.* VI. *n.* 25., Buddingh *differt. de orig. & nat. contract. feud.* §. 67. Pertinet ad vasallum omne feudi incrementum, quod alluvione, coalitione, insula nata, aut alveo mutato, feudo accedat. Sive latens, sive apparens incrementum fuerit I. *f.* 4. §. 5., Struvius *f. j. f. cap.* XII. *A. 6.* Verum cum omnis clientela vel in re corporali, vel in incorporali consistat, vasallus his adeo uti frui debet, ut salva earum substantia maneat. Salva substantia est, si deteriorem non reddit, quia usus tria continet, ut utentis necessitate pereat, ne rei conditionem immutet, & ne res utendo consumatur *l.* II. *D. de usu, & habit.*, *l.* 15. §. I. & 5. *D. de usufr.* sicut fructuarius, illæsa substantia, re aliena uti tenetur *l.* 13. §. 4. *D. de usufr.* II. *f.* 8. §. *e contrario*, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. *n.* 49.

§. IV.

Qua de re si fundum feudalem deteriorem reddit, dum non tanquam paterfam., sed potius devastator utitur, illum amittit, II. *f.* 27. §. *quicumque*. Si arbores fructiferas incidat, si villam diruit, voluptare prædium, viridaria, deambulationes dejiciat, si silvam glandiferam, agrum pomis, pyris, olivis, similibusve consitum fructibus evellat *arg. l.* 13. §. 4. *D. de usufr.*, non enim fructus percipere, sed destruere dicitur. Atque hæc, si prædium jure feudi recognoscit. Sed si rem incorporalem, nempe jurisdictionem, jus, gabellum, vectigal, pedagium exigendi, decimam, aliudve possidet. Fructus sunt annua præstatio, reditus, mulcta, publicatio; nam mulcta, & publicatio sunt jurisdictionis fructus, Scrad. *par.* II. IX. *sect.* 3. *n.* 12. Rosent. *cap.* X. 33. Abutitur, si justitiam populo non administrat, si subditos pessundat, Duaren. *cap.* XIV. 22., & feudum amittere meretur. Sic Henricus I. Lotharingiæ, Brabantiæque Dux *an.* 1212. apud Miræum *in Donat. Belg. cap.* 94. *Præterea hominibus, qui Stakersloo a nobis in feudum tenebant, propter injuriam, & violentiam,*

quam

quam tam in aquis, quam super terram hominibus inferebant, omne feudum de Stakers-loo meritis eorum exigentibus, sententia Parium suorum, ei fecimus abjudicari & illud Domino Godefrido cum omni integritate in rectum feudum contulimus.

CAP. II.

De Definitione, & Appellatione fructus.

§. V.

POstquam ex infeudatione vasallo percipiendi fructus facultas competat; videndum quid sit fructus, & quid sub ejus nomine contineatur. Fructus aut *stricte*, aut *large* accipi potest: stricte, & definit Ulpian. *in l. 9. D. de usufr. quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius* (fructuarii) *fructus est*; & Paul. *in l. 59. §. 1. D. eo., quidquid in fundo nascitur, vel quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet.* Sensus est: illam utilitatem, quæ ex ipso corpore nobis obvenit, ex ipsa re nascitur, proprie fructum dicimus; & quidem naturalem, quia natura composuit; S. Isidor. *lib.* XVII. *orig. c. 6. fructus proprie dici agrorum, & arborum; quibus utique utimur.* Et sic Varro *lib.* IV. *de ling. lat.* fructus a *ferendo* deducit, quia fundus vel sponte, vel hominum industria ferat, Conuan. *commen. lib.* IV. *c.* I., ut frumentum, vinum, oleum, fœtus pecudum *l. 28. D. de usur. l. 68. D. de usufr.* Non tamen omne, quod ex corpore nascitur, fructus est; sed quod utilitatem homini affert, Duaren. *ad tit. D. de nautico fænor. cap. de Accessione*, Pecki. *ad l. 1. §. exercitorem D. de exercitor. action.*

Fructus vero large sumptus est omne emolumentum, obventio, utilitas, non ex ipso corpore nata; sed extra rem, occasione tamen rei mediate, vel immediate profecta. Plus dicam: quidquid ad hominis fruitionem attinet, nomen *fructus* continet, Javolen. *in l. 42. D. de usufr. leg. in fructu id esse intelligitur quod ad usum hominis inductum est:* Sicut est pensio prædii rustici vel urbani, usura, merces rusticorum, opera servorum, lapidicina, cretifodina, metallifodina, venatio, piscatio, aucupium. Et quemadmodum quidquid terra vel sponte, vel facto hominis ad hominis utilitatem gignit, proprie fructus vocatur, ita & quid homo propter usum, quem de re sua, vel aliena bona fide possessa facit, improprie fructum dicimus, Lugunez *tract. de fructibus par. 1. c. 2. n. 28.*, eosque vasallus in feudo feudali percipit.

§. VII.

Nec tantum fructus dicitur, qui veram utilitatem homini exhibet, sed & qui voluptatem dumtaxat, oblectationem, amænitatem, animique recreationem affert. Pomponi. in *l. 28. D. de usufr. Numismatum aureorum, vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent; ususfructus legari potest.* Et Marcian. *in l. 41. D. eo. statuæ,*

tae, & imaginis usumfructum posse relinqui magis est: quia & ipsa habent aliquam utilitatem, si quo loco opportuno ponatur. Nam etsi numisma ex se vel statua, vel imago nullam utilitatem, fructumque producant, tamen veteres Romani numismate pro gemmis in veste, digitis, auribus uti solebant. Plini. *lib. 37. Hist. Natur. proemio, Gemmae supersunt, & in arctum coacta rerum naturae majestas multis nulla sui parte mirabilior. Tantum tribuunt varietati, coloribus, materiae, decori, violari etiam signis gemmas nefas ducentes. Aliquos vero extra pretia ulla, taxationemque humanarum opus arbitrantes, ut plerisque ad summam, absolutamque rerum naturae contemplationem satis sit una aliqua Gemma*, Forner. *select.* 11. *cap.* 7. Noodt *lib.* 1. *de usufr. c.* 4. Illa animo delectatio ex colore, pretiositate, & opportuno loco nata majores nostros adeo movit, ut in iis usumfructum constituerent; merito: adest corporis, & animi cibus, qui secundus saepius pluris existimatur.

§. VIII.

Hinc Paul. *in l. 16. D. quod vi, aut clam, si quis vi, aut clam arbores non frugiferas ceciderit, veluti cupressos: domino dumtaxat competit interdictum. Sed si amaenitas quaedam ex hujusmodi arboribus praestetur: potest dici, & fructuarii interesse, propter voluptatem, & gestationem, & esse huic interdicto locum*. Cur fructuario interdictum *quod vi, aut clam* competit adversus eum, qui infructiferas, uti cupressum, arbores caeciderit? quia ex umbra, odore, aut colore animi voluptatem, hoc est fructum excipere solet. Hac ratione moribus contra juris regulas obtinuit, servitutem, non modo necessitate praedii, sed etiam amaenitatis caussa constitui, uti est *jus ambulandi*, quod nullam aut meo praedio, aut tuo utilitatem, aut necessitatem afferat. Ambulare enim est amaenitatis caussa factis spatiis in eadem vestigia reverti, recte M. Varro *de RR. lib.* 1. *c.* 5. *Agricolae ad duas metas dirigere debent, ad utilitatem, & voluptatem. Utilitas quaerit fructum, voluptas delectationem*. Et Seneca *consolat. ad Martiam cap.* 12. *Pervenerunt enim satis magni fructus laborum tuorum ex ipsa educatione, nisi forte hi, qui catulos, avesque, & frivola animantium oblectamenta summa diligentia nutriunt, fruuntur aliqua voluptate ex visu, tactuque, & blanda adulatione mutorum, liberos nutrientibus non ipsa fructus educatione adquiritur. Licet itaque tibi nihil industria ejus contulerit, licet nihil diligentia custodierit, nihil prudentia quaesierit sua, ipsum quod habuesti, quod amasti, fructus est*.

§. IX.

Hujusmodi fructuum species & utilitatem vasallo afferunt, & feudi pretium augent; exemplo erit impensarum divisio, in necessarias, utiles, & voluptuosas: *necessaria*, quae si fiat, rem sartam tectam

tectam conservat; si non fiat, res deperit, aut diminuitur. *Utilis*, qua facta, res melior, & fructuosior evadit; omissa, nihilominus deterior erit, *l.* 79. *D. de U. S.* Et quamvis impensa voluptuaria non imputetur, præsertim in dotis restitutione *tit. D. de impensis in res d t.*, sæpius tamen imputatur, si res pretiosior evasit *l.* 3. §. 4. *D. de in rem verso*. Aut si, finito feudo, & seniori aperto, qui illud venditurus est, has impensas vasallus deducere potest *l.* 38. *D. de R. V.*, quia feudi pretium augent, Scrad. *par.* 11. IX. *sect.* 2. *n.* 75., dicam *in differt.* 2.

C A P. III.

De divisione fructuum.

§. X.

Actum quid sit fructus, & quid sub se comprehendat; divisio succedit. Interpretes juri Romano innixi in *naturalem*, *industrialem*, & *civilem* dividunt: naturalis est, quem natura vi a primo Ente indita, sine hominis opera, ad hominis usum tanquam mater producit, de quo *Genes. c.* 1. *v.* 11. *germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita*. Ibi Drusius, Jonatha, & Onnelios, *cujus semen seipsum seminat*, intelligunt. Virg. *lib.* 11. *Georg. v.* 9.

Principio arboribus varia est natura creandis.
Namque aliæ nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, camposque, & flumina late
Curva tenent: ut molle siler, lentæque genistæ,
Populus & glauca canentia fronde salicta
Pars autem posito surgunt de semine, ut altæ
Castaneæ, nemorumque jovi, quæ maxima frondet
Æsculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.

Honorat. Servius ibi, *creandarum arborum naturaliter sunt tria genera: aut enim sua sponte nascuntur: aut ex seminibus fortuito jacentibus surgunt: aut ex radicibus pullulant. Nam cetera usus invenit, juvente natura.* Virgil. idem *loc. cit. in fin. quos rami fructus, quos ipsa volentia rura sponte tulere sua, carpsit*. Ovid. 1. *meta.* 3. *per se dabat omnia tellus contentique cibis nullo cogente creatis*.

§. XII.

Pomponius *in l.* 45. *D. de usur.* satis distinguit, *fructus percipiendo uxor vel vir ex re donata suos facit: illos tamen quos suis operis adquisierit veluti serendo: nam si pomum decerpserit, vel ex silva cædit, non fit ejus, sicut nec cujuslibet bonæ fidei possessoris: quia non ex facto ejus is fructus nascitur.* Paul. *in l.* 28. *D. de adquir. rer. dom. bonæ fidei emptor non dubie percipiendo, fructus etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia, & opera*

opera ejus pervenerunt, sed omnes: quia quoad fructus attinet loco domini pene est. Et Tryphon. *in l. pen.* §. 2. *D. de peculio.* Tacitus, sive Quinctilian. *Dialog. de caussis corruptæ Eloq. c. 6., in ingenio quoque sicut in agro quamquam alia diu elaborantur, gratiora tamen, quæ sua sponte nascuntur.* In bonæ fidei possessoribus. Icti hanc fructuum in naturales, & industriales differentiam magnopere adhibent; sed cum in re feudali bonæ, vel malæ fidei possessor vix inveniatur, præterire decrevi, conf. Wisenbac. *ad tit. D. de adquir. rer. dom.* 22., Duaren. *ad tit. D. de Naut. fænore cap. ult.*

§. XII.

Fructus industrialis est, quem potius hominis industria, quam virtus naturæ producit, ut oleum, vinum, frumentum, & omne quod seritur. Nisi hominis industria accederet, natura nihil fere ad hominis usum, commodum, & utilitatem in his gigneret *d. l.* 45., Cicer. de Offic. *lib.* 11. *c.* 3., *neque enim frugum, fructuumque reliquorum perceptio sine opera hominum ulla esse potuisset.* Hæc fructuum species plurimum in jure valet: Si enim maritus prædia uxori donet, donatio corruit, & uxor prædia simul cum fructibus restituere tenetur. Sed *hic* nomine fructuum non nisi *naturales*, non *industriales* veniunt. Ratio differentiæ: quia ex fructibus industrialibus uxor locupletior non evasit, nec maritus pauperior, *l.* 17. *D. de donat. int. vir.* Noodt *in Commen. eo.* Fructus demum civilis est, qui non ex corpore, sed ex usu corporis, quem homo facit, nascitur. Non est res ipsa ferax, sed usu tanquam instrumento feracem reddit, ut pensio domus, usura pecuniæ, vectura navium, opera servi, vel jumenti, Ulpian. *in l.* 34. *D. de usur. usuræ vicem fructuum obtinent: & merito non debent a fructibus separari: & ita in legatis, & fideicommissis, & in tutelæ actione, & in ceteris judiciis bonæ fidei servatur. Hoc idem igitur in ceteris obventionibus dicemus.* Et *in l.* 36. *D. eo.*, *l.* 29. *D. de petit. hered.* Papinian. in *l.* 62. *D. de R. V.* Alludit & S. Aug. *lib.* x1. *de C. D. cap.* 25. *Tria etiam sunt, quæ in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat, natura, doctrina, usus: natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu dijudicandus est. Nec ignoro, quod proprie fructus fruentis, usus utentis sit; atque hoc interesse videatur, quod ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per seipsam delectat, uti vero ea re, quam propter aliud quærimus. Unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis.* Nam natura, hominis industria; & usus rei per se sterilis fructus produxerunt.

§. XIII.

Recensui industriales, naturales, & civiles fructus. Verum ad civiles, etiam

etiam reditus jurisdictionis, nempe mulctas, confiscationes, similesve deduco; unde vasallus de jurisdictione, vel regalibus investitus omne ex his lucrum percipit, Rosent. *cap.* VIII. 2. *n.* 3. Ad fructus quoque industriales, venationem, piscationem, aucupium, & negotiationem pertinere intelligo, sicut & fidam, atque diffidam, dum ex industria vasalli percipi videantur. Ad fructus autem naturales spectant herba, fænum, spica, poma, ligna, oliva, silva cædua, legumina, arborum folia, aromata, pecudum fætus, pix, lac, mel, palea, thus, frontes, stramentum, nix, manna, saccharum, fruges, glans, & quidquid natura sine facto hominis ministrat. De his regula est, illius esse, in cujus solo nascuntur *l. 9. D. de adquir. rer. dom. l. 49. D. de R. V.* Animadvertendum aliud esse fructus, aliud fruges, aliud glandem: Fruges legumina, & frumenta continent, non reliquos fructus; hinc male Julianus definiebat fruges, quibus homo vescatur *l. 77. D. de V. S.*, Frugibus legatis, legumina, ordeum, & triticum dumtaxat veniunt Paul. III. *sent. 6.* §. 78., & lex XII. tabb. *qui fruges excantassit*. Poma, cretifodinæ, argentifodinæ, salinæ, lapidicinæ fundi fructus, non fruges sunt, & olim juris privati, hodie publici regalibus accensentur. Nec recte Servius *lib.* I. *aenei.* legumina in frumento contineri putavit, conf. Duker. *de latin. vet. ICtor. ad cap.* 64. At in judicio aquæ pluviæ arcendæ frugum appellatio ex prudentum interpretatione ad omnes fructus porrigitur, Cujac. ad *d. l.* 77. Secus fructuum appellatio latior est, quam frugum se patet. Glandis vero vocabulum omnes fructus continet *l. 236. D. de V. S. l. un. D. de Glande legend. l. 14. §. 3. D. de præscrip. verb.* ibi si *glans* (hoc est omnis fructus) *ex arbore tua in meum fundum cadat*, si eam, immisso pecore, depascam, sibi in factum actio competit.

§. XIV.

Ex his Joannis Corasii *ad l. 7. D. solut. matrim.*, & Petri Grangiani *Paradox. juris civil. c.* 21. opinio ruit, quæ naturales tantum fructus agnoscit. Nam natura, ipsis putantibus, mater est & procreatrix omnium, quæ in hac rerum universitate viluntur, quamvis homo in colendis, colligendis, & purgandis fructibus operam suam collocet; non magis hominis industria, quam naturæ virtus & quidem ferax existimanda est. At, fateor, magnam esse in rebus creatis naturæ virtutem, mirabilem operandi, gignendi, educandi, & nutriendi modum, quem a suo initio ab Ente primo impetravit. Sed ita etiam natura comparatum est, nonnullas existere creaturarum species, quæ nullum homini usum, utilitatemque afferre possunt, nisi hominis industria, opera, diligentia naturæ defectum atque operandi inopiam supplendo, accedat. Natura rem, seu materiam homini præbuit, homo, ut ea uti posset, diligentia co-

coluit, figuram, situm, atque particulas mutavit. Hinc duplex fructus producendi instrumentum *virtus naturæ*, & *hominis industria* existit.

Corasius exemplum affert: si partus, qui ex matris utero exire nequit, opera medici exeat, non fructus medici, sed matris existimatur; igitur natura, non hominis opera fructus omnes producit. Male: partus enim in utero matris jam est undique formatus, nihilque suæ perfectioni, nisi exitus deest, nec quid medici opera superaddit. Sed fructus a natura imperfecte, atque ad hominis usum inepte compositos, hominis ingenium ad perfectionem, & ejus usum reducit. Nec eum auctoritas Apostoli 1. *ad Corin.* 3. *v.* 6. juvat: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus:* Apostolus metaphorice loquitur, & sensit: nec qui verbum Dei prædicat, est aliquid, sed qui, hoc est Deus incrementum, hoc est gratiam spiritualem dat. Gratiam in homine producere est solius Dei, & labor rigantis, & plantantis frustra censetur *psalm.* 126. *v.* 1.

C A P. IV.

De facultate, atque onere fructuum.

§. XV.

HActenus de fructuum definitione, appellatione, & divisione, nunc quænam in his vasallo facultas competat, & quænam onera secum ducant. Omne quod in feudo mediate, aut immediate, sponte, industria, usu, aut rei feudalis contemplatione nascitur, & provenit, ad vasalli utilitatem, liberamque de iis disponendi facultatem pertinet. Sed fructus in feudali solo adhuc pendentes a separatis distinguere oportet. Vasallus pendentes fructus alienare prohibetur, quia sunt pars fundi feudalis, nec separatum a fundo feudali corpus constituunt; hinc qui fundum vindicat, fructus pendentes vindicare intelligitur. Augent hereditatem in ratione legis Falcidiæ, in legato, in venditione continentur; nec refert, an maturi, an immaturi fuerint *l.* 44. *D. de R. V.*, *l.* 9. *D. ad l. falcid.*, *l.* 27. *D. de usufr.*, *l. ult.* §. 6. *C. quæ in fraud. cred.* In legato itaque bonorum mobilium non includuntur, quum ipsi rerum immobilium, locum occupent *l.* 12. §. 5. *D. de usufr.*, unde fundo vendito; aut jure feudi concesso, fructus pendentes ad emptorem, & vasallum transeunt, quia eodem jure ac res, a qua pendent, censentur, Covar. *lib.* 1. *var. c.* 15. *n.* 1. Proinde Constitutio Lotharii *in* 11. *f.* 52. & Friderici *in* 11. *f.* 55. Omnem alienationis speciem prohibens de fructu adhuc in solo feudali pendente capiatur oportet, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 18., Vultej. *lib.* 1. *c. x. n.* 75.

§. XVI.

Tantum de fructuum pendentium prohibitione: Fructus autem nascituros, hoc est jus percipiendi fructus pendentes, illaudato domino, aliave ex feudo emolumenta recte alienat. Nulla ratio me suadet, cur quæ fructuario in fundo competunt, vasallo in feudo negare cogamur. Dum vasallus pinguiori quam Fructuarius jure utatur. Fructuarius fructus pendentes vendere, locare, pro suo creditore oppignorare, donare, vel precario concedere potest *l.* 12. §. 2. *D. de usufr.*, *l.* 13. *C. eo.*, *l.* 11. §. 3. *D. qui potior. in pign.*, quia qui locat, vendit, donat, *re sua utitur*. Modo in fundo fructuario non jus reale, sed simplicem fructuum, & commoditatum perceptionem alteri constituet. Jus reale cohæret personæ, simplex perceptio est quid facti, & a persona fructuarii avelli potest *l.* 27. §. 11. *D. ad l. jul. de adult.* Plus dicam, fructuarius non jus, sed juris sui exercitium alienare valet. Vasallus itaque donare, vendere, locare, in dotem filiæ suæ dare, aliove modo fructuum feudi perceptionem non prohibetur; & hujusmodi personæ vice vasalli fructus colligunt. Caveat tamen, ne usumfructum in feudo constituet, quia illud afficit, & consensu senioris indiget. Si constituit; non est verus ususfructus, & vasallus donec vivit, utendi fruendi facultatem præstare tenetur. Sicut & fructuum perceptio tamdiu durat, quamdiu vasallus vivit, Rosent. *cap.* 12. 10., Struv. *s. j. f. cap.* 11. 7., Joan. Blanc. *lib.* 11. *c.* 1. *n.* 81. Quemadmodum nec usus, nec ususfructus itineris, actus, viæ, aquæductus legari potest, quia servitus servitutis non est, *sed incerti actio erit cum herede, ut legatario quamdiu vixerit, eundi, agendi, ducendi facultatem præstet: ut ea servitus constituatur sub hac cautione, ut si decesserit legatarius, vel capite deminutus ex magna caussa fuerit, restituatur*, respondet Paul. *in l.* 1. *de usu, & usufr. leg.*

§. XVII.

De fructibus vero separatis, & perceptis, etiamsi adhuc in feudo reperiantur, uti lubet, disponit, 11. *f.* 12., quia non feudales, sed allodiales sunt, & pristinam a fundo feudali separatione naturam amiserunt. Et defuncto vasallo, non ad feudi successores, sed ejus heredes pertinent, nec si alienare velit, senioris assensu indiget, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 18., Scrad. *par.* 11. 12. *sect.* 3. *n.* 4., Pistor *lib.* 1. *q.* 24. *n.* 38., Montan. *in.* 11. *f.* 55. *n.* 166. Sic primum oratione Severi, & Scti prædia minorum rustica, & suburbana sine decreto magistratus alienari non possunt *l.* 1. *D. de rebus eor. qui sub tut.* Fructus tamen tutor, vel curator sine ulla juris solemnitate alienat *l. ult.* §. 5. *C. de admin. tutor.*, & si servando servari valeant. Beneficia Ecclesiastica, bona fideicommisso subjecta, majoratus, & em-

phy-

phyteusis alienari prohibentur; verum fructus hujusmodi bonorum possessor impune alienat. Fructuarius, salva substantia, fructus percipit, eam alienare non potest. Sed de fructibus jam perceptis, a solo separatis recte disponit *l.* 12. §. *ult. D. de usufr.*, Molina *de primogen. lib.* III. *c.* II. *n.* I. *& seqq.*, Lagunez *tract. de fructibus par.* II. *c.* 4. *n.* 13., Redoan. *de rebus Eccl. alien. q.* 51. *n.* 13. Proinde turpiter olim erravit Herman. Vultejus *lib.* I. *c.* 10. *n.* 76., qui vasallo de fructibus etiam separatis disponendi aut inter vivos, aut caussa mortis facultatem negavit, quia Lotharius, & Fridericus idcirco alienationem beneficii prohibuerunt, ne vasallus fructu, & lucro feudali exutus servitia præstare non posset, & honor imperii, & Imperantis diminueretur. Male: fructus separati sunt res allodiales, igitur prohibitio silet: nec eorum alienatio seniori vel vasallo nocet: non seniori, quia si vasallus non servit, feudum amittit: non vasallo, quia alienatione pretium, aliudve sæpius excipit, & si donat, sibi imputandum, Struv. *s. j. f. cap.* XII. 7. *n.* 4.

§. XVIII.

Hactenus de fructu separato: nunc de separando. Et quæsitum est, an vasallus sine senioris consensu fructus ex feudo percipiendos alienare possit? Et quidem vasallus omnes feudi fructus vendere, locare, donare potest, illius temporis, quo feudum penes eum remanet. Feudo autem devoluto omnis obligatio perit, quum nec dominus, nec defuncti successor teneatur. Nec venditione fructuum percipiendorum aliquod in corpore feudi jus constituit, sed suam personam quotannis tot fructus præstandi obligat. Nempe si in contractu diceret, *fructus mei feudi, quos per x., aut xx. annos percepturus sum, tibi obligo*, Rosent. *cap.* IX. 15. *n.* 7., Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 2., quod & in fideicommisso, & majoratu obtinet. Et vivo vasallo, creditor non in utile feudi dominium, sed in fructus, & commoditates simpliciter immitti ex judicis decreto potest, & tamdiu percipit, donec sibi satisfaciat, etiamsi in hac immissione senioris consensus non intervenisset. Quod si distrahi feudum oporteat, senioris assensu indiget, Andr. *in* II. *f.* 8. §. *quid ergo*, Capyc. *in Invest.* §. *feudorum alienationes limit.* 29., Jac. a S. Georg §. *& dicti vasalli in fin.* Attamen & immissio, & distractio cessat, si debitor vassallus allodia possideat, quum in subsidium, allodio deficiente, invaluissent, sicut Fridericus noster in Const. *contumacem lib.* 1. 99., & Const. *si quis post litem lib.* 1. 100., ibi Andreas, Vultej. *lib.* I. *c.* 10. 75., Frecc. *de subfeud. lib.* II. *c. pluribus n.* 9.

§. XIX.

Quoniam in feudali successione duplex qualitas, *absoluta*, & *hereditaria* reluceat. Prima feudum ex pacto, & providentia;

secunda, hereditarium producit. Si de feudo ex pacto antiquo agitur, vasallus successorem gravare non potest, ut sui creditoris in feudi fructus immissionem ratam habeat, aut quotannis ex feudo tot fructus, amphoras vini, frumentum, oleum, aliudve alicui præstet, I. *f.* 8. II. *f.* 9. §. *donare*. Si est feudum ex pacto novum, vel hereditarium, tunc successor annuam præstationem, vel legatum solvere obligatur, quia testator de fructibus separatis, vel separandis disposuit, qui allodiales sunt, nec jus in feudo constituit, sed personam sui heredis, non feudum obligat, ut quotannis fructus ex feudo separatos solvat. Hinc si heres solvere renuat, legatarius, vel creditor convenire feudum non potest, nec in fructibus feudi jam separatis facienda est; aut si de heredis fide dubitet, sequestrari oportet, ut inde separatos recipiat, nisi dominus, ut immissio in ipsum feudum fiat, consensiat. Immittere in ipsum feudum, idem est ac illud alienare, alienatio senioris consensu indiget, ne eo invito, novus vasallus clientelam obtineat. Attamen onus servitii debitori vasallo remanet, atque ob inopiam creditor ex fructibus feudi alimenta præstare tenetur, Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 1. *& seqq.*, Alver. *in* I. *f.* 8. *n.* 4., Serad. *par.* VII. *c.* 2. *n.* 25., Jac. a S. Georg. §. *ita etiam n.* 15., dixi *lib.* III. 34. §. 49. Proinde constat; dum ordinarius loci judex ad executionem procedit, immissio in fructus tantum feudi conceditur; si in utile dominium contingat, dominus feudi. cognoscet, quia naturam feudi tangit. Quin imo, si feudum fuerit cum jure alienandi concessum, judex ordinarius, & in fructus feudi, & in utile dominium creditorem immittere, atque executionem agere potest, Pistor *lib.* I. *q.* 15. *n.* 37., sicut in omni casu, in quo sine consensu domini feudum alienatur.

§. XX.

Nunc de fructuum onere; quod militare est, sicut universalis feudorum natura jubet. Verum vetusta invaluit consuetudo, licet juri Longobardo ignota, ut in investituræ renovatione ob senioris personæ, vel vasalli mutationem aliquid solveretur, quod *relevium* dixit; cujus quantitas est medietas fructuum illius anni, quo vasallus decedit, eamque heres domino solvere tenetur. Ex fructu naturali, industriali, & civili, alii sunt pendentes, alii a solo feudali separati inveniuntur. Fructus pendentes relevio subjacent, quia pars feudi sunt, ejusque naturam retinent. Fructus vero separati, licet ex feudo provenissent, non tamen relevium solvunt, quia amissa feudali natura, burgensaticæ rei indolem assumunt; quique sine senioris consensu alienari valent. Quemadmodum jure Siculo ex *cap. volentes*, dum feuda venduntur, ex pretio decima R. Curiæ competit, eamque non venditor, sed emptor solvit, nisi ali-

si aliter convenerint. Sed si vasallus fructus a solo feudali separatos vendiderit, non solvit decimam, quia allodii naturam susceperunt. Si fructus pendentes alienat, decimam solvere tenetur. Nam hujusmodi alienatio juris feudalis diminutionem sapit, P. de Greg. *de Concess. feud. par.* VIII. *q.* 16. *de jure decimæ n.* 21., Intrigl. *cent.* II. *art.* 5. *n.* 972., Capan. *de jure relevii par.* IV. *q.* I. *n.* 3.

§. XXI.

Propter fructuum perceptionem vasallus servitia, atque alia clientelæ onera præstat. Si eos non percipit, non servit; quod & Innocent. III. *in c.* I. *de feudis* rescripsit, *in insinuatione præsentium declaramus, quod Gagoria, quam de feudo ecclesiæ tuæ ab M. dignosceris recepisse, a te potest libere detineri, fructibus non computatis in sortem. Ita videlicet, ut quamdiu fructus illos ceperis, in sortem minime computandos, idem M. a servitio, in quo tibi, & ecclesiæ tuæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis.* Regula juris est: fructus, quos creditor ex fundo sibi oppignorato percipit, in sortem imputari *l. ult. C. de pignor. act.*, & si fructus sortem æquaverint, debitor liberatur *cap.* VI. *de pignor.* Excipitur, si vasallus feudum suo seniori oppignoraverit; sentor fructus in sortem imputare non obligatur; interim vasallus servitia non præstat, cum fructus non percipiat. Aequum non est, ut domino servitium exhibeat consuetum, & dominus interea fructus feudi lucrifaciat. Quod si fructus servitii pretium exuperant, residuum restitui videtur, ne cum aliena jactura lucrum sensiat.

C A P. V.

De fructibus devoluti feudi ex felonia.

§. XXII.

Feudalis clientela duobus modis *felonia*, & *lineæ interitu* Domino aperitur. Felonia, seu perfidia & culpa est crimen, quo vasallus ingratum erga seniorem se gerit, & indignum se feudo reddit; sive in *committendo*, sive in *omittendo* consistat. De hac regula est: vasallus ante feloniæ crimen fructus perceptos, devoluto feudo, restituere non tenetur. Nam caussa amissionis non retrotrahitur, quia vasallus jure percipiebat. Exemplo donatarii, & fructuarii, qui, revocata donatione, vel finito usufructu, fructus interea perceptos non restituunt, *l.* 13. *D. quibus mod. ususfr.*, & Alexander in *l.* 2. *C. de pactis inter emp. & vend.* rescripsit, ut in pacto de retrovendendo, emptor fructus antea perceptos restituere non debeat, pendentes tamen restituit, quia sunt pars fundi; aut si post oblatum pretium, moram contrahat, tunc post moram, rem simul cum fructibus restituere cogitur, *d. l.* 2., Proinde error eorum est, qui fructus inter emptorem, & venditorem dividendos putant, Wilenbac. *ad d. l.* 2.

§. XXIII.

§. XXIII.

Nec refert, an naturales, industriales, an civiles fructus fuerint; an jurisdictionis reditus, nempe mulcta, confiscatio; an ex meliorationibus in feudo ab ipsomet factis perceperit. Aut si pisces ex flumine, stagno, lacu ceperit, postea custodiæ caussa in eodem stagno retineat, quia inter fructus a feudo separatos recensentur, nec sunt res soli. Hinc lacu, stagno, flumine in feudum concessis, pisces tanquam res soli veniunt, Zasi. *par.* IV. *n.* 3., Rosent. *cap.* X. 42. *n.* 27., Christin. *to.* VI. *dec. belg.* 60. *n.* 15. & *seqq.*, Scrad. *par.* II. IX. *sect.* 3. *n.* 1. Hæc ratio feras in fundo feudali captas, vel custodiæ caussa in loco inclusas vasallo quoque addicit. Sane aves, pisces, feræ, quæ in feudo sunt, non sunt feudi fructus, quia ex solo feudali non nascuntur, nec sunt feudi partes; cum fructus stricte, nihil aliud sit, quam fundus producit, & recte fundi *multiplicatio* vocatur. Attamen si vasallus in feudo *vivaria*, *leporaria*, *apiaria*, *piscinas*, fecerit, in quibus feras incluserit, & feudum devolvi contingat; hujusmodi feræ non ad dominum, vel agnatos, sed ad vasallum, ejusve heredem pertinent, quia fructibus jam separatis accensentur. Occupatione jure gentium suas fecit, *arg. l.* 62. *D. de usufr. l.* 3. §. 14. *D. de Adquir. possess.* Scrad. *loc. cit. n.* 11. De His A. Gellius *lib.* II. *N. A.* 20., inquit, *Vivaria, quæ nunc dicuntur septa quædam loca, in quibus feræ vivæ pascuntur. M. Varro in libro de re rustica* III. *dicit leporaria appellari. Verba Varronis subjeci.* Villaticæ pastionis genera sunt terna: Ornithones, leporaria, piscinæ. Nunc Ornithones dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ solent pasci. Leporaria te accipere volo, non ea quæ tritavi nostri dicebant, ubi soli lepores sint: sed omnia septa ædificia villæ, quæ sunt, & habent inclusa animalia, quæ pascuntur. *Is item infra in eodem libro ita scribit.* Cum emisti fundum Tusculanum a M. Pisone; in leporario apri fuerint multi. Vivaria autem, quæ nunc vulgus dicit, quos παραδείσους id est hortos græci appellant. *Quæ leporaria Varro dicit haud usquam memini apud vetustiores scriptum. Sed quod apud Scipionem, omnium ætatis suæ purissime locutum legimus: roboraria aliquos Romæ doctos viros dicere audivi id significare, quod nos vivaria dicimus. Appellataque esse a tabulis roboreis, quibus septa essent. Quod genus septorum vidimus in Italia locis plerisque. Verba ex oratione ejus contra Claudium Asellium quinta hæc sunt.* Ubi agros optime cultos & villas expolitissimas vidisset; in his regionibus excelsissimo loco murum statuere ajebat: inde corripere viam; aliis per vineas medias; aliis per roborarium, atque piscinam; aliis per villam. *Lacus vero & stagna*, quæ piscibus vivis coercentur clausa, suo, atque

atque proprio nomine *piscinas nominaverunt*. *Apiaria quoque dici loca, in quibus siti sunt alvei apum*.

§. XXIV.

Ex his apparet error Cujacii, qui in *lib.* IV. *f.* 30., & *l.* 7. *D. soluto matri.* asseruit; finito usufructu, & devoluto feudo, fructus pendentes, & perceptos inter fructuarium, & dominum, vasallum, & seniorem pro rata temporis dividendos, quo ususfructus, & feudum in personam fructuarii, & vasalli in eo anno constitit. Cujacio Dion. Gotofr. *in* II. *f.* 28. §. *his consequenter* assentit. Male: Imper. *in* §. 36. *Inst. de R. D.*, inquit, *Is, ad quem ususfructus fundi perdet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam si ipse eos perceperit. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis decesserit, ad heredem ejus non pertinent, sed domino proprietatis adquiruntur. Eadem fere, & de colono dicuntur*. Gajus *in l.* 8. *D. de annuis leg.*, *fructuarius etiamsi maturis fructibus, nondum tamen perceptis decesserit, heredi suo eos fructus non relinquet*. Ulpian. *in l.* 12. §. 5., Scævola *in l.* 58. *D. de usufr.*, Paul. in *l.* 13. *D. quibus mod. ususfr.* Fructuarius itaque, si maturis fructibus, nondum tamen perceptis decedat, non ejus heredi, sed proprietario cedunt. Fructus enim nondum percepti sunt pars fundi; & pars cum toto transit. Nec lex pro rata temporis divisionem, quam Cujac. fingit, admittit. Nec ista juris sanctio, iniquitate laborat, uti Cujac. credidit: nam ususfructus est jus fructuarii personæ inhærens; qua extincta, atque in Dominum acta consolidatione, perire oportet, destructo principali, accessio perit. Si dominus proprietatem jam adquisivit, igitur fructus ratione dominii pereipit, suosque facit. Meum est, quod in meo nascitur, Pistor *lib.* 1. *q.* 24. *n.* 20. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 204., Rosent. *cap.* x. 42. *n.* 29., Joan. Robert. *Animadver. lib.* 11. *c.* 10. Exemplo fructuarii vasallus perceptos fructus, devoluto feudo, ad suos heredes transmittit.

§. XXV.

Vir Cl. utitur auctoritate Papini. *in l.* 7. §. 1. *D. solut. matrim.*, qui de fructibus fundi dotalis pro rata temporis extremi anni, quo matrimonium stetit, inter virum, & uxorem dividendis loquitur; de qua Henric. Suerin *repet. lect. jur. c.* 32., Charond. *lib.* 1. *Verisimil. c.* 10., Turamin. Aulisi. *tit. pand. solut. matrim.* videndi sunt. Finge, quæ est Papiniani species, Seja cal. Octobris Titio nupsit, tradita jure dotis vinea, Titius eo mense omnes fructus percepit; Postea calen. Novembris vineam Cajo in annum locavit: in fine Januarii factum est divortium. Quatuor mensibus matrimonium stetit: fructus vindemiæ, & pensio locationis dividuntur, & tertia pars lucro mariti cedere debet. Hoc est, quartam ex locatione, & duo-

& duodecimam ex vindemia, servata temporis matrimonii ratione accipiet, ut recte Turamino visum est. Verum differentiae ratio relucet: Maritus onera matrimonii sustinet, pro quibus fructus percipit, quae ratio jure Pistorio displicet *lib.* 1. *q.* 15. *n.* 2., etsi ab Interpretibus communiter excipiatur. Vera haec est, quia fructuarius non aliter fructus adquirit, quam si perceperit; pendentibus, si decedat, etsi maturis, suos non facit. Ususfructus enim in fruendo consistit, hoc est facto ejus, qui utitur fruitur. Maritus, ut fundi dotalis fructus acquirat, facto perceptionis non indiget, sed jus suum fructus sibi parit; idcirco pro rata temporis, quo hoc jus constitit, fructus percepti, & pendentes, soluto matrimonio, ad ejus heredem, vel ipsum pertinent. Fructuarius ante perceptionem nullum jus in fructibus habet, sed maritus habet. Nihil mirum si ad heredes, non fructuarius, sed maritus transfert. Fateor jus, de quo ICtus *in d. l.* 7. generale esse; jus vero in fructuario receptum, speciale; quo fructus tantum perceptos suos faciat. Hinc fructus, aut salarium novissimi anni, quo Clericus, vel Officialis decessit, inter heredes pro rata temporis dividi, eadem ratione, qua fructus fundi dotalis, qui eo anno fuerunt, quo matrimonium solutum est, inter virum, & uxorem, heredesve eorum pro rata temporis dividuntur *d. l.* 7., & probavit Alexander III. *in cap.* VII. *in* 1. *collect. decret.*, Boehm. *tit. decret. de praeben.* §. 240. Janus a Costa *ad cap.* 1. *de praebend.*, qui male tamen Cujacium de divisione fructuum inter proprietarium, & fructuarium secutus est.

§. XXVI.

Finito itaque feudo, fructus a solo separati vel a vasallo, vel ab alio ejus nomine, vel casu fortuito, ad vasallum, vel ejus heredem pertinent. Nam bona fide, & justo titulo percipit *arg. l.* 25. §. *praeterea D. de Usur.* Excipitur, si vasallus feudi devolutionem cognoscens; odio senioris, fructus immaturos collegerit, ne ejus lucro cederent. Exemplum est *in l.* 35. §. 1. *D. locat.* in quo Africanus, inquit; fundus inter Maevium, & Titium communis erat; communiter arabant, serebant, colebant. Ne rixae in fructuum divisione orirentur, inter eos convenit, *ut alternis annis certo pretio conductum haberent*, id est, Titius in solidum fundo frueretur anno integro, datis decem Maevio pro sua parte, & vicissim sequenti anno Maevius Titio solveret. Maevius cum instaret finis anni sui, dolo malo fructus sequentis anni, quo Titius frui deberet, corrupit. Titio in Maevium duplex est actio ex locato pro sua parte, ex conducto pro parte Maevii. Titius est suae partis locator, & partis Maevii conductor. Actione communi dividundo agere

agere posset, alterutra tamen contentus esse debet, quia utraque rei persecutionem respicit, id quod interest ultra mercedem, & duplum continet. Prætera dum vasallus immaturos fructus colligit, feudum deterius reddit, quod exemplo fructuarii negatum est *l.* 10. *l.* 13. §. 4. *D. de usufr.* Qui fructus immaturas decerpit, segetem immaturam desecat, ex lege Aquilia tenetur *l.* 27. §. 25. *D. ad l. Aquil.*, quia majorem fructus maturi, quam immaturi usum afferunt. Immaturam oleam excipi suadet Javolenus *in l.* 42. *D. de usu, & usufr. leg. in fructu id esse intelligitur quod ad usum hominis inductum est: neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus, quo magis colono, dominove eum fructum tollere expedit. Itaque cum olea immatura plus habeat reditus, quam si matura legatur, non potest videri, si immatura lecta est in fructu non esse.* Si vasallus immaturam oleam colligit, suam facit, nec aliqua actione a domino conveniri valet, quia majorem reditum ex ea percipit. Si vero alius immaturam olivam ex fundo non suo colligit, lege Aquilia tenetur *d.* §. 25. cum damnum injuria dedisset. Demum quid sit fructus maturus, A. Gellius *N. A. lib. x. c.* 11. definit, *P. Nigidius homo in omnium bonarum artium disciplinis egregius, mature, inquit, est quod neque citius est, neque serius; sed medium quiddam, & temperatum est. Bene, atque proprie Nigidius. Nam & in frugibus, & in pomis matura dicuntur, quæ neque cruda, & immitia sunt, neque caduca, & decocta, sed tempore suo adulta, maturaque.*

§. XXVII.

Ex illa Javoleni doctrina eligi suadetur, quod si vasalli intererat, immaturos fructus colligi, cum carius eos venderet; Dominus nullam in eum actionem habet. Sicut Paulus in fructuario *l.* 48. *D. de usufr.* inquit, *silvam cæduam, etiamsi intempestive cæsa sit, in fructu esse constat. Sicut olea immatura lecta; item fænum immaturum cæsum in fructu est.* Nec semper naturalis maturitas spectanda, sed tempus, quo magis fructuario, & vasallo fructus tollere expedit. Nec quis alicui præscribere valet, quid ex re sua utilius sibi eveniat, atque existimet. Noodt *de usufr. lib.* 1. *c.* 5., Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 3. *n.* 23. Verum tempus maturitatis, & utilitatis non ex vasalli affectione existimandum, sed uti vir bonus, & judex existimabit; uti fructus conditio, regionis consuetudo, & venditionis majus, vel minus pretium jubet, & suadet. Hinc si quis fundum restituere gravatus, in fraudem legatarii, messis collectionem, vindemiæ, piscationis, silvæ cæduæ tempus prævenit, fructus collectos restituere debet; quia dolo malo legit. Dolus malus in vasallo præsumitur: si feudum ad certum tempus sibi con-

 ces-

cessum habet, & fructus antequam maturescerent, tempus finiturum agnoscat. Aut si prole destitutus, cum ultimo fato pugnans nequiret eo usque vitam protrahere, ut fructus maturi evaderent, Gotofr. *ad d. l.* 48., Scrad. *loc. cit. n.* 23.

§. XXVIII.

Amisso itaque feudo ob feloniam, & si vasallus fructus perceptos suos faciat; pendentes tamen, & omnes a tempore delicti perceptos restituere cogitur. Restituit pendentes, quia sunt feudi pars, & pars cum toto transit: restituit, quos post feloniam percepit, quia mala fide legit; & tanquam malæ fidei possessor, perceptos, & percipiendos restituere debet, *l.* 62. *D. de R. V.* Jus Longobardicum hac de re nihil sanxit; jus Romanum ex rationis, & æquitatis analogia sectari oportet. Nam, finito usufructu, fructuarius a tempore extinctionis fructus restituit, *l.* 5. *C. de usufr.* Emphyteuta, donatarius, clericus, qui ob delictum jure suo ceciderint, a die criminis fructus restituit, cum nullum jus utendi fruendi habeant, Pistor. *lib.* 1. *q.* 24. *n.* 53., Scraderus *loc. cit. n.* 28., Caldas *de Renovat. emphyt. q.* 10. Nec refert, an ipso jure, an Parium sententia feudum amiserit; semper tempus Feloniæ inspicitur, & sententia ad diem feloniæ retrotrahitur. Sic Impp. Severus, & Antoninus in *l.* 1. *C. de his, quibus ut indign.*, qui heredi, non vindicata defuncti nece, hereditatem cum fructibus auferunt, rationem addunt, *neque enim bonæ fidei possessores ante controversiam illatam videntur fuisse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt*, *l.* 17. *&* 18. *D. eo.* Statim ac vasallus feloniam commisit, statim omne jus in feudo amisit, & si in eo versatur, tanquam malæ fidei possessor judicandus est, quia sciens rem, in qua nullum jus habet, hoc est alienam possidet. Et quamvis senior eam remittere posset, tamen ejus liberalitas, & clementia nocere eidem non debet, quominus vasallus in fructuum restitutione se tueri valeat.

C A P. VI.

De fructibus feudi devoluti ex lineæ interitu.

§. XXIX.

De hac extinctionis clientelæ specie unicus textus est *in* 11. *f.* 28. *His consequenter dicitur, quod si vasallus decedat sine herede masculo, & contingat feudum ad dominum reverti, sic distinguitur, quod si ante martium, omnes fructus illius anni ex feudo provenientes ad Dominum pertinebunt. Si vero post Kalendas Martii usque ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad heredes vasalli pertineant. Si vero post Augustum omnes fructus anni percipiet dominus. Quidam tamen dicunt quocumque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad Dominum pertinere.* Feudista de fru-

fructibus nondum perceptis loquitur, eumque veteres, & novi Interpretes varie intelligunt, & nonnulli de iniquitate accusant.

§. XXX.

Attamen noster Feudista obscuritate, qua creditur, non laborat: tres enim theses refert. Prima, inquit, si vasallus decedit sine herede masculo ante Martium, omnes fructus illius anni ad Dominum spectare. Secunda, si post Kalendas Martii usque ad Augustum, fructus omnes heredi cedere. Tertia tenet, quocumque tempore vasallus decedat, hoc est post Augustum omnes fructus pendentes Dominum vindicare. Quænam ex his adprobetur, non docet. Molinæo, & Hotomanno secunda placuit opinio, quam rationi nixam vidit, quia fructus pendentes pars feudi sint. Cujacius *lib.* IV. *f.* 30. Exemplum mariti, & ceterorum secutus est, qui fructus omnes pro rata anni inter heredes ipsius, & agnatos dividendos putavit. Affert *cap.* 85. *extraord. in lib.* IV. 85. *Si aliquis decesserit nullo in feudo relicto herede, jus feudi ad Dominum pertinere dicimus. Fruges autem extantes non ad dominum sed ad filias ipsius vasalli, vel etiam ad uxorem ejus pertinere. Et hac ratione creditor eas retinere potest, licet pignus habere non possit: & hoc cum distinctione imperialium constitutionum*, hoc est cum *d.* §. *his consequenter.*

§. XXXI.

Non placet Molinæus: nam regula constans non est, ut semper postrema opinio retineatur, nisi aliud vel ratio, vel æquitas suadeat. Et quod, finito usufructu, pendentes fructus domino cedant, peculiari ratione, ut supra dictum est, obtinuit. Nec cum feudo comparari valet. Fructus pendentes sunt fundi pars, & cum ipso fundo transeunt, si uti accessiones considerantur. Verum si jus vasalli, quod in feudo, & fructibus habuit, perpendamus, æquitati convenit, dum onera feudi substinuit, fructus distribui, pro rata temporis, quo jus suum stetit, Pistor *lib.* I. *q.* 24. *n.* 41., Rosent. *cap.* 10. 42. *n.* 36. Sicut maritus dotis fructus lucratur; ita & vasallus, dum servitia feudi, & obsequia præstitit. Quæ ratio divisionis fructuum locum habet inter eos etiam, qui re aliena fruuntur, & onus aliquod sustinent. Hinc non semper fructus pendentes uti pars fundi considerantur. Nec Cujacii interpretatio subsistit: aliud sentit feudista. Nam heres vasalli fructus jam perceptos cum domino contribuere deberet, & dominus etiam pendentium fructuum portionem ei dare cogeretur. Quod absurdum, ut supra probavimus. Nec cap. extraord. juvat, quum apocryphus sit, & sæpe ipse apocryphos pro veris vendidit. Fateor, ejus sententiam ex *d.* *l.* 7. *D. solut. matrim.* æquitate scatere, si a nostro Feudista deficere vellemus.

§. XXXII.

Communis vero Interpretum Schola, primam opinionem a Feudista relatam retinet. Et annum, non ut vulgo in quatuor partes, ver, æstatem, autumnum, & hyemem dividi solet, dividunt, sed in duas, & unaquæque sex mensibus constet. Prior a calendis Septembris usque ad calendas Martii, posterior a calendis Martii ad calendas Septembris incipiat. Et Martius, & Augustus semper posteriori anni parti, non priori includatur. Si vasallus sine liberis, atque agnatis post Martium decedat, omnes fructus nasci turi etiam pendentes heredibus vasalli cedunt. Si post Augustum moritur, omnes fructus ad dominum spectant, Scrad. *par.* 11. 1*x.sect.* 3. *n.* 46., Sonsbec. *par.x. n.* 10., Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 209., Pistor *lib.* 1. *q.* 24. *n.* 46. Ratio; quæ plerisque difficilima visa est, non omnino abest. Nam mense martio semina projici, fructus ante sati tam pullulascere, & nasci solent, & vasallus jus sibi ad Septembrem, quasi semel ceptum adquirit, monstrante æquitate, asserere cogimur. Post Martium, vasallo decedente, qui fructus jam ex terra erumpentes, & pullulantes vidit, licet pendentes adhuc atque immaturos, atque ante maturationem decedat, eos ad allodialem heredem transmittere. Quod si ante calendas Martii vasallus moriatur, omnes fructus illius anni dominus lucratur, sive ante, sive post vasalli mortem sati fuerint. Nam tempore mortis, fructus nec stantes, nec pendentes dici possunt; sed si postea nascantur, domino, qui jam solum adquisivit, cedere oportet. Attamen dominus impensas in serendo, colendo, arando factas a vasallo ejusdem heredibus restituere tenetur, Andr., Alvero. *ad d.* §. *bis consequenter*, Scrad. *loc. cit. n.* 75., Sonsbec. *loc. cit. n.* 12.

§. XXXIII.

Qua de re noster Feudista, inquit, *si vero post Augustum omnes fructus anni percipiet dominus;* hoc est si vasallus post Augustum moriatur, fructus post Augustum perceptos dominus habebit, quia non anni præteriti, sed insequentis fructus dicuntur. Et respectu anni futuri vasallus ante calendas Martii decessisse dicitur; atque ita fructus senior, non ejus heres lucratur. Fructus vero mense Augusti pendentes heres vasalli retinebit; quia heres non tantum lucratur fructus, quos percepit vasallus, sed illos etiam, qui adhuc pendent, & percipere potuit, hoc est qui post Augustum collecti non sunt, & mense Septembri, Ottobri, & Novembri percipi solent, ut olivæ, aliique fructus, qui nunc citius, nunc tardius pro climatis diversitate maturescunt. Ex his constat, ut heres fructus illius anni, quo decedit vasallus, lucrifaciat, nihil interesse, quo anni tempore decedat, modo post calendas Martii decedat, Scrad.

Scrad. *loc. cit. n.* 74., Rolent. *cap. x.* 42. *n.* 49., Pistor *lib.* 1. *q.* 24. *n.* 49., Zasi. *par. x. in fin.*, Vultej. *loc. cit. n.* 210. Inquirendum nunc est, an de omni fructuum specie Feudista intelligatur? Andreas, & Alverotus *ad d.* §. *bis consequenter*, fructus naturales nondum perceptos generaliter ad dominum spectare putant, etiamsi vasallus post calendas Martii decedat, sicut in fructuario statuitur. Sed generalis Interpretum sensus de quolibet fructu intelligit; & merito. Non enim textus distinguit, *si vero post calendas Martii usque ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad heredes vasalli pertineant*. Qui omne dicit, nihil excludit; & hic fructuarius a vasallo differt; speciale jus est in fructuario, & vasallus majori jure quam fructuarius utitur fruitur. Hinc si vasallus post calendas Martias vita functus est, omnis fructus industrialis nempe lac, lana, lucrum ex jure venandi, piscandi, aucupandi, lapides fodiendi, sicut & fructus naturalis, & civilis heredi allodiali cedit. Qui heres tamdiu in possessione feudi manere debet, donec omnes fructus illius anni ex feudo perceperit. Prædia colere, & fructus colligere potest, quin dominus in possessione perturbaret, Scrad. *loc. cit. n.* 77., Rosent. *cap. x.* 42. *n.* 50.

§. XXXV.

Eadem ratio nostri textus procedit, si fructus bis in anno percipiantur, ut semper ad heredem vasalli pertineant, si vasallus post calendas Martii decedat. Quid autem si biennio, aut quinquennio, vel decennio, ut silva cædua, piscinæ, similesve, redeant? Et quidem, sicut brevius tempus nempe si terra bifera fuerit, dum bis in anno fructus ferat, semestre tempus pro uno anno computabitur. Sic & biennium, vel quinquennium pro uno anno computari suadetur, exemplo mariti, de quo JCtus in *l.* 7. §. 6. *D. solut. matri.*; *quod in anno dicitur, potest dici, & in sex mensibus, si bis in anno fructus capiantur: ut est in locis irriguis. Et in pluribus annis idem dici potest: ut in silva cædua*, conf. Pistor *loc. cit. n.* 71., & Scrad. *loc. cit. n.* 71. Nam, ut quis fructus totius anni lucretur, inspici opus est, an dimidium anni supervixerit. Sic & ut fructus biennii, vel quinquenni suos faciat, perpendendum, an dimidium biennii, vel quinquenni vixerit. Quæstio est de pensionibus ex fundo feudali debitis, quæ instar fructus habentur. Et Andr., Alver. ad *d.* §. *bis consequenter*, Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 3. *n.* 51., Pistor *lib.* 1. *q.* 25. *n.* 9. tenent, quod si tempore mortis vasalli cesserint, ad heredes vasalli pertinebunt, si non cesserint ad dominum spectant. Sed Hartm. Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 217. distinguit: aut reditus est perpetuus, aut temporalis. Perpetuus ut in prædio censitico, emphyteutico, & simili, & hic, resoluto jure datoris, hoc est vasalli,

li, resolvitur jus acceptoris, hoc est emphyteutæ, & ad heredem vasalli nihil transit, ne factum vasalli domino noceat. Aut vasallus ad tempus pro certa mercede annuatim solvenda fundum feudalem elocet. Si, durante locatione, vasallus decedat, distinguendum sicut noster Feudista in *d.* §. *bis consequenter* distinguit. Aut reditus perpetuus ante investituram a Domino est constitutus, & tunc inter Dominum, & vasalli heredem pro rata anni dividantur, anni videlicet a die quo reditus sunt solvendi computandi, usque ad diem, ex quo annus ille initium cæpit. Finge, census in festo D. Michelis solvendus est *an.* 1771., initium anni fiat a festo Michaelis *anni* 1770., & si vasallus sub finem Martii moritur, dimidia census istius anni domino, altera heredi vasalli cedat.

§. XXXVI.

Sæpius fructuum divisio non inter dominum, & heredes vasalli, sed inter heredes allodiales, & feudales vasalli fiat oportet. Si vasallus sine herede masculo, relicta filia, fratre, aut agnato, frater succedit. Et quamvis nonnulli magni nominis JCti pro rata temporis *ex l.* 7. *D. solut. matrim.* dividendos putent; attamen divisio fructuum faciunda est, ut *d.* §. *bis consequenter* jubet, Rosent. *cap.* 10. 42. *n.* 45., Pistor *lib.* 1. *q.* 24. *n.* 50., Vultejus *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 222., Franch. *decis.* 19. *n.* 3. Nam vasallus fructus jam perceptos restituere, vel contribuere non tenetur. Si pro rata temporis fructus dividendi, heres vasalli fructus ante mortem vasalli perceptos cum agnato in feudum succedente dividere cogeretur. Quod regulæ juris repugnat, quæ, inquit, vasallum fructus in vita sua perceptos non reddituros, ut supra probavimus. Si igitur vasallus decessit post Calendas Martii usque ad Augustum, fructus istius anni nondum collectos inter filium, qui in feudo succedit, & filiam, quæ non succedit, dividi oportet. Si ante Calendas Martii, vel post Augustum obierit, tunc ad solos filios spectare, qui in feudo succedunt, Borcholten *de feud. c.* VII. *n.* 95.

DIS-

Dissertatio 11. De meliorationibus feudi.

C A P. I.

De Potestate vasalli excolendi feudum.

§. I.

UNiversalis clientelarum institutio, quæ hodie præstantissimam in Europa jurisprudentiæ partem constituit, a bellicis necessitatibus, clarissimorum virorum meritis, a præmiorum indigentia, sive a paupertate merita compensandi in quibusdam barbaricæ ætatis partibus originem recognoscit. Unde Principes territoria plerumque deserta, civitates, provincias, atque oppida cum nemoribus, silvis, planitiebus, terrisque incultis, & sterilibus sub fidelitatis, & militaris, vel aulici servitii conditione concedere cogebantur. Hujusmodi concessiones, etsi utile dominium hoc est jus re plenissime utendi fruendi, deque illa sub potestate tamen restricta, & senioris, & agnatorum consensu disponendi transferrent 11. *f.* 8. §. *rei autem*, 11. *f.* 23. nullam propemodum utilitatem vasallo afferebant. Præsertim cum jurisdictionis fructus, videlicet mulctas, aut bonorum publicationem, aut sportulas, quæ lapsu temporis fiduciariis prædiis, & juribus contra feudorum naturam, & primævam instituti rationem adnexa est, gauderet. Nulla itaque utilitas, nullum lucrum ex sterili territorio percipi poterat, nisi vel natura operante, vel climatis fecunditate, vel vasalli industria emolumentum, redituque produceret.

§. II.

Ex hac utilis dominii translatione vasallus, non modo, fructus tempore investituræ iu feudo pendentes consequitur, sed & quos natura quæsivit. Plus dicam, etiam, invito seniore, clientelare prædium meliorare, potest quia non de rei alienæ, sed suæ melioratione agitur. Nam ex effectu utilis dominii vasallo & civilis, & naturalis possessio competit, 11. *f.* 8. §. *ult. quamvis enim possessio per beneficium ad eum pertineat, tamen proprietas ad alium spectat.* Dominus civiliter prædium clientelare possidet respectu directi dominii, quod in eo vindicat, & opinione dominii possidet. Civiliter enim quis possidet, qui licet rei non insistat, juris tamen interpretatione eam tenere, & possidere intelligitur. Veluti si quis Romam pergit, nemine domi relicto nihilominus eundum possidendi animum, quem prius habuerat, retinet, *l. 6.* §. 1. *&* Paul. *in l.* 3. §. 11. *D. de adquir. possess.*, *saltus hybernos, estivosque animo possidemus, quamvis certis temporibus eos relinquamus.* Hanc civilem possessionem dominus servo, tutore, curatore, procuratore, filio, colono, emphyteuta, vasallo retinet, & ipse possidere dicitur

l. 1.

l. 1. §. 5. & 20., *l.* 4., *l.* 9. *l.* 18. *l.* 25. §. 1. *l.* 36. *D. eo.*, Cujac. IX. *obs. c.* 33., Duaren. *disput. lib.* 1. 18. Vasallus possidet naturaliter, hoc est corpore rei feudali incumbit, eo animo, ut alieno videlicet senioris nomine possideat. Si directum sui senioris dominium consideretur. Et merito: quia nemo sibi caussam possessionis mutare potest *l.* 33. §. 1. *D. de usucap.*, hoc est titulum, quo possidet. Nam si titulo pignoris, precarii, ususfructus, feudi, vel conductionis possidet, in dominii titulum mutare non potest. Possidet civiliter, si legis venia, suum feudum, vel partem alteri subinfeudat. Ipse dominium utile, sive minus plenum, & dominio proximum animo retinet, & subvasallus naturaliter possidere dicitur. Demum vasallus naturaliter & civiliter simul possidet respectu utilis dominii, in quo nullum pro domino recognoscit. Is enim civiliter, & naturaliter possidet, qui jure rei insistit: naturaliter propter naturalem apprehensionem: civiliter, quia eam apprehensionem jus civile adprobat, quum non violenta, non clandestina fuerit, *l.* 12. *D. de adquir. possess.*, *l.* 10. *C. de usucap. transfor.*, Rosent. *cap.* VIII. 1., Rothius *in Pand. feud. cap.* 11. *q. ult.*

§. III.

Effectus naturalis possessionis est, ut vasallus actiones, & interdicta recuperandæ, retinendæ, atque adquirendæ, sicut interdictum unde vi etiam contra dominum exercere valeat. Naturalis possessio nunquam sine jure reperitur, quod possessor actionibus tuetur, præsertim si civilli quoque possessione, uti est vasallus, potiatur. Sed simpliciem tueri possessionem nihil vasallo proficit, nisi meliorationes, culturas, atque augmenta in feudo faciendi jus haberet. Quamvis exemplo fructuarii arbitratu boni viri frui teneatur; eleganter Columella *lib.* 1. *de re rustica c.* 1. instruit, *qui studium agricolationi dederit, antiquissima sciat hac sibi advocanda, prudentiam rei, facultatem impendendi, voluntatem agendi.* Quin imo vasallo jus plenius quam fructuario competit, quia vasallus servitia non fructuarius præstat; servitiis feudum sibi a domino concessum retribuere, & quasi emere videtur. Hinc fructuarius formam fundi, sive rustici, sive urbani mutare, inconsulto proprietario, non potest, nempe novum tectorium, vel rivum parietibus imponere *l.* 44. *l.* 61. *D. de usufr.* Conf. Cujac. *lib.* 1. *obs. c.* 36., & Meril. *lib.* III. *Varian. ex Cujacio c.* 1., venas lapidicinarum, & hujusmodi metallorum inquirere poterit, modo non agri partem necessariam vel amænitati, si prædium fuerit voluptare, vel reditibus, si prædium ad usumfructum in iis consistat, non immutet. Nam formam agriculturæ & conditionem mutare nequit, etiamsi ex mutatione majores reditus perciperet, exemplum est *in l.* 13. §. 45. *6. D. de usufr.*

usufr. Vasallus vero sicut & emphyteuta rei feudalis, & emphyteuticæ formam immutare potest, si res illa mutatione melior evadat, lice: mutatio ad pristinum statum reduci nequeat, ut si silvam exstirpare, atque ibi agros facere, vel vineam plantare velit. Vasallus enim habet jus in re cum ipsa re, hoc est naturaliter & civiliter simul possidet, fructuarius jus in re sine re, hoc est naturaliter tantum possidet, Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 5. *n.* 39. Rothius *in pand. feud. cap.* 11. *q.* 14., Caccialup. *de feud. art.* VI. *n.* 46. Qua de præceptum Catonis *de Re Rustica c.* 1. vasallo, non fructuario convenit, id est illi, qui majus, & perpetuum jus habet, *prædium, quod primum siet, si me rogabis, sic dicam. De omnibus agris, optimoque loco si emeris jugera agri centum, vinea est prima, si vino multo siet, secundo hortus irriguus, tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum, sexto campus frumentarius, septimo silva cædua, octavo arbustum, nono glandiaria silva.*

CAP. II.

De Definitione, & divisione meliorationum.

§. IV.

Melioratio, quæ in feudo contingit, est omne id, quo feudum augetur. Quod augmentum non opere senioris, sed vasalli spectandum est; quia si senior aliquid feudo addit, nempe prædium, quod tempore infeudationis vasallo factæ non erat, non melioratio, sed ampliatio feudi dicitur. Etsi illius ampliationis lucrum Vasallo cedat, si hoc animo senior fecerit, ut una cum feudo coalesceret, unumque feudum constitueret. Sicut si proprietarius, vel natura aliquid prædio fructuario adjunxerit, lucrum accessionis etiam ad fructuarium pertinet, Paul. III. *sent.* 6. §. 22., Noodt *de usufr. lib.* 1. *c.* 6. *in fin.* Et vicissim si vasallus prædium, aut bona mobilia etsi feudi gratia emerit, atque ad illud destinaverit, non melioratio feudi dicuntur, sed augmentum allodiale vocamus. Idcirco, amissa clientela, non ad seniorem, sed vasallum, ejusve heredem devolvuntur. Nisi eo animo emerit, ut ab eodem sui feudi seniore recognosceret, quod feudum *oblatum* nuncupatur. Hic animus tamen probatione indiget, secus senior in his bonis nullum jus vindicare valet. Si autem non constet, an vasallus emerit, & in feudo existunt, feudalia præsumuntur, & feudo devoluto, ad dominum transeunt, Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 4. *n.* 6. 7. & 8.

§. V.

Omnis melioratio, quæ in fundo feudali, aut allodiali fieri posset, est *naturalis*, vel *industrialis*, vel *civilis*, vel *intrinseca*, vel *extrinseca*, vel *cohærens*, vel *separata*, vel *latens*, vel *apparens*. His modis feudi conditio melior evadit. Naturalis dicitur,

quæ non facto hominis, sed sola naturæ opera contingit, ut si alluvione aliquid feudo accrescit, vel impetu fluminis quid excipit, vel insula in flumine feudali nascatur. Hæc jure feudi, seu ejusdem conditionis ac est ipsum feudum ad vasallum pertinent *1. f. 4. §. si quis de manso*, *l. 1. 2. 3. C. de Alluvion. l. 9. §. 4. D. de usufr.*, Pistor *lib. 11. q. 42. n. 50.*, Aymo. *tract. de Alluvion. lib. 11. c. 16. n. 9. & 10.*, dixi *lib. 11. 11. §. 23.* Nec refert, an incrementum ex alluvione natum, latens, an apparens fuerit, modo feudali prædio coaluisset, statim jure gentium vasallo adquiritur, secus prioris domini manet *l. 7. §. 2. D. de adquir. rer. dom.* de insula prope feudale prædium nata etsi a feudo distincta ad vasallum spectare opinor; quamvis Pegasus *in l. 9. §. 4. D. de usufr.* non fructuario, sed proprietario adquiri, si in prædio fructuario nascatur, respondeat, quia vasallus pleniori jure, & perpetuo, quam fructuarius fruitur.

§. VI.

Industrialis melioratio est, illud feudi augmentum, quod magis opera, atque industria vasalli, quam operante natura provenit, ut ædificia, arbores, fossæ, aggeres, aquæductus, piscinæ, molendina, stagna, silvarum, & nemorum sublucationes, fructuosior agri forma, aut agriculationis mutatio, cisternæ, putei pro munitione castri, muri, horrea, stabula, columbaria, tormenta, aut armamenta bellica, balistæ, catapultæ, cellaria, casæ, novalia, & similia, quæ cultiorem, fructuosiorem, & meliorem arando, plantando, serendo, colendo fundum feudalem reddere possunt. Unde ab Interpretibus quæsitum est, an vasallus feudum restituere, vel lineæ interitu, vel felonia amissum in eodem statu, in quo ipse accepit? Videlicet tempore infeudationis in prædio feudali erant meliorationes naturales, civiles, atque industriales, quæ simul cum feudo tanquam bonorum universitate transierunt. Et distinguere placet, si dolo, lata, & levi culpa feudum deterius reddit, acta devolutione, damni æstimationem, domino, vel agnatis restituere debet. Nam feudum est res restitutioni subjecta, ut familiare fideicommissum, cujus possessor deteriorare non potest. Sic Papinian. in *l. 58. & 59. D. de leg. 1.*, inquit, ædes fideicommisso relictas sine culpa heredis exustas, quas post mortem testatoris restituere gravatus, si reficiat, a fideicommissario sumptus petit. E contra si culpa heredis incendium contigisset, heres ad damni æstimationem tenetur. Aliud exemplum *in l. 31. §. 11. D. de ædil. edict.*, *l. 25. §. 1. D. solut. matrim.* prostat. Si casu fortuito, seu vi divina, & majori, nempe impetu fluminis, aquarum inundatione, incursu hostium, chasmate, rei vitio, animalium agmine deterioratio facta esset.

esset, a damni restitutione eximitur. Hæc humana diligentia prævidere, & occurrere nequit *l.* 25. §. *6. D. locat.* Verum vasallus damna fato inducta reficere tenetur, modo in aliqua Feudi parte dammum evenerit. Si enim totum feudum perierit, vasallus non obligatur, sicut in emphyteuta sanxit Zeno in *l.* 1. *C. de jure emphyt.* ibi Sichard. Ex his constat vasallum meliorem, non deteriorem feudi conditionem facere compelli, Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 5. *n.* 21.

§. VII.

Melioratio *civilis* est, in qua natura nihil agit, sed sola hominis industria instar fructuum civilium producit, ut servitus realis, jurisdictio, libertas prædii, & quæ sunt. Vasallus servitutem, irrequisito domino, adquirere in feudo potest, sicut & emphyteuta, qui utile dominium exercent, 11. *f.* 8. §. *quid ergo*, 11. *f.* 28. §. *si vasallus*, quod tamen fructuario non licet, etiamsi dominus consensiat *l.* 15. §. *ult. D. de usufr.*, quæ tamdiu durabit, donec vasallus feudum possideat. Ejus jure extincto, servitus perit *d.* §. *quid ergo*, quum nihil vasallus agere valeat, quo domini conditionem, vel agnatorum deteriorem reddat. Si servitutem adquirere potest, etiam clientelare prædium servitute liberare permittitur. Nam vasallo meliorem feudi conditionem facere nemo prohibet, 11. *f.* 8. §. *e contrario*, nec senior feudum deteriorare, forsitan servitutis impositione potest, nisi vasallus consensiat, Hotom. *ad d.* §. *quid ergo*. Sæpius jurisdictionem in castro aut pago sibi infeudato, non investituræ titulo, sed emptionis, præscriptionis, consuetudinis, aut privilegii adquirit. Et hæc, devoluto ad seniorem, vel agnatos, felonia, aut lineæ interitu, beneficio, nunquam domino, aut agnato competit, sed ad heredes vasalli transit. Jurisdictio enim nihil commune cum castro, aut pago habet, est res incorporalis, ex se subsistens, alteri infeudari potest, quin territorium concedatur, Pistor *lib.* 11. *q.* 42. *n.* 43., Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 2. *n.* 11. & 12. Rosent. *cap. x.* 49. *n.* 18. Cum jurisdictionem quis in alieno territorio exercere posset, Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 249., Redoan. *de rebus eccl. non alien. q.* 70. *n.* 11.

§. VIII.

Melioratio *intrinseca* est illud augmentum, quod non prædii clientelaris magnitudinem auget, aut extendit, sed valorem addit, & sine deterioratione divelli non potest, ut servitus rustica, aut urbana, ædificium, aquæductus, fossa, necessaria castri defensio, & similia, quæ feudi quantitatem meliorem necessario reddit. Melioratio *extrinseca* est, quæ feudi magnitudinem, & valorem auget, & per se separari, & subsistere potest, ut alluvio, tormenta, & quæ vasallus ut perpetuo ibi essent, mobilia destinavit. Hinc con-

ſtat, quid melioratio cohærens, quid ſeparata, quid latens, aut apparens fuerit. Ut ſi vaſallus fundum prope feudum emat, & eum feudo unum corpus conſtituat, nihilominus non eſt feudalis, nec feudo devoluto, domino aperitur. Caveat vaſallus ne adeo cum feudo extrinſeca incrementa confundet, iiſque promiſcue utatur, ut poſtea, devoluto feudo, heres allodialis cum ſeniore, aut agnato contendat. Cum omnino quæ intra feudi fines ſunt, feudalia præſumantur, & allodialem qualitatem onus probandi burgenſatico heredi incumbit, Vultej. *loc. cit. n.* 242. Denique alia meliorationum ſpecies feudo addi poteſt, quam non vaſalli induſtria, nec naturæ ordo, ſed caſus fortuitus facere ſolet, ut ſi ob loci amænitatem, ſitum, aſpectum prius non cognitum feudi pretium augeatur.

C A P. III.

De dominio, & devolutione meliorationum.

§. IX.

INterpretum dogma eſt, emponemata, ſeu meliorationes pro rebus allodialibus exiſtimari, quas vaſallus in feudo fecit; quia vaſallus feudum accepit, non ut melioraret, ſed in ſtatu, in quo accepit, conſervaret, & inde ſervitia præſtare poſſet. Si quid melioratum reperitur, ex vaſalli induſtria proficiſci ſuſpicamur. Idcirco de iis, ſine ſenioris, aut agnatorum venia teſtari valet, Rothius *in pand. feud. cap. XIV. q.* 11., quin & inter vivos diſponere poſſe videtur. Unde vaſallus ab emphyteuta differt: Emphyteuta, ſine directi domini venia, emponemata alienare, hoc eſt vendere (licet donare) non poteſt. Differt & a Prælato, qui de meliorationibus ab ipſo in bonis eccleſiæ factis diſponere prohibetur, quia Prælatus nullum jus vel directum, vel utile in bonis eccleſiæ, ſed ſimplicem adminiſtrationem exercet. Niſi de bonis ſuis fecerit, *l.* 3. *C. de jure emphyt.* Redoan., *de Rebus Eccl. non alien. q.* 72. *c.* 1. *n.* 7.

§. X.

Nunc enucleandum, quomodo meliorationes ad dominum, devoluto feudo, vel ad heredes vaſalli pertineant; an a feudo ſeparari, & quomodo æſtimari debeant. De melioratione, ſeu incremento naturali, nempe inſula, aut alio terræ monticulo clientelari prædio alluvione adaucto vaſallus diſponere vetatur, illudque, devoluto feudo vel felonia, vel finita generatione, domino aperitur, ſive latens, ſive apparens. Comperti juris eſt, incrementum alluvione feudo adjectum ejuſdem juris, & qualitatis cum ipſo feudo cenſeri, hoc eſt, jure utilis dominii vaſallo ceſſit; nunc finito feudo. jure pleni dominii ſeniori adquiritur, *l.* 7. §. 1. & 2. *D. de adquir. rer. dom.*, quod & de quolibet utile dominium habente ſenſiendum eſt, Andr. *in* 1. *f.* 4. §. *ſi quis de manſo n.* 14.. Alver. *eo. n.* 5. Eadem

dem ratio suadet, in illo augmento, quod præscriptione contingit. Finge, vasallus de prædio XII. jugerum investitus est, bona fide quatuor jugeria alterius & legitimo tempore adquisivit, de quibus simul cum aliis XII. servitia præstitit, & ab eodem domino recognovit. Devoluto feudo, etiam isthæc jugera quatuor domino cedunt. Quum naturalis juris domini accessio dici posset, Alver. *in* I. *f.* 4. §. *rursus n.* 7., Scrad. *par.* II. IX. *sect.* 2. *n.* 6., Rosent. *cap.* X. 43. *n.* 23.

§. XI.

Si feudum devolvi contingat, vel propter feloniam, vel generationis finem. & impensæ, & meliorationes in feudo reperiantur, non domino, sed heredibus vasalli cedunt. Dominus id tantum a vasallo repetere potest, quod vasallus ab eo accepit, exemplo fructuarii, qui sarta tecta suis sumptibus præstare debet, & si quid ultra, quam impendendum erat, erogavit, reposcere potest *l.* 7. *C. de usufr.* Nec ad meliorationes in feudo faciundas se obligavit. Meliorare quidem feudum potest, sed non cogitur, modo non deterius reddat II. *f.* 8. §. *e contrario*. Si benignius receptum fuit, tam prædonem, quam bonæ fidei possessorem impensas necessarias, atque utiles petitori imputare, quatenus petitor ex eis locupletior factus est, multo magis vasallus juste, & legitime feudum possidens, impensas ante feudi devolutionem factas a domino repetere valet *l.* 38. *D. de petit. hered.*, *l.* 37. *D. de R. V.*, Gudelin. *de feud. par.* V. *c.* 5. *n.* 3., Struv. *f. j. f. cap.* XV. *A.* 16., Rothius *in Pand. feud. cap.* XIV. *q.* II. Dissentit Scrader. *par.* II. IX. *sect.* 2. *n.* 16. & 17., Rosent. *cap.* X. 43. *n.* 2.. aliique, & exemplo Emphyteutæ utuntur, qui, commissa emphyteusi propter ejus culpam, meliorationes amittit. Verum conditio emphyteutæ, & vasalli hac in re differt: Emphyteusis hoc animo datur, ut emphyteuta meliorationes faciat, feudum conceditur, non ut vasallus meliorationes faciat, sed ut inde servitia præstet. Proinde emphyteuta meliorationes, quas facere obligabatur, non repetit. Hinc est, quod si emphyteuta meliorationes ultro fecerit, & impenderit, quod nullo modo debebat, veluti ædificium in fundo extruxerit, vel vineas instituerit, has impensas sibi servabit. Sic Scævola *in l.* 61. & *Paul.* 55. *D. locati*, *in conducto fundo si conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, vel instituerit, cum id non convenisset, ad recipienda ea, quæ impendit ex conducto cum domino fundi experiri potest.*

§. XII.

Finito autem feudo non propter vasalli feloniam, sed generationis interitum, dominus omnes meliorationes, atque impensas vasallo, vel

vel ejus heredi restituere cogitur. In quo nullus Interpretum dissentit, & noster Feudista *in* 11. *f.* 28. *Si vasallus in feudo aliquod ædificium fecerit, vel ipsum sua pecunia melioraverit, & contigerit postea ut vasallus sine filio masculo decedat, Dominus, aut patiatur ædificium auferri, aut solvat pretium meliorationis. Idem dico si pretio servitutem feudo acquirat. Quidam alii dicunt omnino ad Dominum pertinere.* De industrialibus meliorationibus loquitur, sed ad omnes incrementi, atque augmenti species extendendum, quibus feudi conditio melior evasit. Sive civiles, sive industriales, sive corporales, sive incorporales, ut servitus, prædii libertas, exceptio, & similia fuerint. Sive a feudo, salva ejus substantia, separari, ut ædificium ligneum, possint; sive separari, sed cum feudi deterioratione, ut ædificium muro constructum, sive nullo modo separari, quin & res separata, & res a qua separetur, damnum sensiat, ut fossæ, piscinæ, stagna, vineæ, arbores, servitutes reales, immunitates, quas vasallus feudo adquisivit. Sicut si emphyteusis sine culpa, nempe ab finitam generationem, vel si ad certum tempus data esset, finiatur, emphyteuta omnes meliorationes, sive ex natura, & lege contractus, sive præter contractus legem factas repetit. Maritus, soluto matrimonio, si novam villam necessario extruxerit, vel veterem sine sua culpa collapsam restituerit, vel si pastina instituit, cum hæ impensæ utiles, & necessariæ sint, repetit *l.* 7. §. 16. *D. solut. matrim.* Si inquilinus fenestras, ostia, & quædam alia in domo conducta fecerit, Labeo scripsit, finita conductione, has meliorationes tollere posse, modo damnum domui non afferat *l.* 19. §. 4. *D. locat.*, si tollere nolit, expensas a locatore petit, *l.* 55. §. 1. *D. eo.*, aut cum pensione compenset *l. un.* §. 3. *D. de via public.*

§. XIII.

Ex his regula eruitur, quoties vasallus meliorationes utiles, & necessarias perpetuo, vel diu in feudo duraturas fecerit, finito feudo, vel felonia, vel generatione, ipse, vel ejus heres a domino repetit. Veluti si territorium saxis, vel dumetis incultum, ad culturam redegit, saxa, & dumeta ejecit, nemora evulsit. Hæc melioratio perpetuo territorii utilitatem, & bonitatem respicit, ejusque pretium auget. Creditor easdem impensas necessario in pignore factas a debitore repetit, sicut debitor ab eo damnum rei pignoratæ allatum deducit *l.* 7. *C. de pign. act. l.* 25. *D. eo.* Si plurimum impendit, ut castrum, territorium, feudum ab hostium incursu, & depredatione custodiret. Quum utilitatem domini respiciat, ne feudum amittat, Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 2. *n.* 21. Si machinas, tormenta, balistas pro Castri defensione faciat, si arbores, vineas, arbusta plantaverit, si columbaria instituerit. Magis dicam, quidquid uti-

utilitatis, & necessitatis feudo attulerit, sive ex iisdem feudi fructibus, sive propria pecunia fecerit. Sive ipse vasallus, sive suus praedecessor, aut alius, sed vasalli contemplatione gatis egisset. Nec has meliorationes cum fructibus compensare cogitur, quia vasallus percipit fructus ex utile dominio, quod in feudo habet, Afflict. *decis.* 87. *n.* 6., Freder. a Sande *ad Consuetud. Gelr. tit.* 11. *c.* 5. §. 2. *n.*4.

§. XIV.

Attamen saepe vasallus, vel ejus heres meliorationes, atque impensas petere, vel retinere nequit. Videlicet si alius senioris contemplatione fecerit, quum donatio esse videatur, ac si ipse senior fecisset. Aut impensae adeo magnae sint, ut si dominus solvere vellet, feudum vendere cogeretur, ex auctoritate Celsi *in l.* 38. *D. de R.V.*, in qua, inquit, si quis imprudens praedium emit, in quo aedificavit, deinde evictum est; dominus utiliter impensum restituere tenetur, sicut judex arbitrabitur, qui non impensam, sed quanto pretiosior fundus factus fuerit, perpendere debet. Sed si dominus est pauper, sumptibus non refusis, rem suam petet, aut reo meliorationes, sine rei laesione, tollere permittat. Rationem addit, ne laribus, sepulchris avitis careat, hoc est ne re petita careat, Cuja. *ad l.* 28. §. *ult. D. de R.V.* Aliter est, si haec impensa nisi a vasallo facta esset, feudum perire oporteret, Scrad. *par.* 11. 12. *sect.* 2. *n.* 86. Aut si impensa fuerit modica, *l.* 12. *D. de impens. in res dot.*, quae judicis arbitrio relinquitur. Vel voluptuaria, qua omissa, nec res deterior futura erat; facta, nec fructuosior evasit, sed rem dumtaxat ornat; ut aquae salientes, loca amoenitatis caussa, loricationes, seu tabulae, quibus parietes exornantur, picturae & aliae, quas luxus invenire potest *l.* 79. §. 2. *D. de V.S.*, seu, ut loquitur Javolenus *in l.* 11. *D. de suppell. leg. Si quid aliud magis deliciarum, quam usus caussa paratum esset.*

§. XV.

Quamvis vasallus impensas voluptuarias repetere nequeat, tamen abradere, & tollere permittitur, modo feudum deteriorationem non sensiat. Si dominus abradere nolit, aestimationem solvat, *l.* 9. *D. de impens. in res dot.*, quod sine rei laesione tolli non possint, dominus solvere cogitur *l.* 38. *D. de R.V.* saepius tamen vasallus corradere nequit, si nihil lucri laturus, nisi ut domino officiat, sicut in his respondet Ulpian. in *l.* 9. *D. de impens. in res doc.*, *l.* 3. §. 4. *D. de in rem verso*, *d. l.* 38., Pistor *lib.* 11. *q.* 42. *n.* 26. Nec vasallus deducit impensas, quibus initio investiturae se obligavit *arg. l.* 55. §. 1. *l.* 61. *D. locat.* Nec quas in mala fide constitutus fecit, nempe post feudi devolutionem vasallus feudum melioravit. Nam, amisso feudo vel ipso jure, vel judicis sententia, si ipse in possessione

sione perseverat, & meliorationes agit, malæ fidei possessor dicitur, dum scienter re aliena utitur. Recte S. Aug. in *can.* 5. 34. *q.* 1. *&* 2. *in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur, tunc juste injustus vocabitur.* Qui in alieno solo scienter ædificat, proprietatem materiæ amittit *l.* 7. §. 12. *D. de adq. rer. dom.*, licet, dissoluto ædificio, materiam vindicare potest *l.* 2. *C. de R. V.* Atque ita Interpretibus arridet. Mihi autem aliter sedet; ut vasallus etsi malæ fidei possessor omnes meliorationes necessarias, utiles, atque voluptarias a domino repetere possit. Qui rem alienam sciens possidet, eamque restituere debeat, si impensas fecerit, tempore restitutionis recte petit, *l.* 18. §. 2. *D. commod. l.* 33. *D. deposit.*, & Gordianus *in l.* 5. *C. de R. V.* sanxit, malæ fidei possessorem nullos fructus sibi adquirere, sive naturales, industriales, civiles, sive consumpti sint, sive adhuc extent. Adeo, ut etiam de perceptis, quos tamen percipere potuit, teneatur. Impensas tamen necessarias repetit, utiles tollere valet *d. l.* 5. *& l.* 37. *D. eo.* Sicut de voluptuariis, inquit, Cajus *in l.* 39. *D. de petit. hered.* Excipitur, nisi dominus, amisso jam feudo, vasallo prohibuisset, ne meliorationes faceret, Scrad. *par.* 11. 1x. *sect.* 2. *n.* 78. *& seqq.*

C A P. IV.

De jure domini, & heredis vasalli in petendis meliorationibus.

§. XVI.

DEvoluto vel ob feloniam, vel generationis finem feudo, vasallus, vel ejus allodialis heres a domino meliorationes, vel earum pretium duplici actione, videlicet *jure retentionis*, & *conditione* petere potest. Jus retentionis heres contra dominum, vel agnatos defuncti exercet, si rem feudalem possidet, eamque tamdiu retinere potest, donec de meliorationibus, atque expensis dominus, vel agnatus satisfaciant. Sicut creditor, si necessarias impensas in servo, vel fundo, quem pignoris caussa accepit, fecerit, & actionem pignoratitiam contra debitorem, & retentionem habet *l.* 8. *D. de pignor. Act.*, *l.* 25. *D. de pignor.* Aut si quis errore existimans se heredem esse, aut bonorum possessorem bona fide in re hereditaria impensas fecerit, eas jure retentionis servare potest, *l.* 33. *D. de condict. indeb.* Commodans si rem commodatam commodatario subripuerit, commodatarius furti actionem in eum non habet. Sed si commodatarius impensas in re sibi commodata fecerit, quia sua interest, retentionem, & actionem furti cum Domino habet, si dominus eam subripuerit, *quia eo casu, quasi pignoris loco ea res fuit. l.* 15. §. 2. *D. de furtis.* Recte itaque hoc remedio heredi consulitur,

tur, quum securius sit rei potius, quam personæ insistere, eoque contra dominum, vel agnatum clientelam repetentes se tueri valet, Rosent. *cap. x. 43. n. 116.*, Scrad. *par. 11. 1x. sect. 2. n. 30.*, Vultej. *lib. 1. c. 11. n. 245.*, Rothi. *in pand. feud. cap. xiv. q. 11.*

§. XVII.

Hoc retentionis jus heredi adeo competit, ut feudum restituere non cogatur, nisi dominus, vel agnatus usque ad ultimum nummum impensarum persolvat. Nam vasallus ob expensas, & meliorationes, sive pro operis jam in feudo extructi refectione, sive nova extructione factas tacitam adversus dominum, vel agnatum hypothecam contrahit, quæ sibi, ejusque heredibus competit. Evasit enim creditor, & creditori nisi perfecte solvatur, rem vel tacite, vel expresse sibi oppignoratam restituere non tenetur. Sane ex oratione D. Marci, qui cessante domino, domum alienam ultro suis sumptibus restituerit, tacitam hypothecam, & privilegium exactionis habet *l. 52. §. 10. D. pro socio*, Cujac. *xix. obser. c. 20.* Non placet itaque Scraderi *loc. cit. n. 49.* opinio, quæ, inquit, hanc tacitam hypothecam tunc vasallo competere, quoties vasallus opus jam extructum reficiat, aut conservet; non vero, si novum opus extruere velit. Supra probatum est, feuda concedi, non ut vasallus tanquam agricola meliorationes faciat, sed ut servitia præstet. Si itaque meliorationes facit, tacitam in dominum hypothecam contrahit. Eaque antiquioribus creditoribus præferri opinor *arg. l. 5. D. qui potior. in pign.*, nec negotium suum gessisse, sed suum videtur, cum feudum ad seniorem reversurum sciret. Eo minus obtinet sententia Vultej. *loc. cit. n. 247.*, & Fachinæi *vii. controv. 92.* qui omnino tacitam hypothecam vasallo pro meliorationum repetitione prohibent, Rothius loc. cit.

§. XVIII.

Disputatum acriter est, an heredi allodiali jus retentionis competat, si impensæ, atque meliorationes, quænam, & quantæ sint, demonstrari non possint; & senior feudum vindicans pro resarciendis liquidis meliorationibus idoneos fidejussores dare paratus est? Hac de re nihil jus feudale sanxit; jure igitur romano uti oportet, cui innixi contra Rothium *loc. cit.*, ceteros, heredi allodiali jus retentionis nunquam concedi posse asserimus, dum senior cautionem de solvendo satis idoneam, vel datis fidejussoribus, vel pignoribus, præstare vellet. Nam jus incertum, atque obscurum heredis, jus certum, nempe directi dominii vindicationem domino impedire nequit. Veluti caussa certa cum incerta compensari non potest *l. fin. C. de Compensat.*, & Paul. *in l. 21. D. de Const. pecun.*, quem sibi Rothius male allegat, solutionem a satisdatione distin-

 guit.

guit. Qui constituit se soluturum, non aliter liberatur, quam si pecuniam solvat. Nec pignoris, vel fidejussoris datio sufficit. Dum vero se satisfacturum constituit, fidejussorem, vel pignus dare potest, Duaren. *ad tit. D. de Const. pecun. c.* 4. Dum senior feudum petit, se satisfacturum heredi vasalli de impensis solvendis constituit. Atque faudum accipit, si idoneam cautionem præstat. Quin & hæc dilatio seniori nocere posset, cum alteri infeudare feudum vellet, & servitia ab eo acciperet, Pistor *lib.* 11. *q.* 42. *n.* 33., Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 2. *n.* 31., Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 245. Nec heredi nocet, cum fidejussoribus, vel pignore satis cautum fuerit.

§. XIX.

Altera actio, quæ heredi competit, est condictio, seu actio personalis, qua, heres, non deductis meliorationibus, domino, vel agnato feudum restituit, adversus dominum, vel agnatum agit, ut meliorationes, atque impensæ sibi restituantur. Ex auctoritate Marciaoi *in l.* 40. *D. de condict. indeb., si pars domus, quæ in diem per fideicommissum relicta est, arserit ante diem fideicommissi cedentem, & eam beres sua impensa refecerit, deducendam esse impensam ex fideicommisso constat. Et si sine deductione domum tradiderit, posse incerti condici, quasi plus debito dederit.* Idem, inquit, Julian. *in l.* 60. *D. de legat.* 1., sicut heres qui, non deducta quarta, fideicommissum restituit, eadem actione quartam petit *l.* 21. *D. ad Trebel.* Hac actione, dum heres, vel vasallus errore, vel imprudentia solvens, petit ut sibi restituatur feudum, donec sumptus meliorationum sibi dominus, vel agnatus reddat. Quamvis nonnullis actionem negotiorum gestorum competere magis suadeat; at vasallus dum meliorationes fecit, non rem alienam, sed suam administrabat. Rectius condictionem incerti concedi asserimus. Attamen hodie nomen actionis in judiciis exprimere non oportet. Satis, si agentis intentio judici innotescat, Hotom. *ad d. §. si vasallus*, Vultej. *loc. cit. n.* 246.

§. XX.

Senior hac actione ab herede vasalli conventus, electionem habet, ut vel pretium meliorationem solvat, vel eas heredi tollere ex feudo permittat, *d. §. si vasallus* 11. *f.* 28. ibi *dominus aut patiatur ædificium tolli, aut solvat pretium meliorationis*. Ratio hæc esse videtur, ne vasallus magnis sumptibus, atque impensis dominum oneraret, ut postea dominus feudum vendere cogeretur. Verum quamvis feudista generaliter domino optionem concedat, tamen æquitatem ex jure gentium, atque interpretationem ex jure communi recipere suadetur. Hinc si vasallus meliorationes mandato domini fecit, dominus earum pretium heredi solvere cogitur,
nec

nec audiendus, si auferri velit. Aut si Reipublicæ interest, eas meliorationes non destrui. Aut, si, aperto feudo, illud vendit, & propter meliorationes pluris æstimatur. Aut si meliorationes sublatæ nullius usus heredi forent, ut arbores fructiferæ, vineæ, aggeres, fossæ, & similes esse solent, quod ex *d.* §. *si vasallus*, & II. *f.* 8. §. *e contrario* erui potest, ubi servitutes, si a feudo auferantur, nihil heredi prodessent, & tamen dominum heredi pretium earum solvere disponunt. Aut si illa impensa utilis & necessaria foret, quam etiam dominus si prædium possedisset, facere cogebatur, sicut omnis patrisfam. in re sua diligentia jubet. Impensa necessaria est, qua non facta res deterior futura erat, ut ruinosas ædes reficere, ædificia ruentia fulcire, & quæ sunt. Utilis est, qua non facta deterior quidem res futura non erat, facta tamen fructuosior evasit, ut si novelleta, vineta, arbustum, lapidicinam, & similia fecerit. Proinde si vasallus utile, vel necessarium ædificium in feudo fecerit, dominus optionem non habet, ut heredi destruere permittat, aut ipsemet pretium solveret. Sed necessario pretium solvere debet. Satis contra æquitatem heredi noceret, cum rudera ædificii jam destructi, lapides nempe, ligna, cetera nihili, aut parvi heres venderet, Pistor *lib.* II. *q.* 42. *n.* 7., Scrad. *par.* II. IX. *sect.* 2. *n.* 93. & *seqq.*, Rosent. *cap.* X. 43. *n.* 146., Vultej. *lib.* I. *c.* II. *n.* 234.

§. XXI.

Se his constat, in illis tantum meliorationibus domino optionem competere, quæ auferri possunt. In illis, quæ ablatæ, nullum usum heredi præbent, optionem æquitas recusat *l.* 38. *D. de R. V.*, *l.* 43. §. I. *D. de legat.* I. Et licet textus *in d.* §. *si vasallus* generaliter, dominum aut pati ædificium auferri, aut pretium meliorationis solvere statuat. Nihilominus Andr. recte de ædificio ligneo intelligit, qui sensus si displicet; æquitas juri civili, & gentium nixa; ut etsi ædificium, nempe domus fuerit, dominum destruere non posse ministrat. Quod judicis arbitrio relinquitur. Disputatum tamen est, pretium meliorationis an tempore, quo facta est, an quo feudum ad dominum redit, æstimari oporteat? Finge, vasallus molendinum, vel palatium, vel vineam extruendo quingenta expendit; tempore autem devolutionis mille æstimantur. An dominus quingenta, an mille solvere debeat? Leopold. Rothius *in pand. feud. cap.* XIV. *q.* II., tempus, quo factæ sunt, inspicit, quia vasallus feudum meliorare non tenetur, neque hoc fine a domino accepit. Quod igitur impensum est, heres vasalli repetit, exemplo possessoris bonæ fidei *l.* 39. §. I. *D. de minor.*, *cap.* I. *de in integr. rest.*, qui omnes impensas in re bona fide possessa factas exposcit.

§. XXII.

Communis fere Interpretum opinio, non tempus præteritum., sed præsens, nempe devolutionis considerat. Ex auctoritate Venuliis in *l.* 137. *§.6. D. de V.O.* Ubi stipulatio sub conditione, si Titius *rem sacram, vel religiosam* vendiderit, non valet, & impossibilis censetur, etiamsi postea possibilis evadat; *non enim secundum futuri temporis jus, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio.* Ex Ulpiano *in l.* 4. §. 11. *D. de vi bon. rap.* ubi actio damni in turba dolo malo dati, est in duplum., quanti ea res erit, cujus rei pretium præsentis temporis æstimatur. Et recte; quia hæc meliorationum æstimatio, est vera venditio, venditio non pretium præteritum, sed præsens rei vendendæ respicit. Nec dominus conqueri potest, quum tempore devolutionis melioratio minoris æstimari posset. Nec vasallo nocet, quia, donec feudum tenuit, ea usus est, & deterior evasit, & tempore devolutionis domino, atque agnato parui vendere cogitur, quia sicut res domino suo perit, ita & eidem deterior redditur. Hinc Rothii sententia cadit: nam licet vasallus feudum non accipiat, ut melius reddat; attamen dum tale reddidit, & melioratione usus est, præsens tempus in pretii constitutione spectari oportet, Rosent. *cap. x.* 43. *n.*90., Scrad. *par.* 11. 1x. *sect.*2. *n.* 102.

§. XXIII.

Nec tantum in meliorationum æstimatione inspiciendum, quantum vasallus impendit, sed quanto feudum est melioratum, & tempore devolutionis melioratum apparet. Si enim minus melioravit, & plus impendit, vasallus tantum meliorationis pretium petit. Et vicissim, si plus melioraverit, & minus impendit, tantum impensæ, non vero meliorationis pretium repetere potest, Celsus in *l.* 38. *D. de R. V. in fundo alieno, quem imprudens emeras, ædificasti, aut conservisti, deinde evincitur: bonus judex varie ex personis, caussisque constitue. Finge & dominum eadem facturum fuisse, reddat impensam, ut fundum recipiat, usque eo dumtaxat, quo pretiosior factus est (& si plus pretio fundi accessit, solum, quod impensum est.)* Nam impensa magna, utilitas parva esse potest, non impensæ, sed utilitatis ratio habetur. Aut si parva pecunia pretiosius feudum reddiderit, solius impensæ ratio, non quanto pretiosius feudum redditum est, inspicitur, conf. Cujac. *ad l.* 28. *in fin. D. de R. V.*

§. XXIV.

Vasallus, vel ejus heres impensas, atque meliorationes a domino, vel agnato repetere non potest, sive agendo, sive excipiendo, nisi probet, cum heredi meliorationum probatio incumbat, si ipse factas esse affirmet. Sicut si dominus dicat, feudi conditionem vasalli

salli culpa deteriorem evasisse, probare tenetur. Probatio domini facilior est; quum ex investitura, & brevi testato eruere valeat, in quo feudi conditionem, fines, reditus, & soli bonitatem descripsit. Probatio heredis difficilior esse solet, si instrumentum investituræ præsertim deficiat, quia melioratio non præsumitur, nisi probetur. Testibus vero, investitura, peritorum judicio, aliisve probare valet, quod a se, vel prædecessore, cui ipse succedit, facta fuerit. Si dubitatur, quisnam meliorationem fecerit, a vasallo facta præsumitur, quam dominus ei reddere debet, Mascard. *de probat. concl.* 1041. *so.* 2., Scrad. *par.* 11. 1*x. sect.* 2. *n.* 61. Denique, probata melioratione, vasallus, vel ejus heres a domino, aut agnato recte petit. Actioni tamen vasalli, aut heredis, dominus exceptionem deteriorationis opponere valet, nempe si tantum meliorationis fecerit, quantum deterioravit; heres nihil repetere potest. Aut si nulla melioratio, sed dumtaxat deterioratio appareat; dominus a vasallo, ejusve herede restitutionem, & refectionem petit. Feudum deteriorari in qualitate, vel quantitate, vel juribus amissis potest, Vultej. *lib.* 1. *c.* 11. *n.* 238.



DE

De Verborum significatione.

A.

ABbatia, dicitur ab Abbate, hoc est Præfecto, qui regit. Inolevit in media ætate consuetudo concedendi militibus Abbatias, Ecclesias, & Monasteria *jure feudi*, qui ex his fructus percipiebant, omniaque tanquam patroni fere agebant. Cui nec Concilia, nec patres obniti potuerunt, quamvis initio publica necessitate actum esset, sicut de Carolo Martello, inquit, Gotfrid. Witerbien. *in Chron.*, qui decimas *militibus dedit in feudum*, *pro Ecclesiæ Dei necessitate*. Conradus II. Salicus *an.* 1026. inquit Wippo *in ejus vita*, Ernesto Abbatiam dedit, *in expeditione supradictus Ernestus Dux Alemanniæ*, *aliquantulum Regi militans*, *Campidonensem Abbatiam*, *licet contra fas*, *& jus esset*, *liberam Regem nisi liberaliter servire*, *in BENEFICIUM accepit a Rege*. De his testari, ad heres transmittere, aliis subinfeudare non vetantur. Hinc querela Abbonis Floriac. *in Apologetico*, *certe carissimi Principes*, *nec Catholice vivimus*, *nec catholice loquimur*: *quando ego illam Ecclesiam dico esse meam*, *ille alter dicit esse suam*, *ac veluti quædam jumenta comparati jumentis insipientibus*, *utrasque aliquando venales proponimus*, *propositasque ab aliis emere non formidamus*. *Est etiam alius error gravissimus*, *quo fertur altare esse Episcopi*, *& Ecclesiam alterius cujuslibet Domini*, *cum ex domo consecrata*, *& altari unum quiddam fiat*, *quod dicitur ecclesia*. Filesacus *tract. de Ecclesiæ Gallic. querelis*, & innumera reperiuntur testimonia.

Adoptio, est actus jure Romano legitimus, sed jure Barbarico, & Christiano nullus est actus legitimus, nisi tria sacramenta, baptismus, confirmatio, ordo. Coram Magistratibus fiebat, lib. VI. Capp. Franc. 207. *Qui filios non habuerit*, *& alium quemlibet heredem sibi facere voluerit*, *coram REGE*, *vel coram COMITE*, *& Scabinis*, *vel missis Dominicis*, *qui ab eo ad justitias faciendas in provincia fuerint ordinati*, *traditionem faciat*. Adoptator statim omnia bona ei conferebat, hac lege, ut donec ipse vixerit, filius adoptivus alimenta subministraret, aut spem dumtaxat successionis (in allodio, non in feudo) promittebat, *formula* LVIII. *&* LIX. apud Lindenbr. *in Cod. LL. Antiquar.* Ritus adoptionis erat, per arma fieri, Cassiodor. *lib.* IV. *variar.* 2. *Per arma fieri* (hoc est armorum traditione) *posse filium*, *grande inter gentes constat esse præconium*. *Quia non est dignus optari*, *nisi qui fortissimus meretur agnosci*. *In sobole frequenter fallimur*. (*ignavi autem esse nesciunt*, *quos judicia pepererunt*. *Hi enim gratiam non de natura*, *sed de solius meritis habent*.) *Quando vinculo animi obligantur extranei*,

tanta

tanta in hoc actu vis est, ut prius se velint mori, quam aliquid asperum patribus videantur infligi. Et ideo more gentium, & conditione virili, filium te præsenti munere procreamus; ut competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris. Damus quidem tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum; sed quæ sunt omnimodis fortiora, largimur tibi nostra judicia. Summus enim inter gentes esse crederis, qui Theodorici sententia comprobaris. Sume itaque arma mihi, tibi profutura. Ille a te devotionem petit, qui te magis defensare disponit: probat tuum animum, & opus non habebit obsequium. Adoptat te talis, de cujus genere tu potius formideris. Nota sunt enim Herulis Gothorum, deo juvante, solatia. Nos arma tibi dedimus; gentes autem olim virtutum pignora præstiterunt. Salutantes proinde gratia competenti, reliqua per illum legatos nostros patrio sermone mandamus, qui vobis letteras nostras evidenter exponant, & ad confirmandam gratiam, quæ sunt dicenda subjungant. Olaus Magnus *de Gentibus septem. lib.* VIII. *c.* 5. Coram Rege, vel Comite, vel Scabinis, aut missis dominicis fiebat, *lib.* IV. *Capp.* 207.

Adrhamire, idem est, ac *jurare*, vel ut inquit, Bignonius, *adfirmare*, vel *jurejurando cavere*, se certa die, certoque loco solemniter juraturum, vel testes adducturum. Sæpe promittere, *adramire duellum*, est promittere se probaturum in judicio id, de quo quo agitur. *Lib.* III. *capp.* 58. *Ut Sacramenta ad palatium fuerunt ADRHAMITA* (hoc est promissa) *in palatio perficiantur*. Lex Salica *tit.* XXXIX. *Si quis bovem, aut caballum, vel quolibet animal sibi furatum perdiderit, & eum per vestigium sequendo fuerit consecutus infra tres noctes, & ille, qui eum ducit, se comparasse, aut cambiasse dixerit, vel proclamaverit, ille qui per vestigium sequitur res suas, debet per tertiam manum ADRHAMIRE* hoc est *jurare*. Eadem Lex *tit.* XLIX. *Lib.* I. *LL. Longob. tit.* 25. *l.* 76. *Lib.* I. *tit.* 55. *l.* 20. ubi Sæpius *arbamire*, & *arramire* legitur.

Advocatia est jus protectionis, defensio, dignitas. Antiquitus quælibet Ecclesia, vel Monasterium, piusve locus suum advocatum habebat, qui ejusdem Ecclesiæ in judicio, vel extra, jura tuebatur. Intererat comitum placitis, ut suarum Ecclesiarum jura defenderet: olim non nisi coram Comitibus Episcopi, aut Abbates eligebant. In alienatione bonorum Ecclesiæ ejus consensu opus erat: jus in vasallos Ecclesiæ dicebat. De furtis, rapinis, invasionibus, Colonorum Ecclesiæ criminibus, aliove civili negotio cognoscere poterat. Ecclesia ob hoc patrocinium, vel prædium, vel jus aliquod incorporale, ex penu, horreo, collarioque percipiendum sub pacto *feudi* concedebat: Hinc *feudum Advocatiæ*. Videlicet

licet dominium utile ratione officii protegendo dominum in corpore, vita, honore, fama atque aversione malorum, Mundoltzheim *dissert. de feudo Advocat. cap.* 11. §. 8. Alteler. Alcet. *lib.* 11. *c.* 7. Trithem. in Chron. Spanhem. ad *an.* 1325. Sæpe hac potestate abutebatur, cui Concilia imperii, Ecclesiæ, & locorum consuetudines obnixi sunt. Sic consuetudines Villæ Hasprensis a Baldivino Comite Hannoniensi V. confirmatæ apud Martene *to* 1. *Veter. script. p.* 893. *Comes Ecclesiæ, & villæ est advocatus, nec de rebus, vel hominibus ecclesiæ se debet intromittere nisi ab Abbate, vel Præposito Ecclesiæ fuerit requisitus. Ei igitur per singulas domos Villæ, exceptis domibus clericorum, & Militum, & eis, qui infra atrium continentur, & quibusdam aliis, quæ ab hac consuetudine sunt liberæ, unum octuale avenæ, & tres denarii per annum debentur & hæc a quibusdam militibus de ipso in feudum tenentur.* Nec poterat subadvocatum instituere, nec violentiam in colonos, aliosque adhibere, nec in sacris Ecclesiæ electionibus jus vindicare, *cap.* XI. *de pœnis*. Ad bellum pro Ecclesiæ defensione progredi, suisque militare stipendiis. *Notitia de jure advocator. Externacensis Monasterii* in Martene *loc. cit. p.* 551. *an.* 1095. *Affirmaverunt item Nobiles, & Majores natu Ecclesiæ nihil amplius erga Advocatum sui juris esse, nisi pro utilitate, & defensione nostræ Ecclesiæ per duorum dierum spatium cum suis stipendiis ire, & si Comes aliquam in vicino urbem, quæ contra Regnum, & locum nostrum sensiat, obsederit, pro ejus amore, & honore per duos dies militare.* Cœpit esse in commercio, emi, vendi, permutari, pignori obligari, in dotem dari, & ad heredes transmitti. Quinimo suas advocationes in feudum aliis dabat, ut in defensione Ecclesiæ, in bellicis expeditionibus sedulo interesset. Joannes Episcopus Lubecensis *ann.* 1254. cum bona suæ Ecclesiæ a Comitibus Holtzatiæ occupata invenisset, recuperare conatus est, *Ita quoque relaxavit Comitibus ducentas marcas, & villam Flemingsdorpe resignavit, & villam Lancken commutavit, ut libertaret* (hoc est libertatem, seu immunitatem concederet) *Colonos Ecclesiæ universos, & Advocatiam in Urbim EMIT a Volrado de lapide & mansionem principalem Advocati pro sexcentis marcis*, inquit, Chron. Lubecense ad an. 1254.

Allodium dicitur a voce Germanica *ald*, hoc est *antiquum*, aut a *leod*, quasi *populare*, cum cuivis e populo dari, vendique possit. Aut a *leodes*, quia ejus possessor nemini est vasallus. Pithæus inquit, esse verbum gallicum. Sirmundus ad Capp. Caroli Calvi VII. *alode*, inquit, idem esse, ac propriam cujusque possessionem. Dicitur proinde proprietas, prædium fidei, vel pensitationi non obnoxium: hereditas, possessio, quæ feudo opponitur, quod semper alicui

alicui servituti obnoxium est, nec sine senioris licentia alienari potest, proprium paternum, vel maternum. Duplex erat, *nobile*, & *villanum*: Nobile quod jurisdictionem, nec homagio, nec feudali servitio, vel laudimiis obnoxium: Villanum quod jurisdictionem non habebat. Hinc *alodium liberum*, hoc est feudum, sed immune, a feudalibus servitiis, differtque a feudo franco, quod licet a servitiis liberum sit, tamen *hominium* præstat. Sæpe Nobiles sua allodia in feudum erigebant, vel retento directo dominio, utili ad vasallum translato, vel alteri offerebant, a quo jure feudi recipiebant, unde *feuda oblata* orta sunt. Apud Barbaros triplex erat rerum divisio, I. a parentibus accepta, sive materna, sive paterna esset, & *alode*, *allodium*, *alodium*, dicebatur. II. Labore, & parsimonia quæsita, & *res ex comparato* vocabatur. III. Feudum, hoc est res fidei, obsequio, & servitio obnoxia. Et sic Capit. Caroli Calvi 20. *tit.* 8. *Maxime quod ad rem publicam pertinuit, aut præreptione in beneficiario jure, aut in alode adsumptum habetur*. Olim proprie illa proprietas, seu hereditas, jure successionis adquisita, *allodium* proprie dicebatur, postea quælibet proprietas allodium dici cepit Capit. Caroli Calvi 4. *tit.* 32. *ut missi nostri eis, qui firmitatem fecerint, alodes illorum, quos de hereditate, & tali conquisitu, qui de nostra donatione non venit, habuerunt, & quos senior noster Dominus Imperator eis dedit*. Et in omnibus medii ævi annalibus, monumentis, & scriptoribus occurrit.

Amund, vel *amond*, hoc est *libertate donare*, liber, *a* enim Germanis est *sine*, quasi sine *mundio* hoc est potestate, Rex Luitprandus *lib.* II. *LL. Long. tit.* XII. *l.* 6. *Si servus cujuscumque ancillam alterius tulerit, & Dominus Ancillæ eam liberaverit, & amond fecerit a se, aut si eam vendiderit, & qui eam emit doloso animo, & liberavit, & servus ipse permanserit, amittat ipsam libertatem suam, & sit ancilla Regis*. Rex Rotharis *lib.* II. *eo. tit.* 32. *l.* 4. *Nulli liceat aldio, qui amunt* (hoc est liber) *factus non est, sine voluntate patroni sui terram, aut mancipium vendere, neque liberum dimittere.*

Angaria est transitus per publicam viam. Angarus militari via recto itinere pergit. Si Princeps arma, vestes militares, tormenta, machinas tempore belli, aliove transvehere cogeretur. Provinciales boves, plaustra, naves præstare tenebantur, & nemo ab hoc onere, ne Ecclesia quidem, excusari poterat *l.* 10. *C. de SS. Eccl. l.* 2. *C. de navibus l. ult. C. de Fabric.* Eratque munus patrimoniorum *l. ult. D. de mun.* Vox nec græca, nec latina, verum ab utraque recepta est, a Persis primum originem traxit. Persarum consuetudo erat, certis stationibus nuntios constituendi, quorum alter alteri mandata daret, citiusque ad Regis notitiam pervenirent

quos regios tabelliones (nos *postas*) dicebant, qui cum haberent facultatem sumendi ubique equos, obviosque ad præstandum Auxilium cogendi haberent dicti sunt *Angari*, Brisson. *de Regno Pers.* 1. Eadem *Angariæ* significatio occurrit in Barbarorum legibus: *Lex Wisigoth. lib.* XII. *l.* 2. *tit.* 1. prohibet populos oneribus opprimi, *decernentes igitur, & hujus legis nostræ severitate constituentes jubemus, ut nullis indictionibus, exactionibus, operibus, vel angariis, Comes, Vicarius, vel villicus pro suis utilitatibus populos aggravare præsumant.* Lex Bajuvario, *tit.* 1. *c.* 14. *Parafredos donent, aut ipsi vadant ubi eis injunctum fuerit. Angarias cum carro faciant usque ad L. Leugas amplius non minentur.* Imp. Carolus in *lib.* II. *LL. Long. tit.* 44. *l.* 2. Aldiones, & antiquos libellarios vetat a Comitibus publicis servitiis gravari, & explicat quid sit *Angaria*, ibi, *ad ullam angariam, seu servitium publicum vel privatum cogantur, vel compellantur. Sed quicquid ab eis juste agendum est, a domino, vel patrono suo ordinandam est.* D. Bernar. *epist.* 258. D. Greg. *lib.* VIII. *epist.* 35. *indict.* 1. *Et tamen plerumque contingit, ut & cives Babyloniæ in Angaria serviant Jerusalem, & cives Jerusalem, id est cælestis patriæ in angaria deputentur Babyloniæ.* Dicitur ab *ango*, hoc est *cogo*, *compello*, angustiis opprimi, ut sæpe apud Matth. Paris. *in Richar.* 1. *ad an.* 1188. Conrad. Fabariensis *de casibus Monast. S. Galli cap.* 13.

Dic pater angarias mentis, cur dicere tardas?
Vis occultari plagam? non quis medicari.

Arimanna, hoc est mulier *ingenua*, sui juris, non sub tutela aut saltem *libera*. Et Arimannus, nempe *homo ingenuus*; Rex Rachis *lib.* 1. *LL. Long. tit.* 18. *l.* 2. Rex Luitprandus *lib.* 1. *eo. tit.* 25. *l.* 50. Imp. Guido *lib.* III. *eo. tit.* 12. *l.* 5. *Nemo Comes, neque loco ejus positus, neque Sculdasius ab Arimannis suis aliquid per vim exigat, præter quod Constitutum legibus est.* Idem Imperat. *lib.* III. *eo. l.* 3. Rex Rachis *lib.* II. *eo. tit.* 35. *l.* 10. *Si autem amodo præsumpseri cujuscumque servu. Arimannam ducere uxorem, sic exinde detur judicium, sicut in anteriori edicto legitur.*

B.

BAculum erat symbolum, quo quis de abbatia, aut alia sacra, vel profana dignitate investiri, quave eam resignare solebat. Sic Willelmus Abbas resignat prælationem Monasterii S. Remigii, & ad Manassem Archiepiscopum Remorum, scribit, apud Mabillon. *in Analect. epist.* 2. *p.* 251. *Abrenunciamus ergo baculo tuo, abrenunciamus etiam Abbatiæ, non tamen, si tibi placuerit, amicitiæ. Abrenunciamus tuæ prælationi, nullatenus tamen dilectioni.*

Ballivus jure Francico est, qui in provinciis, & majoribus civita-

vitatibus justitiam administrat. Quique Comitum vicem subibat: & aucta Comitum auctoritate, per Ballivum jus dicebant. Jurisdictio Ballivi in Regno Neap. est fures apprehendere, & justitiariis cum re furtiva tradere, exigere pænas ab his, qui mensuras, pondera, atque assisias in rebus venalibus non servant, pænas bannorum non ultra unciam imponere, de parvis furtis, damno ab animalibus dato, levibus criminibus, caussis omnibus, exceptis feudalibus, non ultra duos aureos cognoscere, ut *lib.* II. *Jurispr.* diximus, *lib.* I. *const.* 65. 66. 67. 70. Inter regni Neapolitani Officiales recensetur, Malaspina *lib.* III. *rer. Sicul.* de Carolo I. inquit, *ponit legem regnicolis, novosque Secretos, Justitiarios, Admiratos, Prothomios, & Comites, Portularios, Duanarios, & fundicarios, Juratos, Bajulos, Judices, & Notarios ubique per regnum.*

Balliva, est officium, jurisdictio, præpositura. In legibus Scotorum *Ballivus* idem, ac judex. Matthæus Paris frequentius pro *officio* accipit, ut *Ballivus* Vicecomitis, *Balliva* Monasterii. Aut pro *jurisdictione*, idem Paris *in additam. præcipimus iterato, quod sicut teipsum, & omnia tua diligis, per totam Ballivam tuam clamari, & firmiter inhiberi facias, ex parte nostra, ne aliqua hujusmodi moneta currat in Balliva tua, a tempore, quo hæc clamari facias, & prohiberi.*

Bajulus h. e. tutor, bajulia h. e. tutela.

Bannum dicitur a *ban* voce germanica, hoc est *edictum*, *proclamatio*, Matth. Paris in Henrico III. *ad an.* 1243. *Quorum dux Austriæ novit unum anglicum natione, sed propter quædam, maleficia de Regno Angliæ perpetua bannitione* (hoc est exilio) *proscriptum*. Bannire est etiam *edicto convocare*, Lex Ripuar. *tit.* 67. *Si quis autem post fidem factam sacramenti in hostem bannitus fuerit, si non perrexerit, post xl. noctes. Lib.* III. *capp.* 69. *Quicumque homo nostros habens honores (intelligo feuda) in hostem bannitus fuerit, & ad condictum placitum non venerit quot diebus post placitum condictum venisse comprobatus fuerit, tot diebus abstineat a carne, & vino.* Et lib. IV. *capp.* 25. Significat compositionem, & mulctam, quæ ob spretum bannum fisco solvitur, Carolus Calvus *in cap. tit.* 33. *c.* I. *Salva constitutione, & in postmodum jure firmissimo permanente quæ in capitulari avi, & patris nostri de hoc scripta habetur, quilibet francus homo convictus, quia bannum donarium id est merum, & bene pensantem, post hunc bannum nostrum ejecerit medietatem Francilis* (hoc est liberi hominis) *banni componat*. Hinc *bannum Dominicum*, *Episcopale*, *Francile*, hoc est mulcta, quæ Regi, vel Episcopo, aut pro libero homine solvabatur, Hofman. *h. v.* Bannum itaque est etiam mulcta, quæ infligitur ei, qui edicto non

obtemperavit, qui ad placitum non venit, *Lib.* III. *cap.* 14. v. infra *Heribannum*.

Bannalia, hoc est pænæ, Innoc. IV. epist. ad Episcopum Constanf. in Baluzii Miscel. *to.* VII. *p.* 474. *Episcopalibus juribus suam semper personam benignitate solita confovere volentes, ut condemnationes, seu pænas quæ bannalia vulgariter nuncupantur a Rectoribus, & Clericis Ecclesiarum tuæ diocesis.*

Baro idem est in legibus Barbarorum, ac *homo*; *vir gravis* Chron. Monast. S. Gall. *ad an.* 805. Hoc anno *perrexit Dominus Karolus in Saxonia ad Holdistede & multos barones, & mulieres inde adduxit.* Lex Ripuaria *tit.* 58. *l.* 12. *quod si quis hominem regium tabulariam, tam baronem quam fæminam, de Mundeburde Regis abstulerit lx. sol. culp. jud.* Rex Rhotaris in lib. I. LL. Long. tit. IX. *l.* 3. *Si quis homicidium perpatraverit absconse in barone, libero, vel servo, vel ancilla, & unus fuerit, aut duo tantum, qui ipsum homicidium fecerit, componat DCCCC. sol.* Lingua Gallica dicitur homo *stolidus*, *stultus*, cujus nomen migravit ad calones, seu lixas, hoc est servos militum, Cornutus *Satir. v. Persii*. Cicero pro stolido usurpat, descenditque a græco Βαρεῖς hoc est servulus mercenarius, qui mercede operas locat, Cassiod. *lib.* I. *var. ep.* II. De variis hujus nominis significationibus consule Spelman. *h. v.* Postea pro viro nobili, & militari etiam ætate D. Augustini cæpit usurpari. Denique pro eo, qui feudum a Rege tenet, hominiumque præstat, ut in Neapolitanis Constitutionibus, & in Otthone Frisigense, Murena, a S. Blasio, Fiamma aliisque Italiæ scriptoribus, Otto a S. Blasio *in Chron. cap.* XI. *Post hos Consules, aliarumque dignitatum Barones, cum omnibus liberæ conditionis ordinibus, nudis pedibus, sagis induti, exertis gladiis, collo impositis.* Veniam nempe a Friderico I. petunt. Et *cap.* XIV. *Anno ab incarnatione Domini MCLX. Fridericus Imperator convocatis omnibus Italiæ Baronibus, generalem Curiam apud Roncaliam, cum Maximo Principum conventu celebravit.* Et regalia restitui sibi jussit. Etiam *in cap.* XXI. XXVIII. *xlii. xlvi.* & alibi meminit. In Regno Aragoniæ dicuntur *homines Rici*, qui scilicet numero vasallorum instruuntur, & Regem in bello adjuvant. In Francia, qui vexilla in exercitum educunt, suisque vasallis pro Rege in bello pugnant. Præter eos, qui barones majores dicuntur, qui eadem fere privilegia, ac pares Franciæ gaudent. v. Dufr. *h. v.* & Hofman. *eo.*

Baronia est prædium, vel castrum quod jure feudi a Rege tenetur: Baronagium est Baronum, seu magnatum ordo, ut in Constitutionibus Regni Neapolitani occurrit. Hinc Baroniæ sunt Regaliæ, quas Episcopi vel Prælati a Regibus tenent. Westmonast. *ad an.* 1245. *Be-*

Beneficium, idem ac *feudum*, prædium fiscale, quod a Rege jure feudi tenetur. Annales Fuldenses *ad annum* 850. *Borac natione Nordmannus, qui temporibus Hludovici Imperatoris cum fratre Harialdo vicum Dorestadum jure beneficii tenuit*. Et ad *an.* 881. *Rex post pascha in Galliam profectus Hugonem Hlutharii ex Waldrata filium ad se venientem in suum suscepit dominium, & ei abbatias, & Comitatus in beneficium dedit, ut ei fidem servaret*. Carolus Calvus in Cap. apud Compendium to. II. Capp. ex Baluzii editione *Cap.* 3. *Ut missi nostri per singulas parochias una cum episcopo parrochiæ requirant de Capellis, & abbatiolis ex casis Dei in beneficium datis, qualis census inde exeat, ut Ecclesia de qua sunt, exinde vestituram habere possit & nobis renuncient, ut hoc nostra auctoritate commendetur, atque firmetur, & secundum qualitatem, & quantitatem loci Clericos, & luminaria ibi ordinent, & loca restaurari faciant*. Tunc Principes, assiduis impetiti bellis bona Ecclesiæ militibus in feudum dabant. Regino *lib.* I. *de Eccl. disciplin.* (ex Cap. lib. I. 40. Ludovici Imp.) *cap.* 36. *qui nonas, & decimas dare neglexerit primum quidem illa cum lege sua restituat, insuper & bannum nostrum solvat, & ita castigatus caveat ne sæpius iterando beneficium amittat*. Hinc *beneficiare*, *inbeneficiare*, idem ac infeudare, Chron. Laurisham. *p.* 133. & p. 146. de Adelberto Abbate, *decimas etiam in Winenheim cum Molendino Dominicali, & decimas in Henischeshseim ne beneficiarentur ab ipsis biantium faucibus dato pretio redemptionis extraxit*.

Bunvaria, hoc est modius terræ arabilis, unde mansus, qui XII. bunvaria, hoc est duodecim modios habet, Imp. Lotharius *lib.* III. *LL. Longob. tit.* I. *l.* 46. *Si forte in alio loco Ecclesia sit constructa, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundum jussionem Domni, ac Genitoris nostri unus mansus cum* XII. *bunvariis de terra arabili detur*. Regino *de Eccl. disciplin. lib.* I. *cap.* 13. *Investigandum si habeat ipsa Ecclesia mansum habentem bonvaria duodecim præter cimiterium, & curtem, ubi Ecclesia, & domus presbyteri continetur, & si habent mancipia quatuor*.

Burdatio, vox apud D. Greg. *lib.* I. *indict.* IX. *epist.* 44. ad Petrum Diaconum Patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia Curatorem, *Præterea cognovimus, quod prima illatio burdationis rusticos nostros vehementer angustat, ita ut priusquam labores suos venumdare valeant, compellantur tributa persolvere*. Ibi Gussanvilæus intelligit esse *tributum*, *pensionem*, a Burdis, aut burdionibus, seu mulis, qui hæc onera ferebant. Alteserra vero interpretatur pensionem a rusticis præstitam prædii nomine.

Capi-

C.

C*Apitale*, hoc est census pro capite, vel rei furatæ æstimatio. Sed præcipue pro capite census, qui quatuor denariorum erat. *Arduum*, *magnum*, *præcipuum*, unde Capitaneus in jure feudorum. Ekkehardus *de casibus monasterii S. Galli cap. 16. Sic ille dominus noster omni tempore, quo vivit, quem subrogari sibi vult, nihil CAPITALE absque ejus nutu faciat.*

Castellanus, custos Castri, seu qui ob feudum Castro senioris præest *lib.* I. *const.* 89. In Gallia est, qui castellum habet, mero, mixto imperio fruitur, & castellum jure feudi possidet, Innoc. IV. *Epist. ad Caricampum Cisterc. ord. Abbatem*, *Dioecesis Ambianensis*, in Balut. Miscel. *to.* VII. *p.*447. *mandamus quatenus si qui cruce-signati terrarum castellaniarum*, *seu feudorum Joannis primogeniti*, *ac aliorum filiorum quondam Hugonis Comitis Sanctis Pauli*. Apud Germanos, Gallos, Belgas Oppida etiam suos *Castellanos* habebant, quos franchi *Vicecomites*, Germani *Burgravios* dicebant, quibus *feuda* adnexa erant. Plures in Brabantia fuere, quas Miræus *in donat. Belg. c.* 18. recenset, & jus etiam dicebant.

Centenarius est minor judex, qui per centenas, seu parvos districtus, vicosque jus sub Comite dicebat. Quælibet enim provincia sub Francis in Comitatus: Comitatus in centenas: centena in decurias: decuriæ in septenas, & quintenas dividebatur, Sirmund. *ad cap. Caroli Calvi tit.* XIV. *c.* 13. Lex Alemannica *tit.* XXXVI. *Conventus autem secundum antiquam consuetudinem fiat in omni centena coram Comite*, *aut suo misso*, & *coram centenario*. Lex Wisigoth. *lib.* IX. *tit.* II. *l.* 3. *Si quis centenarius dimittens centenam in hostem*, *ad domum suam refugerit*, *capitali supplicio subjacebit*. *Quod si ad altaria sacra*, *vel ad Episcopum confugerit*, *trecentos solidos reddat Comiti Civitatis*, *in cujus est territorio constitutus*, & *pro vita sua non pertinescat*. Et assidue in omnibus Barbarorum legibus experimur. Has decanias, centenas, similesque in feudum concessas invenimus.

Campio, idem ac pugil, pugnator, gladiator, qui in campum, seu arenam pro alio descendebat, eratque vir infamis, emptitius, conductitius, cujus arma erant baculus, & clypeus *lib.* II. *Const. Regni* 37. Consuetudo Germanis, aliisque post R. Imperium gentibus, dubias controversias privata auctoritate armis, duelloque dirimendi. Et qui forsitan pugnare non poterat, ut æger, mulier, clericus, senex, aut inæqualis conditionis, pro se *campionem*, seu conductitium hominem exhibebat. Lex Anglica *tit.* XIV. *Si mulier maritum veneficio dicatur occidisse*, *vel dolo malo ad occidendum prodidisse*, *proximus mulieris campo eam innocentem efficiat*: *aut si* cam-

campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur. Lex Baiwarior. *tit.* 2. *l.* 12. Et *tit.* VIII. *l.* 3. Furtum equi, vel pecuniæ, vel mancipii, aut jurejurando cum XII. sacramentalibus probari jubet, *aut duo campiones propter hoc pugnent*. Tit. IX. *l.* 4. constituit incendium culpa, dolo, vel casu factum probari, aut cum XII. Sacram. aut *cum campione se defendat*, & alibi. *Lib.* I. *LL. Long. tit.* I. *l.* 7. Dicitur a *campo*, seu agro, in quo pugnabatur, unde in his legibus *campo dijudicare*, *campo contendere*. Quæ consuetudo etsi Principibus, & Ecclesiæ Conciliis displicuisset, nunquam prohibuere potuerunt, ut Rex Rotharii *in Lib.* I. *LL. Long. tit.* IX. *l.* 23. fatetur, ibi: *Quia incerti sumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa caussa suam caussam perdere, sed propter consuetudinem gentis nostræ, Longobardorum legem impiam vetare non possumus*. Ant. Matth. *Analect. to.* III. *p.* 215. *to.* II. *p.* 560. *to.* V. *p.* 206. & 557.

Colonica, hoc est villa, quadam agri mensura circumscripta, quantum unus colonus colere potest, rusticum habitaculum cum sufficienti prædio, quantum usus colonus ali poterat, nec a *manso* differt, sæpiusque promiscue usurpatur, Bignon. ad Marculf. *lib.* I. 30. *Colonica vestita* est mansus, seu prædium rustica suppellectile, scilicet mancipiis, colonis, armentis, instrumentis instructum, Maistre *de bonis Eccl. lib.* III. *c.* I. Unde *colonus*, qui vel mercede colit, vel certam ex agro pensionem solvit. Jus *colonarium* sumitur pro jure exigendi a colono hanc annuam pensionem, D. Georg. *in epistolis*. Colonus ecclesiæ erat liberæ conditionis, Lex Alemannica *tit.* IX. *quicumque liberum Ecclesiæ quem colonum vocant, occiderit, sicut alii Alemanni ita componatur* & *tit.* XXII. & LVII. Lex Baiwar. *tit.* I. 14. colonos a servis ecclesiæ distinguit, *de colonis, vel servis ecclesiæ, qualiter serviant, vel qualia tributa reddant, hoc est agrarium secundum æstimationem judicis, provideat hoc judex: secundum quod habet donet. De triginta modiis tres donet, & pascuarium desolvat secundum usum provinciæ*. Imp. Carolus *lib.* II. *LL. Long. tit.* 32. *l.* 6. Jus *colonaticum* est servitium, quod colonus, sive Ecclesiæ, sive privati, sive Regis præstat. Ex his colonis, quos quisque in suis prædiis habebat, nata est *jurisdictio patrimonialis*.

Conjectum est genus *tributi*, *collecta*, *contributio*. Imp. Ludovicus *lib.* III. *LL. Long. tit.* I. *l.* 38. *Et missi nostri, qui vel Episcopi, vel Abbates sunt, aut Comites, usque quo infra tuam judiciariam, vel terminum fuerint, nihil se alterum conjectu accipiant. Postquam vero inde longe trecesserint tunc accipiant, quod in sua tractoria continetur*. Ubi *tractoria* idem ac diploma, seu littera, qua cursu publico utendi facultas dabatur, diemque certum continebat,

nebat, intra quem veredis uti licebat, conf. Cujac. & Perez *ad tit. C. de tractoriis*, & *stativis*. Hoc genus Tributi in magnis Reipublicæ necessitatibus indictum videtur, dictumque quasi tumultuarie, & per modum conjectionis, seu per symbolam conferretur. Hinc Gregor. Turon. *lib.* VI. *c.*45. vocat *conjecturas*. Aetate Caroli M. cognitum, & præcipue anno 924. quo res Galliarum armis Nortmannorum vehementer attritæ erant, Flodoard. Hist. *Eccl. Rem. lib.* III. *c.* 19. *Item ad Ludovicum Regem filium bujus Karoli, quem unxerat, & consecraverat, de conjecto Normannis dando*. Altefer. *Rer. Aquitan. to.* II. *lib.* VIII. *c.* II.

Consultum idem est ac *consilium*, diploma Caroli Carvi apud Flodoard. *lib.* III. *Hist. Remen. c.* 4. *Si petitionibus fidelium nostrorum, maxime domini sacerdotum, præcipue in bis, quæ Ecclesiasticis utilitatibus possunt præbere consultum, benignum commodamus assensum*. Idem *lib.* II. *c.* 19. ubi Ludovici Imperatoris litteras refert. In jure feudorum *pignus* ostendit.

Cucurbitare uxorem alicujus, est adulterio polluere. Proprie de vasallo, qui uxorem senioris adulterio polluit, & instar cucurbitæ inflat, seu impregnat, I. *f.* 5. II. *f.* 38.

Concabium, hoc est *permutatio*, concambiare, *permutare*. Lex Salica *tit.* 39. Lex Alemannica *tit.* 20. *Nullus presbyter, nec aliquis Pastor Ecclesiæ potestatem babeat vendendi Ecclesiasticam terram, nisi contra aliam terram: nec mancipium, nisi contra aliud mancipium receperit. Et si concambium fecerit, aut de mancipio, aut de terra, semper epistolam firmitatis faciat, ut contentio non fiat nec Ecclesia perdat, quod legitime possidere debeat*. Exhibet formulam Marculf. *lib.* II. 23.

Casamentum, idem ac *feudum*, quod a casa dominica dependet, Fulbertus Carnat. epist. VI. *commendationem vestrorum militum, qui de nostro casamento beneficium tenent*. Charta apud Balut. *Miscel. t.* III. *p.* 118. *Affirmans etiam eundem Franconem aliquas villulas, & quosdam vasallos, casatosque, ut nominant, ex præfixo Monasterio* (Anisolæ) *ad suum opus, dum advixit, retinere*. D. Bernard. epist. 39. *scripta an.* 1127. *Nostrum quoque, ac vestrum pariter Episcopum, id est Lingonensem, abundantiori, ut decet bonore suscipiatis, & de casamento quod tenetis bominium, quod debetis reverenter & bumiliter offeratis*. Dicitur a casis, hoc est domibus, & casatus idem ac *vasallus*, qui hoc feudum tenet, *v. servus*.

Camera, vox non germanica, ut putavit Lipsius, sed satis latina, qua Varro, & Val. Maxim. utuntur. Idem ac *ærarium*, *gazophylacium*, *repositorium*. Paris in *Henr.* III. *an.* 1252. *Ecclesiasticum beneficium meruit charitatis intuitu reportare, tale videlicet be-*

beneficium, quale de camera Prælati alicujus. Hinc feudum de *camera*, ubi quis ob fidelitatis meritum nummos accipit ex ærario, thesauro, seu camera Domini. Significat etiam Regis *fiscum*, diploma Caroli M. apud Ughell. *to.* v. *p.* 174. *Ut nullus Dux, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Judex, Scaldio, nullaque nostri regni persona parva, vel magna inquietare, vel divestire præsumat . . . mille libras auri, medietatem Camere nostre, & medietatem jam dicto Episcopo.* Mabillon. & Heumannus opinantur, vocem *Camera* ante Ottonem I. non obtinuisse, & diplomata, quæ hanc vocem usurpant, veritate laborare.

Camerarius, est officialis, cui Thesauri, sive Cimeliorum Regis cura concredita est: dignitas in palatiis Regum. In Regno Neapolitano est, qui redituum fiscalium curam in provinciis habet, & ad Regis Cameram, seu fiscum defert. Hinc Hugo Falcandus, *Camerarii Calabriæ, & Apuliæ* meminit.

Caneva, *Cavena*, *Canava* idem sunt. Alii a voce gotho-saxonica *Caame*, hoc est locus, ubi *grex* custoditur: alii a *cavitate*: alii quasi *cameram avenæ* derivant. Quidquid sit, omnes pro *cellario*, *penuario*, *horreo* accipiunt, in quo vinum, frumentum, vel annona Principis, vel domini asservatur. Unde *feudum Cavenæ*, hoc est impropria clientela, quam vasallus a domino sub condirione fidelitatis, & servitii accipit, & quotannis ex cellario, horreo, vel penuario tot vini amphoras, tot frumenti modios, aliave percipit.

Curtis, vel *cortis*, hoc est *locus septus*, *villa mœnibus cincta*, *aula regia*, *locus, ex quo reditus ad aulam pertinet*. Alii a *Cors*, quod locum conclusum sub dio, ante ædes, præsertim Principum: alii a voce Gothica *Gord*, vel *Goerde*, quæ locum *septum* significat, repetunt. Schilterus, & Rehfeld a *Chortar*, vel *Chortres*, Germanis, *gregem*. In legibus Barbarorum *domum*, & *territorium* significat, ut *Curtis regia*, *curtis publica*, *curtis dominica*, *curtis monasterii*, *curtis stabularia*, passimque Goldastus ad *Conradum de casib. Monast. S. Galli*, & Vadianus de *vocibus German.* advertunt. Lex Aleman. *tit.* 81. *Si quis domum intra curtem* (hoc est villam) *incenderit, aut scuriam* (locus, ubi fænum reponitur) *aut graneam, vel cellaria, omnia similia restituat, & cum* XII. *sol. componat*. Lex Burgundionum *tit.* 23. 1. *quicumque animal de messe vel de quolibet damno incluserit, & ante æstimationem damni præsumptione, & arbitrio suo, is, cujus animal est, de curte* (hoc est stabulo) *per vim tulerit, inferat illi cui vim intulerit, sol.* VI. Et damni restitutionem. Lex Baiwar. *tit.* VIII. 2. *Et si in Ecclesia, vel intra Curtem Ducis, vel intra basilicam, vel in mulino aliquid*

 fura-

furaverit, *triniungeldo componat*, *hoc est ter novem reddat : quia istæ quatuor domus casæ publicæ sunt*, *& semper patentes*. *Et tit.* II. 13. Hujusmodi villæ, & territoria in feudum dari solebant: hinc *feudum curtis*, & *extra curtem*. *Feudum curtis*, quid sit, dissentio est. Aliis placet, quod vasallus in senioris territorio possidet. Aut, quod major pars castri, vel pagi ubi feudum situm est, pertinent ad seniorem, qui in eo curiam habet. Aut, quod in re ad ipsam senioris curiam pertinente constituitur. Et suadet: nam feudum in curte est clientela in territorio feudali, certo loco assignata, ubi jus, & regimen obtinet. Territorium vel est *feudale*, & vasallos, vel *civile*, & subditos respicit. Feudum *extra curtem* est, quod extra territorium senioris extat, ut intelligendum quod *in jurispr. de hoc feudo* dixi, seu clientela, & res infeudata a domino extra territorium, & jurisdictionem possessa, vasallo sub lege fidelitatis, & servitii concessa. De his Christianus Rehfeldtius, Guil. de Goebel, Ludovicus Boehmerus, & Gotlieb Franckius disputant.

Comes jure Romano olim dicebatur, qui Proconsules, vel Prætores in provincias euntes comitabatur, ut quæstor, legatus, scriba, ut passim Svetonius. Postea hæc vox ad Magistratus urbanos, & provinciales referri cepit. Ut Comes Orientis, rei militaris, primi, secundi, & tertii ordinis, Occidentis, cui octo Comites præerant. Comes scholarum, sacri stabuli, aliique, quos Buleng. *de Imperio Rom. lib.* IV. *c.* 24. *& seqq.* & nos *in proleg.* In media ætate comes, vel civitates, vel provincias, vel loca maritima, vel pagos civili, & criminali auctoritate regebat. Lex Wisigoth. *lib.* II. *tit.* I. *l.* 12. *nullus judex caussam audire præsumat*, *quæ legibus non continetur*, *sed Comes civitatis*, *vel judex*, *aut per se*, *aut per exequutorem suum conspectui Principis utrasque præsentare partes procuret*. Et Lex 31. *eo. Comitis civitatis* meminit, & passim in legibus Wisigothorum occurrit. Lex Aleman. *tit.* I. 18. *&* 84. Lex Longob. *lib.* II. *tit.* 43. *t.* 3. *tit.* 45. Lex Wisigoth. *lib.* VIII. *tit.* I. *l.* 9. De *comitibus provinciarum* disponit, Bignon. ad Marculf. *lib.* I. 8. Territorium in quo jus exercebatur, dicebatur *Comitatus*, & Imp. Ludov. *lib.* II. *LL. Longob. tit.* 43. *l.* 3. Et *lib.* II. *capp.* 18. *ministerium* vocat. Olim simplex justitiæ administrator, precario jure regebat, postea feudalis, & ad heredes trasmitti cepit, quod non nisi seculo IX. & X. hereditarius evasit.

D.

D*iffidare*, est bellum, vel inimicitiam tanquam per fecialem indicere, Paris *in Henr.* III. *an.* 1233. *Rex de Consilio Episcopi Wintoniensis*, *Mareschallum diffidavit per Episcopum Menevensem*;

sem; & sic jussit contra eum arma movere. Quasi extra fidem ponere, vel *fidem seponere*. Littera Henrici III. ad Barones Angliæ ap. Parif. *in ejus vita an.* 1264. ibi *inimicos diffidamus*. Idem ac *diffiduciare*.

Duellum, græce *monomachia*, lib. II. Constit. Regni Neap. 32. 33. In dubiis litibus Barbari undique in Europa duello certabant, quibus nec lex imperii, nec canon populis immanitate feris mederi potuit. Justum, injustumque in armis collocabant, licet victus ad judicem appellare potuisset. Recte Paterculus de Germanis ait *armis lites suas discernere*. Pœna tamen in duello succumbentium erat novissimum supplicium, aut membri debilitatio pro criminis qualitate. Ludovicus V. Franc. Rex apud Balut. *t.* II. *Miscell. p.* 186. veritatem, aut testibus, aut sacramento, aut duello probari permittit. Henricus Imp. *lib.* I. *LL. Longob. tit.* I. *l.* 9. ubi de iis, qui veneficio homicidia committunt, sanxit. *Si quis vero prædicti criminis, aut de facto, aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum si liber est: si vero servus, per judicium ferventis aquæ detendat se*. Elegans exemplum præbet Lucas Archery *in notis ad Guibertum Abbat. p.* 661. Alexander III. Pontifex *in Epist.* ad Upsellensem Archiepiscopum, suosque suffraganeos in Gothia, & Svetia constitutos, apud Petrum Cellensem *p.* 206. de hac consuetudine conqueritur, *ferventis vero aquæ, vel candentis ferri judicium, sive duellum, quod monomachia dicitur, catholica ecclesia contra quemlibet etiam, nedum contra Episcopum non admittit. Unde Stephanus Papa v. ferri candentis, inquit, vel aquæ ferventis examine, confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones, & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Item Nicolaus Papa, monomachiam in legem non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus: quam licet inesse quosdam legimus, sicut sanctum David, & Goliam sacra prodit Historia, nusquam tamen ut pro lege teneatur, divina sanxit auctoritas, cum hoc, & hujusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur*. Non pro qualibet caussa, sed graviori indicebatur. Postea ad quatuor caussas, cum aboleri non posset, reductum est, scilicet pro crimine capitali, crimine manifesto, reo notorie accusato, & infamia laborante & crimine, quod per testes probari non posset. Sic *cum Henrico de Essexia, de proditione Regis, singulari certamine congrediens, victoriam reportavit. Qua de caussa Henricus notam infamiæ simul, & exheredationis* (hoc est privationis feudi) *jacturam incurrens, indulgentia Pii Regis, apud Radingum, habitum monachalem suscepit*, inquit Paris *in Henr.* II. *an.* 1163.

Dominicum, hoc est Regis *domanium*, apud Anglos *antiquum dominicum* est terra, quæ ad Regem spectabat ætate Edwardi confessoris, aut Willelmi Nothi, quæ in *Maneriis* hoc est dominio, descripta erat. Aut cujusque privati *dominium*, hinc *dominicare* est jure proprio possidere, *dominicatio*, est *dominium*, *possessio*. Sæpe dicitur *dominicatura*, hoc est possessio, dominium, prædium, charta apud Balut. *t.* I I. *misc. p.* 201. excepta *de dominicatura*, *& de mensa domini*. Lex Aleman. *tit.* 32. *Si quis de rebus, quæ ad Ducem pertinent, aliquid furatus fuerit, ter novigeldos* (hoc est 27. mulctas) *componat: & ibi fredum* (pænam fisco debitam) *non reddat, quia res dominicæ sunt, & tripliciter componuntur*. Liber IV. *capp. franc.* 34. ubi de domanio Regis, seu patrimonio, contractu, vel successione adquisito agit. *Si quis proprium nostrum, quod in vestitura Genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra jussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicumque illud scienter, per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit: Et ideo secundum nostram voluntatem, & potestatem dijudicandus est*. Nam Princeps bona coronæ, fiscalia, & suum patrimonium possidet, de quo Theganus *in vita Ludovici Pii c.* 9. *In tantum largus, ut antea nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum est, ut villas regias, quæ erant sui, & avi, & tritavi fidelibus suis tradidit eas in possessiones sempiternas* (non tamen feuda tunc hereditaria erant) *& præcepta construxit, & annuli sui impressione cum subscriptione manu propria roboravit*.

Dotalitium, *doarium*, *dotarium* est dos, quam vir uxori constituit, nec alienare poterat, nisi vir consensisset. Sic *an.* 1235. 22. *Febr. ind.* 8. Fridericus II. Isabellam sororem Henrici III. Regis Angliæ in uxorem ducit, & Petrus de Vineis pacta, & juramenta nomine Imp. recipit, ubi dotarium assignatur, ibi, *ipse dominus meus Imperator, die nuptiarum, prout juris, & moris est, per annulum assignabit eidem Dominæ dodarium supradictum*, scilicet in Valle Mazaræ & Honore S. Angeli. Et si sine liberis Imperator decedat, *tunc secundum Regni Siciliæ consuetudinem sit in electione Dominæ supradictæ, utrum velit supradictum dodarium in vita sua tenere* (*salvo jure, & servitio ipsius dodarii debito, & exhibendo heredibus Domini Imperatoris in Regno*) (intelligit Const. *mulier lib.* III. 15.) *vel supradicta triginta millia marcarum recipere, Domino Imperatori pro dote exoluta*. Heuman. *to.* III. *de re diplom. c.* 5. §. 145. De quibus nuptiis agit Paris *in Henr.* III. *an.* 1235. Sic Hildegardis Regina de Gente Svevorum Caroli M. uxor, *an.* 783. *in-*

indict. VI. donat Abbatiæ S. Arnulphi partem sui dotalitii, *voluntate, & permissu domni, & gloriosi Magni Imperatoris Caroli ad basilicam, quæ est constructa in honore Sancti Jacobi Apostoli, vel ceterorum beatorum apostolorum, ubi scilicet Arnulphus pretiosus corpore quiescit, partem dotalitii, ab ipso piissimo Imperatore nobis concessi, hoc est Vacarias, & subtus curtem sitam in Ducatu Moslinge, in comitatu matensi, una cum appendiciis*, apud Heumannum *de re diplomat. to.* III. *cap.* II. §. 41. Jure Gothico erat decima pars bonorum mariti, *lib.* III. *LL. Wisigoth. tit.* I. *l.* 5. Jure Longobardico, quarta ex lege Luitprandi *lib.* I. *LL. Long. t.* IV. Jure Romano, & Neapolitano, tertia, *lib.* III. *const.* 13. 15. 16.

Dissaisire, *dissaisiare* est possessione exuere, propria auctoritate dominum expellere Order. Vital. *lib.* VIII. *pro terra matris suæ qua Rex eum dissasiverat.*

Dux jure Romano dictus, qui universo exercitui præesset *l.* 5. *D. de pactis*. Aetate Taciti, erat militum præfectus. Sub Alexandro, commodo, probo, ceterisque limites imperii a Barbarorum incursionibus curabat. Hinc Dux *limitaneus*, & Ducatus idem ac limitum *præfectura*, criminali, & civili potestate gaudebat: dixi *in prolegom.* Buleng. *de Imperio Rom. lib.* IV. *c.* 33. Jure Germanico, & Longobardico in Italia *Dux* provinciam olim titulo administrationis, qui nutu Regis amoveri poterat, postea *in feudum* habere cepit, ipsamque provinciam sub lege fidelitatis, & servitii possessam, *Ducatum* dicimus. *Lib.* II. *LL. Wisigoth. tit.* I. *l.* 26. quæ, cum Magistratus Hispaniæ sub Gothis recenseat, referam, *quoniam negotiorum remedia multimodæ diversitatis compendio gaudent, ideo Dux, Comes, Vicarius, pacis assertor, tynphadus, millenarius, quingentenarius, centenarius, decanus, defensor, numerarius, & qui ex regia jussione, aut etiam ex consensu partium judices in negotiis eliguntur.* Et passim in legibus Wisigothicis occurrit. *Lib.* V. *capp.* 215. meminit Ducis, qui *provinciam* regit, idemque *lib.* II. *LL. Wisig. tit.* I. *l.* 17. constituit, ibi *caussa pervenerit ad provinciæ Ducem*. Verum Dux minor, & major erat: major provinciæ, minor civitati præerat. Carolus M. paucos ducum provincialium titulos concessit, ceteros Duces urbanos Comites vocari sanxit, Heumannus *de re diplom. to.* I. *c.* II. §. 55. *n.* 15. Formulam conferendi ducatum refert Marculf. *lib.* I. 8. & Lindenborg. *de formulis* 33.

Dos est pecunia, qua uxor marito tradit ad sustinenda matrimonii onera. Apud Barbaros nemo nuptias fere contrahere poterat, nisi Princeps consensisset, conf. Launov. *tract. de potest. reg. super matrim.* Magnates, Comites, Duces, Marchiones sæpe feuda,

da, titulo dotis dabant, unde feuda in alienas familias transire cœperunt. Sed in Germania, & Nortmannia maritus uxorem dotabat, Willelmus Gemmetic. *Hist. Nortman. lib. v. c.* 10. *Temporibus denique sub eisdem Odo carnotensis Comes quandam Ducis* (hoc est Richardi II. Nortmanniæ Ducis) *nomine Mathildem cum multimodis muneribus a fraterna domo auferens, sibi in matrimonio legitime copulavit. Cui Dux medietatem Dorcasini castri dedit dotis nomine.* Anno 862. Carolus Crassus plura a Ludovico ejus patre accepit, ut Richardum uxorem dotare posset. Anno 938. Lotharius Imp. Adelheidam Rudolphi Regis filiam duxit in curtibus, mansis, atque Abbatiis constituit, *dominium*, etiam cum potestate donandi, vendendi, & permutandi constituit, apud Heuman. *loc. cit. to.* 111. §. 76. & 225. ubi alia refert exempla.

E.

EXheredare in media ætate ostendit *feudo privare*, Robertus a Monte *in append. ad Sigebert. an.* 1163. *Bellum Robertus de Monteforti cum Henrico de essessa pro fuga prælii contra Gualenses, in quo isdem Henricus defecit, & exheredatus, factus est monachus Radingis.* Et ad *an.* 1173. *Gaufridus de Poentio, & Bonus Abbas de Rugejo, & alii exheredati de Media, & de Andegavensi pago.* Hoveden *Annal. Angl. de Henrico* 1. *Willelmus Comes de Moretunio exheredatus est de tota terra sua, quam habuit in Anglia.*

Effestucare, est *refutare*, *dimittere*, *rejicere*. Olim investitura, prædiorum, atque urbium, aliarumque possessio traditione festucæ, vel virgæ celebrabatur. Dum videlicet Dominus ex suo prædio ramum arboris, vel terræ glebam novo domino tradebat, illum de prædio investire censebatur. Donatio Comitissæ Matildis Ecclesiæ Romanæ facta apud Baron. *an.* 1102. *Illa bona mea ex integro ab hac die, eidem Ecclesiæ dono & offero, & insuper per cultellum, festucam nodatam, Guantonem, & Guarrascionem terræ atque ramum arboris: & me exinde foras expuli garpini, & absentem me feci.* Ubi, putante Vossio, legendum *Garpivi*, quod est *jacere*, quasi Comitissa se illis bonis expoliabat, & Ecclesiam investiebat. Nam sicut festucæ traditione, & investitura possessio tradebatur, quæ dicta est *infestucatio*, ita per festucæ reditionem, possessionis refutatio intelligitur, & *effestucatio* dicta est. Otto Frisigen. *lib.* 1. *c.* 8. *Conditio autem pacis talis fuit, ut Bertoldus ducatum effestucaret.*

Excadentiæ dicuntur bona, quæ vacant, a cadendo, quasi a possessore ceciderint, possessorem ob lineæ interitum non habent. Passim in legibus Neapolitanis occurrunt. Et Baro licet feudum inconsulto Rege alienare non possit, tamen excadentias, & bona reditia suæ Curiæ devoluta *locare*, hoc est iterum infeudare sine Regis assensu potest, *lib.* 111. *const.* 5.

Fel-

F.

F*Ello*, hoc est *rebellis*. Carolus Calvus *tit.* xxvii. *cap.* 15. *Non tibi sit curæ, Rex, quæ tibi referunt illi fellones, usque ignobiles*. Matth. Paris *ad an.* 1213. *Tunc Rex Francorum rem diu desideratam intelligens, accinxit se ad pugnam, atque omnes suæ ditionis homines, Duces videlicet, Comites, & Barones, milites, & servientes, cum equis, & armis jussit in octavis Paschæ sub nomine Culvertagii* (hoc est leodi sub militari servitio) *apud Rothomagum ita potenter convenire, ne crimine læsæ majestatis damnum exheredationes incurrere viderentur, vulgarites sub nomine felonis*. Cujacius deducit a græco φήλωτις, hoc est fallacia. Alii a *fefelli*. Rectius a Anglo-saxonica *felo*, quæ perfidum, & perduellem hominem notat. *Felonia* est proprie delictum vasalli, propter quod feudum amittit. Jure Anglico ostendit omne capitale crimen, infra læsam majestatem, ut rapina, incendium, homicidium, latrocinium, & similia, quæ vitæ privationem merentur.

Feoffare, hoc est *investire*, *infeudare*, *immittere in feudi possessionem*, Paris *in Additam.* ibi: *Si aliquis forestarius capitalis de feodo, attraxerit sibi terras, maritagia, & gardas* (custodias nobilium orphanorum) *sine assensu regio, quæ pertineant ad ipsum occasione forestæ si inde aliquem feoffaverint, sine assensu domini regis. Item inquiratur, si aliquis capitalis forestarius de feodo, feofaverit aliquem alium de balliva sua, vel de aliqua parte ballivæ suæ, sine voluntate domini Regis*.

Fidelis, idem ac vasallus, qui feudum tenet, sicut in legibus francorum sumitur. Burkard. *de casib. mon. S. Galli c.* viii. *In hac pestilentia fideles hujus ecclesiæ inter se possessiones nostras dividebant, ministeriales optimos mansus curiarum nostrarum eligebant. Cellarii ecclesiæ jura villicationis in modum beneficiorum habere contendebant.* Mussati in *Hist. Aug. lib.* iii. *rubr.* 7. *Optio sit Patavinæ Communitati quatuor eligere, quos maluerit, fideles dumtaxat imperii*.

Festuca est symbolum traditionis, vel translatæ possessionis. Hanc venditor emptori tradebat, ut eum possessio translata ostenderetur. Hæc traditio facilius fieri poterat, cum festuca obviam cuique occurrat. Forsitan Barbari ad Romanorum stipulationem respicere voluerunt. Nam proprie *festuca* est stipula quam possessori in signum adepti dominii tradebat. Proinde *festucare*, infestucare, exfestucare est rem tradere.

Fidelitas est jusjurandum, quod vasallus suo seniori præstat, domi, militiæque adjuvandi, serviendi, nec in bonis animi, corporis, & fortunæ lædendi. Duplex est: una, quæ a vasallis, qui feuda possident; altera a civibus præstatur. Vasallus si est etiam

civis

civis ad duplicem fidelitatem, qua vasallus, & qua civis, tenetur; civis vero unam dumtaxat præstat. Osius ad Mussat. *lib.* I. *Hist. Aug. rubr.* 4. *v. jusjurandum, sacramentum, homagium*.

Faida, hoc est *privata inimicitia*. Lex Saxonica *tit.* II. §. 4. *qui hominem propter faidam in propria domo occiderit capite puniatur*. Rex Rotharis *lib.* I. *LL. Long. tit.* VII. *l.* I. *De plagis, & compositionibus plagarum, quæ inter liberos homines evenerint, per hunc tenorem, sicut subter annexum est, componantur, cessante faida, id est inimicitia*. Exemplum refert D. Greg. Turon. *Hist. lib.* VII. *c.* 47. satis prolixum, idcirco abstineo. Regino *lib.* II. *de eccl. discipl. c.* 5. §. I. *Est in hac parræchia homicida, qui hominem aut spontanea voluntate, aut cupiditatis, aut rapacitatis caussa, aut casu, aut nolens & coactus, aut pro vindicta parentum, quod faidum dicimus aut in bello, aut jussu domini, aut proprium servum occiderit*. Hunc abusum nec lex Imperii, nec Canon abrogare potuit.

Follis, hoc est stultus apud veteres Gallos, Willelmus Abbas epist. II. id Menassem Remorum Archiepiscopum, *apud Mabillon. in Analect. p.* 254. *Nisi enim ego follis fuissem ad te tam immitem, tam trucem, tam violentam, tam immanem bestiam non venissem. Et certe omnino stupendum fuit, ut qui follis extiti, ad te veniendo non fierem follior, sub tua tiirannide remanendo*.

Feudum, seu *feodum*, vel *pheudum*, *fedum*, *phaedum*, *fevum* in antiquis Angliæ legibus, idem est ac *stipendium*, *merces*. Hinc plurimi in legibus Malcomi II. sunt tituli *de feudis*, seu stipendiis Magistratuum, atque Officialium, ut feudum Cancellarii, Camerarii, Justitiarii, & similium, Maistre *de Decimis lib.* I. *c.* 8. Nam prima hujus vocis origo videtur fuisse *fe-od*, hoc est fundus stipendiarius, postea ætate Malcomi *feudum* quamlibet mercedem, & salarium significavit, putavitque Gebeverus olim non *feuda*, sed *feoba* scriptum. Nonnulli deducunt a *fe stidondium*, & *ode fundus*, quæ vox Germanis, atque Alemannis familiaris est. Alii a voce saxonica *feoh*, hoc est *salarium*. Quidquid sit feudista a *fide* derivat, quæ feudi essentiam constituit. Dissentio quoque est, quanam ætate nata sit? Schurfleischius disser. de Conrado Imperat. nec in chartis Pipini, Caroli M. Ludovici Pii, Lotharii I. Ludovici II. Caroli Calvi, & Caroli Crassi se legisse contendit. Freherus in notis ad legem de *expeditione Romana*, quam male Carolo Crasso tribuit, ævo Friderici I. simul cum feudorum usibus natam asserit. Communis thesis tenet, ante seculum x. non innotuisse, falsaque esse monumenta, quæ ante hanc ætatem de voce *feudi* meminerint. Sed Joan. Heumannus *differt. de prima vocis feudi in diplomat. mentione*, diplomata Ludovici Pii, Caroli M.

M. Caroli Craffi, Ottonis III. Lotharii I. refert, in quibus vox *feudi* occurrit. Fateor me in genuinis medii ævi memoriis non legisse, nisi initio seculi x.

Fiscus sæpe idem ac *feudum*, Ekkard. de Casib. Monast. *S. Galli c.* 1. *Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie, & Francia.* Et infra de Berinhardo Constantiæ Episcopo, *redeunt tandem domum tanquam amicissimi, juramento coram Rege dato, ne unquam Episcopum læderent, nunquam Episcopum in rebus fiscalibus sibi dono traditis se esse læsuros.* Diploma Ludovici Lotharingiæ Regis *an.* 908. apud Miræ. in *Cod. donat. piar. to.* 1. *cap.* 25. *idcirco hoc nostræ confirmationis præceptum fieri jussimus per quod Laubacensem Abbatiam a Domino patre nostro Arnulpho Rege gloriosissimo datam, in pago, ac in comitatu Hainuensi sitam, cujus ad præsens Comes videtur adesse Sigebardus, ac FISCUM nomine Tectis, a Rege Suendipolcho fratre nostro concessum in pago, ac comitatu Liuvensi positum.*

G.

G*Astaldus*, idem qui aliena ex mandato administrat, nomen, & Magistratus Longobardis in Italia præsertim notus. Duplex erat urbanus, & Rusticus. *Urbanus* in urbe, & locis ad eam pertinentibus jurisdictionem exercebat, unde sæpe *judex* dicitur. *Lib.* 11. *LL. Long. tit.* 52. *l.* 14. *Si Gastaldius, aut Sculdais vel loci Præpositus, de qualibet judiciaria tam ad suos pagenses, quam ad alios, qui justitiam quæsierint, non fecerint, sicut lex ipsorum est, componat.* Et constat ex diplomate Imperatricis Ageltrudis *an.* 896. pro Monasterio S. Vincentii ad Vulturnum, ubi Ludovicus Gastaldus, vocatis testibus, litem simpliciter, uti tunc moris erat, dirimit, apud Heumann. *de re diplom. t.* III. *in append.* §. 217. Sub se *Sculdasium*, hoc est judicem pedaneum habebat, prima instantia coram *Sculdasio*, secunda coram *Gastaldo*, tertia coram *Rege* fiebat. Urbi, aut Oppido civili, criminali, & militari auctoritate præerat, & proinde bellicis intererat expeditionibus, Rex Rotharis *lib.* 1. *LL. Long. tit. XIV. l.* 3. & 5. Anastas. *in vita Greg.* II. ubi Dux Neapolitanus 300. Longobardos cum eorum *Gastaldione* interfecit. Postea *feudale* evasit, cum Longobardi has civitates, & oppida jure feudi concederent, unde *feudum Gastaldiæ*. *Rusticus*, vel privatorum prædia, vel *curtes*, hoc est villas, & casas Regis administrabat, idcirco D. Gregorius *actionarium*, & Liutprandus *lib.* 1. *LL. Long. tit.* 34. *l.* 1. *actorem* dicunt.

Grangia est domus in agris, ubi coloni simul cum Ballivo sub monacho degebant, qui reditus colligebat. Paris *in Henr.* III. *an.*

 1231.

1231. *quandam Grangiam illius Abbatiæ, bonis omnibus spoliatam, combussit*. D. Bernard. *epist.* 252. *n.* 6. *Cœperunt ædificari locum, ubi aliquas, e sororibus suis constituerent, longe quidem ab Abbatia sua, in confinio autem duarum Grangiarum domus nostræ, & prope pascua ovium nostrarum*.

H.

HOnor, hoc est *feudum*, Robertus a Monte *in append. ad Sigibert. ad an.* 1152. *Ranulfus Comes Cestriæ moritur, relinquens successorem sui bonoris, Hugonem filium natum ex filia Roberti Comitis Gloecestriæ*.

Hostis, hoc est *exercitus*, hostem facere, est pugnare, ad bellum pergere. Lex Saxonica *tit.* VI. *qui homini in hoste, vel de hoste ad palatium, vel de palatio pergenti malum aliquod fecerit, componat in Triplo*. Lex Wisig. *lib.* IX. *tit.* 2. 3. *Si quis centenarius dimittens centenam in hostem, ad domum suam refugerit, capitali supplicio subjacebit, & l.* 4. *&* 5. Imp. Carolus *lib.* I. *LL. Long. tit.* XIV. *l.* 13. *quicumque liber homo in hoste bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum componat. Et* passim in legibus *barbaris*.

Heribannum, est mulcta, quam luebat is, qui ad exercitum vocatus venire contempserat. *lib.* III. *Capp.* 14. *De Heribanno volumus, ut missi nostri fideliter exactare debeant, absque ullius personæ gratia, vel blanditia seu terrore secundum jussionem nostram*. Et *Cap.* 35. *ut illi, qui heribannum solvere debent, conjectum faciant ad Heribannitorem*. Et *cap.* 67. *Quicumque liber homo in hostem bannitus* (hoc est vocatus) *fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum, id est solid. lx. persolvat*. Et *cap.* 68. Roye *de Missis domin. ad disciplinam publ. c.* 15.

Homagium, quod sæpe *hominium*, *hominatum*, *hominiscum* dicitur, est fidelitas, quam vasallus propter feudum patrono præstat. Aut veneratio, quæ patrono a vasallo debetur caussa feudi cum vasallus se illius hominem esse profiteatur. In præstatione, vasallus genua flectit, manus senioris osculatur, qui vasallum rogabat, an homo suus fieri vellet? *Homo* in Barbaris Legibus hominem servilis conditionis ostendit, *Lib.* IX. *LL. Wisigoth. tit. l.* 18. *decernimus, ut quicumque domino seu per se, sive per hominem suum requirenti fugitivum suum, & agnoscenti reddere distulerit, vel comprehensum excusserit, quatuor ejusdem meriti servos, & eundem fugitivum domino ejus reddere compellatur*. Lotharius *lib.* III. *LL. Long. tit.* 3. *l.* 8. Imo etiam in jure Romano *l.* 4. *C. de dignit.* Vasallus dicitur *homo* senioris, sed de sua libertate nihil amittit, nec seniori servire servitus, sed libertas est. Nihilque refert, an inferior supe-

ſuperiori, an æquali hominium præſtet, Robertus a Monte *in append. ad Sigiber. an.* 1175. *Rex Scotiæ pacificatus eſt cum Rege Angliæ. Hoc modo, fecit ei homagium, & ligantiam de omni terra ſua, ut proprio domino: & conceſſit ei, ut omnes Epiſcopi terræ illius, qui ſunt numero decem, & Comites, & Barones hoc idem facerent. Epiſcopi vero, & Abbates homagium non fecerunt; ſed Sacramento ſe conſtrinxerunt ſe hoc obſervaturos.* Ubi recte homagium a juramento diſtinguit: præſtito homagio, vaſallus ſtans, non flexis genibus, tactis SS. Evangeliis, fidelitatem domino pollicebatur, ſpelman. *h. v.* Matth. Weſtmonaſter. ad *an.* 1279. de Eadwardo Angliæ Rege, inquit, *Rex Angliæ veniens Ambianum, a Philippo Rege Franciæ cognato ſuo, qui eum ibidem expectaverat cum potentioribus regni ſui honorifice eſt ſuſceptus. Qui Regi Angliæ Agennam, Lemovicum, Petragoricum, Santonas, Comitatumque Pontini, qui Reginæ Angliæ jure hereditario competebat, aliaſque terras, receptis homagiis, a dictis Rege Angliæ, & Regina, tradidit perpetuo poſſidendas.* Rex Angliæ diu vaſallus Franciæ vixit, Rigord. *de Geſtis Philip. Aug. Franciæ Regis pr.* & Guilliel. Brito *lib.* III. *Philip. in fine*, recenſet feuda, quæ Rex Angliæ a Rege francorum tenet.

Nomine quam feudi francorum a Rege tenebat
Neuſtria, Dictones, Andis, Vaſconia, Santo
Amorici, Bitures, Alvernicus, Anglia tota.
Multi præterea populi, quos æquore late
Circuit Oceano, Cum Regibus, atque Syrannis
Subiiciebantur illi ſerviro coacti.

I.

INbeneficiare, hoc eſt *infeodare*, feudum concedere, inveſtire, Burkardus *de Caſibus Monaſt. S. Gal. c.* 3. *Simoniace Eccleſias vendidit, res eccleſiæ inbeneficiavit, theſauros diſſipavit.* Et infra, *ſed Mutzo quibuſdam nobilibus acceptam inbeneficias, ipſis, quia fideliter ei adhæſerant, cum abſque heredibus moreretur: ut de manu Abbatis eadem beneficia ſuſcipiant*, contulit, ibi Goldas.

Invadiare, hoc eſt *oppignorare*, *pignori dare*, Gemmetic. *lib.* VIII. *Hiſt. Nortm. c.* 9. *Igitur, ſicut ſupra diximus cum Robertus dux Nortmannorum, anno ab incarnatione Domini MXCVI. Hierufalem perrexiſſet, & Ducatum Nortmanniæ Willelmo fratri ſuo Regi Anglorum invadiaſſet.* Et *c.* 2. *Robertus etiam frater ſuus dedit illi Comitatum Conſtanſienſem, vel ut alii volunt invadiavit* Malmesburien. *de Willelmo* I. *lib.* III. Hinc noxæ *datio* Romanis cognita, ſi quis alteri damnum intuliſſet, & ſolvere nequiret, Longobardis moris erat ſeipſum *invadiandi*, hoc eſt pignori ſe obligandi.

di. Imp. Carolus *lib.* I. *LL. Long. tit.* 14. *l.* 10.

Investitura, aut *vestitura*, idem ac traditio, possessionis confirmatio, missio in possessionem, quæ symbolis a Dufresne recensitis fiebat. Investire est aliquem in feudum, prædium, munus, vel dignitatem noviter adquisitam immittere, cujus immissio dicitur *investimentum*, sæpissime *investitura*. Duplex est *vera*, dum res ipsa traditur: *fictitia*, si *rei* nomine, adhibito symbolo, scil. ense, annulo, vexillo, hasta, sagitta investiendo porrigitur. Vita Innoc. IV. *apud Balut. Misc. t.* VII. *p.* 39. *mandavit*, *ut dictum Siciliæ Regnum præfato Comiti sub quibusdam conditionibus sibi sibi levibus*, *& multum regno & Ecclesiæ opportunis concederet*, *& de ipso ipsum vice Romanæ Ecclesiæ investiret*, loquitur de Carolo I. Comiti Andegaviæ. In Barbaris monumentis, commune traditionis robur erat investitura, quæ justam possidendi conditionem dabat. Tabulæ S. Dionysii apud Heuman. *de re diplom. to.* I. *c.* II. §. 57. *n.* 15. *Monasteriolo aliquo*, *qui nuncupatur a Sancto Deodato in sua investitura tenuisse comprobatum est*. Sæpius Investitura exigebat aliquam censûs præstationem, sæpius remittebatur, sicut ex charta, quam Baluzius in *to.* II. *capp. p.* 1400. præbet, constat. Nulla in medio ævo traditio, vel allodii, vel ususfructus sub lege fidelitatis fiebat, nisi aliquod symbolum interveniret. *Lib.* IV. *capp.* 34. 41. 45. Imp. Ludovicus Curtem VVardistallæ Angilbergæ suæ uxori donavit, & quidam Petrus Angilbergæ Advocatus investituram, seu traditionem per *columnam domus suscepit*. Violante de Monteferrato *an.* 1306. Andronici Palæologi Græcorum Imperatoris uxor, Theodorum Comnenum de Marchionatu Montiferrati *cum baculo* investit, Heuman. *loc. cit. to.* III. §. 59. & 136.

K

KEminata a germanica voce *Kemnat*, hoc est *Domus lapidea*, postea quodvis cænaculum, & conclave significare cepit, sæpius camera dicitur. *Hinc Feudum Keminatæ*, videlicet munitum ædificium, pro fide, & servitiis præstandis a domino vasallo datum. Germani enim, hoc est Gens feudalis ædificia, splendide constructa etiam in feudum concedere solebant. Propriam feudi naturam retinet, nisi pacto derogetur, de quo Salom. Brunnquellius *dissert.* 1734. composuit.

L

LAga idem est ac *lex*, Paris in *Henrico I. ad an.* 1100. *Lagam Regis Edwardi vobis reddo cum illis emendationibus quibus pater meus eam emendavit*, *consilio Baronum suorum*.

Laudamentum, in jure feudali idem ac *sententia judicis*, ut in Di-

Diplomate Margaretæ Imperatricis, & Henrici olim uxoris *adjicimus etiam quod quicumque tale laudamentum infringere præsumpserit ... debemus tanquam hostem impugnare*. Heuman. *t.* II. *de re diplom. c.* 5. §. 147.

Leudes, idem ac *compositio*, quæ homicidii caussa fiebat. Lex Salica *tit.* 37. *l.* 8. inquit, quod si quis hominem occidat, *leuden solvat*. Quam Salicam legem in Italia sub Longobardis hac in re Carolus M. admisit, *lib.* II. *LL. Long. tit.* 22. *l.* I. Dicitur etiam *Weregildum*. Similis videtur & altera vox *Launegild*, hoc est *remuneratio*, quia nemo apud Longobardos donare poterat, nisi a Donatario invicem aliquid accepisset, videlicet annulum, equum, pileum, scutum, Murator. *ad LL. Rothzris c.* 175.

Leudes etiam iidem sunt ac *fideles*, *vasalli* Regis, quos posterior ætas *Barones* dixit, a *leode*, hoc est fides, & hodie Germani feudum, *leudum*, seu *leben* appellant, Osius ad Alberti. Mussat. *lib.* I. *Hist. Aug. rubr.* 4. Proinde Leudes, seu vassi prædia a Rege sub pacto fidelitatis tenebant, Greg. Turon. *lib.* IX. *c.* 20. *similiter convenit ut Leudes illi, qui Domno Grontcbramno Sacramenta primitus pyæbuerunt: & si postea convincuntur se in parte alia, de locis ubi commanere videntur, ut debeant removari*, Buleng. *de offic. regni Galliæ tit. de feudis*.

Libellus est scriptura, qua prædium in emphyteusim datur, unde *libellario jure* possidere. *Libellus*, hoc est contractus libellarius, dum quis sub vili denariorum pensione seu censu rem aliquam alteri, vel perpetuo, vel ad certum tempus contractu renovando, utendam concedit, interveniente brevi scriptura, unde *libellus* nomen accepit, parumque ab emphyteusi differt. Nisi quod empyteusis sub pacto rem meliorandi serendo, plantando, colendo contrahitur, unde *Emphyteusis* dicta est. Libellus autem hanc legem non habet, de quo Chron. M. Casin. *lib.* I. *c.* 45. *quæ videlicet omnia usque ad id tempus Abbates hujus loci, sive ad jus proprium retinebant, sive libellario nomine ad censum nonnullis concesserant*. D. Greg. *lib.* I. *epist.* 44. *indict.* 9. *Conductores frequenter mutentur: ex qua mutatione quid aliud agitur nisi ut Ecclesiastica prædia nunquam colantur? sed & ipsa etiam libellatica, prout summa pensionis fuerit, moderentur*. *Et lib.* x. *indict.* 3. *epist.* 64. In his libellis privati, Ecclesia, & Principes agrorum locationes scribebant, Cassiod. *lib. v. var. epist.* 7. Sæpe sub specie libellatici contractus, omnino bona Ecclesiæ alienabantur, quod Carolus *tit.* XLVII. 10. *fieri* vetuit.

Ligium, ligius hoc est uni tantum devotus. Hominium *ligium*, seu *solidum*. Unde duplex homagium, ligium, & non ligium, seu pla-

planum. Gesta Baldewini de Luczelinburch apud Balut. *t.* I. *Miscel. c.* IV. *p.* 142. *Eodem anno Buldensteyn supra Lanam propter rebellionem Reyneri, & Johannis de Westorburch a fundamentis violenter erexit, castrumque Rinchenberch tuac construxit, quod Wilhelmo Comiti Katzenelenboge in feudum ligium cum omnibus pertinentis dedit*. Hinc *vasalius ligius*, hoc est uni tantum obligatus, *ligia fidelitas*, hoc est uni tantum contra omnes præstita D. Bernar. *epist.* 317.

Ligantia, hoc est *homagium*, *fidelitas*, obligatio vasalli erga Dominum, adjuvandi contra omnes, Matth. Paris ad *an.* 1151. *Comites & Barones Angliæ fecerunt ligantiam, & fidelitatem Eustachio filio Regis Stephani*.

M

MAneria, *Manerium*, hoc est habitatio cum certa agri portione, & a *manendo* dicitur. Et in Gallia pro præcipua feudi domo accipitur. In Anglia est unius feudi circuitus, vel res ex diversis rebus scilicet habitatione, terra arabili, pascuis, praxis, silvis, advocatione, Curia Baronis, & similibus constat. Charta Joannis Angliæ Regis de libertate *an.* 1215. apud Paris. *in ejus vita*, ibi *omnis Comitus, & Hundredi, & Wapentag, & Trethingi, sint ad antiquas firmas, absque ullo incremento, exceptis dominicis maneriis nostris*, hoc terris Regis. Innoc. IV. Epist. ad Angliæ Barones in *Miscel. Balut. t.* VII. *p.* 451. *quidam vestrum, fratres Archiepiscopi, & Episcopi, & filii Prælati, sibi, & Ecclesiis suis quidam vero vestrum filii Comites, Barones, & milites, sibi, & heredibus suis procuraver ab eodem Rege conferri villas, castra, maneria, libertates, & alia quædam jura*.

Mansus, hoc est *ager qui* XII. *jugeribus* constat, & duplex est *indominicatus*, *ingenuilis*, seu *servilis*. Indominicatus dicitur, si ipsemet dominus excolebat, fructusque percipiebat. Ingenuilis, & servilis erat, quem excolendum aliis dabat, retento tantum censu, alisque conditionibus, quæ leviores in manso ingenuili, graviores in servili erant. Ager etiam indominicatus erat proprium Regis prædium, quod *demanium* dicimus. Jure Capp. RR. francorum quælibet Ecclesia mansum integrum absque ullo servitio possidebat, *lib.* I. *Capp.* 91. *lib.* II. 5. *lib.* V. 45. *De uno mano ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicumque pro hac caussa accusatus fuerit, Comes, vel Missi, hoc quod inde subtractum est, presbyteris cum lege sua restituere faciant*. Sirmud *ad cap. Caroli Calvi* 52. Heuman *de re diplom. to.* I. *c.* II. §. 57. Mansus *absus*, (est incultus) Præceptum Caroli *an.* 885. *in Baluzii miscel. to.* II. *p.* 151. ubi donat *Genoliacum* *quo-*

quoque villam cum portu & mercato habentem Cappellanos & mansos inter absos, & vestitos (hoc est cultos) *triginta tres*. Idem inquit, præceptum Ludovici *an.* 892. apud eundem Balut. *p.* 154.

Mansuarius, est mansi *colonus*, qui mansum colendi caussa inhabitat. Sicut *Bunnuarius*, qui agri bunnuarium, hoc est terræ mensuram, *Curtarius*, qui *Curtem*, *Hobarius* qui *hobam* tenent, possident, excolunt. Carolus Calvus *tit. xxvii. cap.* 14. in quo regios judices monet, *circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, & majores, quam ratio postulat, paratas exquirere, & pauperes Ecclesiasticos, & fidelium nostrorum mansuarios in carricaturis, & paraveredis contra debitum exigendi gravare.*

Marcha idem est ac *limes*, *terminus*, finis. Lex Aleman. *tit.* 47. *Si quis fœminam liberam infra provinciam vendiderit, revocet eam ad pristinam libertatem, & lxxx. sol. componat.* Lex Ripuar. *tit.* 60. 5. *Et tit.* 75. *Lib.* II. *Capp.* 14. *Lib.* III. 74. *Lib.* IV. 4. *De vassis nostris, qui ad marcham nostram castodiendam constituti sunt, aut in longinquis regionibus sua habent beneficia, vel res proprias, vel etiam nobis assidue in palatio nostro serviunt, & ideo non possunt assidue custodire placita: quam rem volumus, ut missi nostri vel Comes, nobis notam faciant, & nos faciemus, ut ad eorum placita veniant.* Supplemen. Ermenrici Elewangensis Monachi *c. xiv. Orta magna seditione inter Bajoarios, & Alemannos, devastantibus, & deprædantibus, seu spoliantibus omnia, quæ in Marchis duorum Regnorum consistebant.* Carolus Calvus *tit. xxxvi. cap.* 27. ubi statuit in Marcha *wactas*, hoc est excubias fieri. Ex qua dictus est *Marchio*. Significat etiam *pagum*, S. Theodorus *in vita S. Magni lib.* II. *c.* 10. *inter cetera ergo munificentiæ suæ dona, quæ impertivit beato viro, dedit ei totum ipsum saltum cum marcha.*

Marchio, est *Magistratus*, *Minister*, qui limitibus alicujus Ditionis præest. Hinc *Marchzan* lingua Alemannica sunt dentes terminales, qui caninos a maxilaribus separant. Lex Alemannica *tit.* 63. 5. *Si autem dentem absiderit, quem Marchzan Alamanni vocant cum* III. *sol. componat.* In Gallia nomen *Marchionis* vetustum est, in Italia Carolus M. primo introduxit. Recte Cuspinianus *de Austria in proemio*, inquit, *Romani enim, quod doctis omnibus constat, finibus suarum regionum posuerunt exercitus, ac Milites, qui limitanei dicebantur: quorum quidam Liminarchæ, quidam Præsides dicebantur. At Germani imperium assequuti, peculialibus malebant, & nativis uti voculis: Et quos latini limites, hi March patria lingua vocitarunt, unde Marchia, quasi dicas limitanea, dicta sunt; & qui his præerant, Marchiones sunt dicti. Sic Marchia Austriæ, Marchia Moraviæ, Marchia stiriæ, Marchia Baden-*

densis. Et plerumque ubi tales sunt limitis, præterfluunt flumina quædam, quæ regiones secernunt, eadem voce dicta. Quantum vero ex vetustissimis Annalibus colligere possumus, temporibus Caroli Magni, qui & mensibus; & ventis germanica nomina, quibus hodie adhuc utimur, in universa Germania indidit, hæc quoque nomina inventa esse credimus, & haud inani conjectura argumentamur. Anne enim Carolum Magnum, neque Marchiones, vel Marchgravios (quod tamen recentius est vocabulum) neque Burggravios, aut Landggravios in ullis reperimus receptis annalibus. Antea simplex erat administrator, nutu a Principe amoveri poterat, postea feudatarius evasit.

Minare, est ducere, agere. Lex Salica *tit. x. 9. Si qua pecora propter damnum messis alienæ inclusa fuerint, aut minentur, qui ea excutere, vel expellere præsumpserit Dc. den.* olvat. Lex Aleman. *tit.* 74. 2. Rex Rotharis *lib.* I. *LL. Long. tit.* XXII. *l.* 2. *Si in curte minaverit, ille cujus peculium* (seu animal) *est, roget eum, ut reddat illi.* Neque verbum latio ignotum videtur, quum eo festus, & Apulejus: utatur, *lib.* IX. & *lib.* III. *nos duos asinos minantes baculis exigunt.* Hinc *comminare, prominare* idem Apulejus diligens novarum vocum architectus.

Missus dominicus, nempe a Rege missus, palatii regalis, imperialis, missus, post Regem majus imperium habebat. Erat supremus Imperii Germanici Minister a Carolo M. institutus, qui Imperii provincias peragrabat. Videlicet, quomodo Comites, Duces, Marchiones, atque Episcopi suam exercerent jurisdictionem, an Ecclesiasticus ordo disciplinam, aut in publicis Imperii Comitiis, aut a SS. Patribus statutam Monachi, ceterique Prælati servarent. Roye *diss. de Missis dom. c.*1. *Lib.* IV. *Capp.* 30. 32. 44. 66. in quibus Missis justitiam, & Regni regalias commendat, præcipue *lib.* I. *c.* 122. *Ut missi per singulas Civitates, & Monasteria virorum, & puellarum, prævideant, quomodo, aut qualiter in domibus Ecclesiarum, & ornamentis Ecclesiæ emendatæ, vel restauratæ esse videntur: & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant, quod jussimus de eorum lectione, & cantu ceterisque disciplinis ad ordinem Ecclesiasticæ regulæ pertinensibus.* De Missi etiam Dominici auctoritate, inquit, Flodoard. *lib.* II. *Hist. Remen. c.* 18. Edit. Sirmundi, *Tilpinum sequitur Vulfarius qui ab Imperatore præfato Magno Carolo Missus Dominicus ad recta judicia terminanda fuerat ante Episcopatum constitutus super totum campaniam. In his quoque pagis Dolomense scilicet, Vongense, Castricense, Stadonense, Catalaunense, Ormense, Laudunense, Vadense, Portiano, Tardunense, Suessionense, sicut & alii quidam Sa-*

Sapientes, & Deum timentes habebantur Abbates per omnem Galliam, & Germaniam a præfato Imperatore delegati, quo diligenter inquirerent, qualiter Episcopi, Abbates, Comites, & Abbatissæ per singulos pagos agerent; qualem concordiam, & amicitiam ad invicem tenerent & ut bonos, & idoneos vicedominos, & advocatos haberent & undecumque necesse fuisset, tam regias, quam Ecclesiarum Dei justitias viduarum quoque, & Orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirerent, & perficerent & quodcumque emendandum esset, emendare studerent, in quantum melius potuissent, & quod emendare per se nequissent, in præsentiam Imperatoris adduci facerent, & do his omnibus eidem Principi fideliter renunciare studerent. Prolixe.

Missatica dicebant *regiones*, tractusque provinciarum, in quibus Missi dominici legatio exercebatur. *Lib.* III. *Capp.* 17. *unusquisque in suo missatico maximam habeant curam ad providendum, & ordinandum, ac disponendum secundum voluntatem Dei, & secundum jussionem nostram.* Idem *cap.* 64. 80. *ibi. Ut missi nostri diligenter inquirant & describere faciat unusquisque in suo missatico, qui unusquisque de beneficio habeant, vel quot homines casatos in ipso beneficio.* Quam Matth. Paris *legatiam* vocat. Et *cap.* 87. Nam Missi Dominici etiam casatos regales, hoc est intra regiam villam adhuc servientes curabant, Roye *dissert. de Missis Domin. c.* 2. *ad Vectigalia.* Missatica quoque dicitur ipsa legatio, Carolus Calvus *tit.* 31. *c.* 1. Flodoard. *lib.* III. *Hist. c.* 26.

Mansionaticum, est jus mansiones recipiendi, est Hospitum susceptio. In Germania, & Gallia subditi hospitio Missos dominicos, legatos Principis, Comites, Duces, eorumque Vicarios excipere eisque *paratas*, hoc est alimenta, viaticum præstare tenebantur. *Lib.* II. *Capp.* 17. & *lib.* III. 36. *de missis nostris discurentibus vel ceteris hominibus propter utilitatem nostram iter agentibus, ut nullus mansionem contradicere eis præsumat.* Marculf. *lib.* I. *c.* 3. Quæ consuetudo Romanis debetur, *tit C. de Metatis, & Epidemeticis.*

Massa, est collectio possessionum, Cassiodor. *lib.* VIII. 33. *Hoc nos simplici, ac facili remedio credidimus corrigendum, ut spectabilitas vestra prædicto tempore una cum possessoribus, atque conductoribus diversarum massarum, ad quietem convenientium anticipata debeat cautela procurare.* Ecclesia Romana suum patrimonium, latifundia, sive *Massas* in Sicilia possidebat quarum Coloni *servi Massarii* dicebantur. Quotannis censum vel in fructibus, vel in nummis solvebant, sicut passim *in Epistolis* D. Gregorii occurrit, *lib.* I. *ind.* IX. *ep.* 44. *Cognovimus etiam in aliquibus Massis Ecclesiæ exactionem injustissimam fieri*, & ad jussum pondus mensuram-

que reduci jubet. In Maffa, seu manso plures erant fundi, servi, pecora, jumenta nec cum *casa confundi* oportet: nam *casa* erat tenuissima *possessio*, unde casatus a mansuario differebat.

Miles in jure feudali Italiæ, Germaniæ, Angliæ, & Galliæ, idem ac *vasallus*, qui feudum tenet, Ekkehardus *de casib. Mon. S. Gal. c.* 10. *Audita tandem voce Domini, Milites stupidi, vultuque quondam noto inter crines recognito, clamose salutant, familia gratulans voci feratur.* Charta apud Balut. *t.* II. *miscell. p.* 201. ubi *Miles* vocatur *cliens*. Sæpissime tamen, qui militari cingulo accinctus erat, vulgo *Cavalier*, & aliquo in palatio Regis munere fungebatur. Chron. Savigniacense apud Balut. t. II. miscel. p. 319. *an.* 1220. *Ludovicus dei gratia francorum Rex illustris Radulfum Dominum Filgeriarum cingulo militiæ sublimavit.* Nicol. Lanckman. *Hist. de Desponsatione Frid.* III. *istis sic solemnitatibus peractis gloriosissimus Dominus Imperator cum cognato suo Domino Ladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege, & eorum Principibus, Comitibus, Baronibus generosis. Cum magno gaudio, & ordinatione ad castrum Sancti Angeli ad portum Tiberinum venit. Ibique more suorum prædecessorum Dominorum Imperatorum NOVOS MILITES creavit.* Consuetudo erat apud medii ævi Imperatores prælia inituros, equites creandi, quos *Tyrones novellos* Henricus Rosla *in Herlingsberga*, apud Meibom. *t.* I. *scrip. Germ.* vocat.

Tirones solemne creat mox ipse novellos
Quos & muneribus animis audacibus implet.

Qui cingulum militarem nondum acceperant, *servi*, *servientes famuli* dicebantur. Post acceptam dignitatem, *Milites*.

Morgangeba, vel *morgengap*, hoc est *matutinale donum*, quod post concubitum, durantibus adhuc nuptiarum solemnibus, sponsus sponsæ donabat. Dici potest donatio propter nuptias. Munus sane olim voluntarium, nunc majus, nunc minus, sicut quisque novo, ardentiorique amore erga sponsam ferebatur. Verum cum novo matrimonii amore uxor mariti jura usurpat, sibique vindicat, ita & bona e manibus mariti facile eripit. Proinde Rex Luitprand. sanxit, ne quartam bonorum mariti partem excederet, *lib.* II. *LL. Long. tit.* IV. *l.* I. Neque in Italia id moris erat, sed & apud alias Europæ gentes, ut ex legibus, & monumentis constat. Lex Aleman. *tit.* 56. *Si ipsa fæmina dixerit: maritus meus dedit mihi Morgangeba: computet quantum valet, aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in equo, pecuniam* XII. *solidos valentem. Tunc liceat illi mulieri jurare per pectus suum, & dicat: quod maritus meus mihi dedit in potestate, & ego possidere debeo: hoc dicunt Alamanni nastaid.* Exempla refert Balut. *to.* I. *capp. p.* 992. Fædus
inter

inter Guntramnum, & Childebertum Regem apud Labæum *coll. Concil. to. vi. an. 587 de civitatibus, vero hoc est Bardegala, Lemovica, Cadurco, Benarno, Begorra, quas Gailesvindam germanam Dominæ Brunichildis, tam in dote, quam in Morganegiba, hoc est matutinali dono in franciam venientem certum est acquisisse*. Idem fædus refert Gregor. Turon. *lib.* ix. *c.* 20.

Hinc existit *matrimonium* ad *morganaticam*: videlicet si cum fœmina inæqualis conditionis contrahitur, nec liberi ex hoc conjugio nati patri succedunt, nec illius dignitatem assumunt, nec uxor legitima jura, & lucra uxorum adquirit, nec *dotalitium* petere poterat. Sed ipsa simul cum suis liberis hoc matutinale dono, seu *morgengaba* contenta esse debebat, II. *f.* 29. Nec verum dici poterat matrimonium, cum Germani non nisi inter pares, more græcorum nuptias contraherent, sed *ratum* æstimabatur, Boehmer *tit. decret. de Clandestin. desponsat.* §. 60.

Ministerialis, sæpe est homo servilis conditionis, aut actor, *lib.* I. *LL. Long. tit.* 34. *l.* 2. *Si quis præpositus, aut Ministerialis aliquas res Ecclesiæ, quas prævidere debet, aliquo inscriptionis titulo cuique concesserit, quod ad damnum ipsius Ecclesiæ pertineat, pro sacrilego computetur*. Hincmarus *plebeos* vocat. Passim ostendit *hominem ingenuum*, *nobilem*, cujus officium dicitur *ministerium*, a Rege, vel Proceribus prædia *jure beneficiario* possidebat, sicut quilibet vasallus. In Charta Caroli Calvi *an.* 855. apud Luc. d'Acheri *in Spicileg. to.* III. *p.* 350. fit mentio villæ, quam Ministerialis *beneficiario* jure possidet. *Lib.* IV. *Capp.* 30. *Si Homo liber, vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcumque habuerit, sive beneficium amittat*. Erant ministeriales palatini, Comitum, Episcoporum, Procerum, qui ab his fere semper feuda tenebant.

Mund, *mundium*, *mundeburde* idem sunt, & *tutelam*, *defensionem patrocinium* significant, unde *Mundualdus*, hoc est *tutor*. Saxones tutelam, & defensionem *mund* appellant, *bord* fidejussionem. Et *mundeburde* idem ac si diceretur patrocinii, seu defensionis fidejussio. In medio ævo Ecclesiæ, Monasteria, Civitates, Cives, præcipue mulieres erant sub mundio, seu patrocinio Imperatoris, vel Comitis, vel Episcopi, aut sedis Romanæ, ut ex legibus, & monumentis ervitur. Lex Aleman. *tit.* 51. Nulla mulier sine tutela vivebat, sed aut sub tutela patris, aut fratris, aut aliorum consanguineorum, aut mariti, si nupta, aut curtis regiæ, si consanguinei deerant. Lex Aleman. *tit.* 54. *Si autem ipsæ fæmina sub illo viro mortua fuerit, antequam illi mundium apud patrem acquirat, solvat eam patri ejus CCCC. sol.* Rex Rothar. *lib.* I. *LL. Long. tit.* II. *l.* 8. *tit.* 30. *l.* 1. 2. 3. Rex Luitpran. *eo. l.* II. Præ ceteris

in Italia Longobardi de mundio, & mundualdo plurima statuerunt. Exemplum Mundiburdii præstat Chron. Laurishamen. *p.* 98. *Gundelandus igitur Abbas in sui juris quieta possessione, tunc dictante justitia, tum regia auctoritate confirmatus, Laurisbamense monasterium cum omnibus illuc pertinentibus in manus, & Mundeburdem gloriosi Regis Caroli tradidit, quatenus privilegiis insigneretur regalibus.* Innumera collegit Mager. *tract. de Advocatia armata.*

Ministerium, hoc est *Officium*, *territorium*, *jurisdictio*, *lib.* II. *Capp.* 18. *decrevimus, ut unusquisque Comitum in suis ministeriis* (hoc est territoriis) *de hoc jussionem nostram tunc possit habere adimpletam.* Et paulo post *sicut in Capitulis, quæ de hac re illis comitibus dedimus, in quorum ministeriis moneta percutitur, constitutum est.* Imp. Ludov. *lib.* II. *LL. Long. tit.* 43. *l.* 3.

Mallus, idem ac judicium, quod præsertim Comites in suis jurisdictionibus exercebant. Lex Salica *tit.* I. *Si quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit,* (hoc est impedimentis) *DC. denariis, qui faciunt solidos XV. culpabilis judicetur.* Et *tit.* 46. Lex Alaman. *tit.* 36. *Si quis alium mallare* (hoc est in jus, seu mallum Comitis vocare) *vult de qualicumque caussa, in ipso mallo publico debet mallare ante judicem suum. Lib.* IV. *Capp.* 28. *Mallus tamen neque in Ecclesia, neque in atrio ejus* (scil. Comitis) *habeatur. Minore vero placita Comes, sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat.* Nemo dum ad mallum ibat, arma ferre poterat Pipinus *lib.* II. *LL. Long.* 46. *l.* I. Proinde *malliare* erat ad judicium vocare, ut assidue in legibus, & chartis Barbarorum occurrit.

Mannire, latine *monitus*, *commonitus*, ut in judicium veniret. *Mannitio*, hoc est admonitio. Necessario coram testibus saltem tribus facienda, quaterque repetenda, diversis temporum intervallis, ut sanxit Imp. Carolus in Italia, *lib.* II. *LL. Long. tit.* 42. *l.* I. *Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum somnis non detinuerit, sol. XV. culpabilis judicetur. Si ad secundam, & tertiam vice, similiter. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur, donec veniat, & de re, de qua interpellatus fuerit, justitiam faciat. Si autem intra annum non venerit, de rebus ejus, quæ in bannum missæ sunt, Rex interrogetur, & quicquid exinde judicetur, faciat. Prima mannitio sit super VII. noctes. Secunda super noctes XIV. Tertia super noctes XXI. Quarta super noctes XLII.* Nam Longobardi in Italia non dierum, sed noctium numerum inibant.

Ple-

P

PLegium, h. e. *vadimonium*, Matth. Paris in Henrico II. *Excommunicati non debent dare vadium ad remanentiam, nec praestare juramentum, sed tantum vadium, & plegium standi judicio Ecclesiae, ubi absolvuntur.* Et in Joanne, ubi ejus edictum refert, *fiat autem visus de france plegio, ut pax nostra teneatur.* Francum plegium vocat, dum quis per vadimonium pro homine libero se cavet, & obligat.

Pagus ostendit *provinciam*, aut non *exiguam ejus partem*: olim Germania in tot pagos dividebatur. Pagis Comites praeerant, eorumque subditi *pagenses* dicebantur. *Lib.* III. *capp.* 73. *De vastis Dominicis, qui ad huc intra casam servient, & tamen beneficia habere noscuntur, statutum est, ut quicumque ex eis cum Domino Imperatore domi remanserit, vasallos suos casatos secum non retineat; sed cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittat.* Pagus itaque non vicum, sed integrum Dynastiam significat, Lindenborg. *in Glos. v. pagus.*

Pares Curiae unde dicuntur, non constat. Sunt, qui immediate ab eodem domino feudum tenent, dictique videntur, quia pares reo respectu status, & dignitatis, quem judicant. Dicimus *convasallos, compares*, in caussis feudalibus inter dominum, & vasallum, vel inter duos vasallos ortis judicant, II. *f.* 16. & 39. Horum jurisdictio cum Privatorum infeudatione de rebus acta, nata videtur, nam de feudis regalibus soli Imperatores jure antiquo, medio, & novissimo in Germania, Anglia, Italia, & alibi judicabant, Kuchelbecker differt. *de jure, & modo cogn. de F.J.* §. 8. Nec omnes pares judicant, sed dominus modo septem, modo novem, modo quindecim elegit, nunquam tamen vasallus eligit. Si lis inter dominum, & vasallum sit, etiam dominus optat II. *f.* 16. & 20. Frid. a Sande *ad Consuetud. Gelr. Tract.* III. *c.* I. §. I. Ab his privatis paribus respectu jurisdictionis Pares Franciae separari non oportet, de quibus Matth. Paris in *Henr.* III. *an.* 1257. de Rege Francorum inquit, *magnates suos animat, & confortat, praecipue eos, quos duodecim Pares Franciae consuevimus appellare. Et quia pratactum est de Alemannorum Primatibus, ad quos Regis spectat electio, non reor a materia alienum, si nomina Francorum nobilium (praecipue ad quos negotia regni spectant ardua) presenti inseramus paginae, cum succincta tamen brevitate. Archiepiscopus Remensis, qui Regem Francorum caelesti consecrat chrismate (quapropter Rex Francorum Regum censetur dignissimus) est omnium Parium Franciae primus, & excellentissimus. Episcopus Noviomensis, qui est Comes Palatinus. Episcopus Belvacensis, qui est Comes Palatinus, Epi-*

Episcopus Catalenensis. Episcopus Lingonensis, qui si pauper sit, dignus tamen habetur. Episcopus Landunensis, qui Dux est & Comes, ratione sancti Remigii: ad quem devoluta fuit illa praeclara hereditas. Dux Normanniae primus inter laicos, & dignissimus ...... Dux Aquitaniae, Dux Burgundiae, Comes Flandrensis, Comes Campaniae, Comes Tholosae, qui dicitur Comes Sancti Aegidii.

Potestas, in Italia praesertim *consulare officium*, vel *Praetorem* significat, Chron. Cremon. *ad an.* 1200. *Post hunc electi sunt potestates, Lanfrancus de Rogerio, Bertramus de Rivola cives Pergami, qui per duos annos Potestariam tenuerunt*. Et passim in hoc Chronico occurrit. Otto Murena in Hist. Lauden. *ad an.* 1159. *Eodem etiam tempore Imperator, cum Papiae primum, deinde Placentiae, atque Cremonae, seu etiam Laudae suos Potestates constituisset, Raynaldum Cancellarium suum, & Ottonem Fallizum-Gravum Mediolanensem dirigens, jussitque eis, quatenus ipsi in Mediolano de ipsismet civibus, sicut in praedictis aliis Civitatibus jam fecerant, suos Potestates crearent, quia tunc ipsis omnes etiam Longobardiae Civitates a Consulibus ab ipsismet Civitatum Civibus creatis regebantur*. Et tota Italia his Consulibus regebatur, Ottho Frisig. *lib.* II. c. 13. Potestas etiam idem ac *Vicedominus*, Matth. Paris *in Henrico III. ad an.* 1234. *Item Potestates urbis, & senatores annuum tributum exigunt ab Ecclesia Romana.*

Peculium, in barbaris legibus, idem est ac *animal*. Rex Rotharis *lib.* I. *LL. Long. tit.* 13. *l.* 2. *Habeat ille id peculium, qui in damno invenerit, & per novem noctes aquam ei tantum det, & de damno in hoc sit contentus, eo quod novem noctes ipsum peculium tenuit. Lib.* III. *Capp.* 14.

Precaria, est *ususfructus quidam illi, qui Ecclesiae rem suam donavit, vel in aliis rebus Ecclesiae ad preces illius concessus*. Antequam beneficia obtinuissent, clerici ab Episcopis bona Ecclesiae titulo *precariae*, in vicem salarii accipiebant. Et ne praescriberentur, de quinquennio in quinquennium renovari oportebat *can.* 72. *c.* XII. *q.* II. *lib.* V. *Capp.* 128. Verus ususfructus dici nequit, cum instar *salarii* perciperetur. Quod si clericus, vel laicus Episcopi largitate rem Ecclesiae in precariam accepisset, ut ex ea simpliciter usumfructum perciperet, reditusque colligeret, tunc magis *ususfructus* dici poterat. Laici, cum egestate premerentur, precibus ab Episcopis impetrabant, ut bona Ecclesiae jure ususfructus ad vitam usque possiderent; quod primum Leo in *l.* 14. §. 5. *C. de SS. Eccl.* Sanxit in *Oriente*, in CP. tantum Ecclesia, quam Justinian. ad omnes Ecclesias *Nov.* VII. *c.* 4. extendit. Deinde in Occidente nihil, quam precariarum concessio occurrit, quae sub nomine *alienatio-*

tionis non continebatur, licet bona Ecclesiæ alienari non poterant. Denique abusus invaluit, ut etiam non indigentibus concederentur, Flodoard. *lib.* XIV. *c.* II. de Heriveo Episcopo Remensi, inquit, *recepit denique res diversas, & villas Ecclesiæ, quas antecessor suus per precarias, sive præstarias diversis contulerat personis.* Charta precariæ sub Ludovico apud Vadianum *de Colleg. German. Cristi adjuvante clementia complacuit mihi Grimaldo Abbati una cum consensu fratrum, nec non & advocato nostro Podoloto ut res, quas Hasvo presbyter ad nostrum tradidit monasterium ei per hanc precarium represtaremus* (*hoc est rem donatam donanti certa conditione locaremus*) *quod & facimus. Tradidit enim nobis prædictus presbyter unam hobam cum manu Chumberti in pago Argengavue, in loco, qui dicitur Arguna, eo videlicet pago, ut ipse præfatam suam hobam omne tempus vitæ suæ possideat, censumque inde annuum persolvat, id est unum denarium. Et si prædictam hobam redimere voluerit, cum sex denariis redimat. Si autem ipse non redemerit, & ejus obitus de hac vita contigerit, redemptione non peracta, tunc prænominata hoba sine ulla contradictione redeat ad monasterium S. Galli perpetualiter possidenda.* Aliud exemplum exhibet Balut. *t.* III. *Miscel. p.* 170. Hinc duplex erat precaria. I. Si quis precibus ab Episcopo bona Ecclesiæ jure usufructus de quinquennio in quinquennium renovanda accepisset. II. Si quis bona sua Ecclesiæ donaret, & ab ea titulo precariæ acciperet, annuumque censum solveret, & redimere, uti vellet, posset. Quod naturam feudi oblati sapit, sub barbarorum rapinis, qui omnia diripiebant, cum Ecclesiæ bona magis æstimarentur, Concil. apud Belvacum a Reginone relatum *lib.* I. *de Eccl. discipl. c.* 362. Chron. Laurisham. *p.* 109. dicitur etiam *præstaria*. respectu Episcopi, vel Abbatis, qui præstabat, hoc est concedebat.

Precarium, hoc est *militare stipendium*, D. Greg. *lib.* II. *indict.* 10. *ep.* 46. *Quia Ariulphus exercitum Autharis, & Nordulphi habens, eorum sibi dari precaria desiderat, ut nobiscum aliquid loqui de pace dignetur.*

Planum: in Regno Neapolitano, & aliis Galliæ consuetudinibus sæpe occurrit *feudum planum*, & *de tabula*, quod subfeudum dici potest. Dum Baro, vel Comes in sua Baronia, aliquod prædium, vel jus alteri infeudat, unde nonnulli *mansum*, *tenimentum*, *tenasiam*, & *feudum rusticum* appellant. Baro quotannis, vel pecuniam, vel operas, vel annonam exigit, naturam potius allodii, quam feudi imitatur, solus Baro sine Regis assensu confert, & dum subvasallus alienat, solius Baronis voluntate indiget, nec lex Regni, quæ feudalem regit successionem, in eo, sed Romana, aut constitu-

stitutio allodialis servatur. Idcirco dicitur *planum*, quia sine solemnitate confertur, de *tabula*, vel quia ejus reditus ad Baronis mensam pertinet, vel quia in quinternionibus R. Cameræ, seu libris feudalibus non scribitur, ut alibi strictum est, & nos infra, Larata *in Theatro feud. par.* VII. *dilucid.* 60.

Pontificium, hoc est Potestas: Lex Burgundion. *tit.* XIX. 6. *Si intra tres menses soluto debito pignora sua non perceperit postmodum ea requirendi pontificium non habebit. Et tit.* 40. 1. *l.* 1. *C. Th. de bon. mater. In form.* Lindenborgii 22. 23. 27. 29. 67.

Q

QUaternatum: In Regno Neapolitano omnia feuda, quæ immediate a Rege tenentur, ut Baronia, Comitatus, Marchionatus, Principatus, Ducatus, quaternata Leges Regni nuncupant. Quæ vox a Norimannis primum usurpata, ad nos pervenit: diciturque, quia in *quinternionibus* R. Cameræ descripta sunt, quæ omnia feuda, fines, successiones, pacta, servitia, & nomina vasallorum continet. Comparari possunt *libro beneficiorum*, quæ Imp. Augustus ex suo patrimonio donabat, quæque a Primiscrinio beneficiorum in Officio Comitis privatorum notantur, *l. ult. C. de quadrien. præscrip.* Buleng. *de Vectig. populi Rom. lib.* IX. *c.* 95. Proprietas hujus clientelæ est, in ea succedere vasallum jure novissimo in linea collaterali usque ad IV. gradum: in suis controversiis M. Curiam cognoscere: vasallum pupillum a Rege tutelam suscipere: vasallum civiliter vel criminaliter conventum a Paribus Curiæ damnari, vel absolvi: servitium, vel adoham Regi præstari: alienari non posse sine Regis assensu: successorem intra annum, & diem investituram petere, secus cum Curia componitur; & similia, quæ in *Codice LL. feud. hujus Regni* dicam, Larath. *Th. feud. par.* VII. *dilucid.* 60.

R

RAcimburgus, hoc est Comitis in judicando *assensor*, a voce germanica *raca*, hoc est, *caussa*, *res*. Lex Salica *tit.* 52. §. 2. *Tunc Grafio* (h. e. Comes) *congreget secum septem rachinburgios idoneos, & cum ipsis ad casum fidejussoribus veniat, & tit.* 59. Lex Ripuar. *tit.* 32. §. 2. & 3. *quod si ad septimum mallum non venerit, tunc ille, qui eum mannit ante Comitem cum VII. Rachimburgiis in arabo conjugare debet.* Marculf. *in Append. c.* 1. Dici potest Scabineus, cum Comiti septem Scabinei assiderent.

Regalia, hoc est jus regium quod ab Inperatoribus sæpe Ecclesiasticis concedebatur, ut jus cudandi monetam, sæpe temporale Ecclesiæ dominium ut regalia D. Petri, Regalia D. Benedicti, significat, Chron. M. Cassin. *lib.* 1. *c.* 45. *quomodo ascendit inde ad ipsum*

Sta-

Staphilum de Majella qui dividit inter regalia (hoc est jura regii dominatus propria) *& caussam Sancti Benedicti*, *& lib.* IV. *c.* 35. *Ne quis eorum*, *vel præsentium*, *vel absentium*, *vel successores eorum intromittant se*, *vel invadant regalia*, *id est Civitates*, *Ducatus*, *Marchias*, *Comitatus*, *Monetas*, *Feloneum*, *Mercatum*, *advocatias imperii*, *&c.* Carta apud Buluz. *to.* VII. *Miscel. p.*340. *Actum Remis dum ipsi custodirent regalia post decessum Alberici Archiepiscopi Remensis anno Domini MCCXVIII.* Regalia quoque dicitur *jura pontificii dominatus propria*, ut constat ex juramento fidelitatis, quod Richardus I. Capuæ Princeps Gregorio VII. præstit, apud eundem Greg. *lib.* I. *epist.* 21.

Rachatum, hoc *redemptio*, *relevium*, certa videlicet pecuniæ quantitas, quam heres vasalli pro obtinenda patris clientela seniori præstat, quam ab eodem emit, dato pretio, quod *rachetum* dicitur. Statuta Ludovici Francorum Regis *an.* 1246. apud Baluz. *to.* VII. *Miscell. p.* 343. *relicta alicujus nobilis*, *vel alterius feodati habet in Andegavia ballum liberorum suorum & terræ*, *& non faciat rachatum*, *nisi se maritet*; *& si ipsa moriatur*, *ille habet ballum*, *qui magis propinquus est ex parte patris*, *vel ex parte matris*, *ex parte cujus hereditas movet*. *Quicumque etiam sive mater*, *sive aliquis amicorum*, *habeat custodiam feminæ*, *quæ sit heres*, *debet præstare securitatem domino*, *a quo tenebit in capite*, *quod maritata non erit nisi de licentia ipsius domini*, *& sine assensu amicorum*. *Et si relicta nobilis*, *vel alterius feodati se maritet*, *maritus suus facit homagium domino*, *& solvit rachatum*: *& rachatum est valor*, *terræ unius anni*. *Dominus autem non habet rachatum de patre ad filium*, *nec de fratre ad fratrem*. *Et omnes alii*, *qui tenent ballum debent homagium Domino*, *& debent solvere rachatum*, *&c.*

Relevium dicitur a relevando, quasi novus vasallus feudum morte Antecessoris jam caducum reficiat, restauret, & a manibus senioris accipiat. Est honorarium, quod novus vasallus patrono introitus caussa largitur. Matth. Paris *in Henrico I. ad an.* 1100. *Et in vita Joannis*. Origo hujus pensionis, seu census est, quia olim feuda ad vasalli vitam instar ususfructus durabant, & nihil ad heredes transmittere poterant. Si heredes succedere vellent, a Domini liberalitate recognoscere, atque accipere tenentur. Dicitur etiam *relevagium*, *relevamen*, *relevamentum*, Chlandenius *de feudo Altarigii* §. 16. In Regno Scotiæ, Angliæ, & Neapolitano frequenter eodem sensu neperitur.

Renovatio investituræ tunc contingit, quoties vasalli aut senioris persona mutatur. Est signum devotionis, quo vasallus feudum non a defuncto, sed a seniore recognoscere ostendit. Nihil novi

juris confert, sed vetus confirmat, & conservat. Et quia promissio fidei jurata est personalis, & cum persona defuncti perit, ideireo successor renovare tenetur, ut assidue senioris beneficium recognoscat. Si vasallus feudum ab Ecclesia tenet, & Episcopus decedit, a novo Episcopo sui feudi renovationem petere debet. Modo collatio feudi ad Episcopum dumtaxat pertineat: si ad Episcopum, & Capitulum, tunc, sede vacante, recte a Capitulo petit. Annusque petitionis a tempore electionis novi Prælati currit, Boehmer. *de feud. Eccl. cap.* IV. §. 2. & 3. Si Chron. Osnaburgense de Henrico Osnaburgensi Episcopo ex Comitibus de Holsatia & Ducibus Slewicensibus nato, *ad an.* 1402. inquit. *Dedit in Iborg, Worstenowe, & Vorden Oppidanis, privilegia, & immunitates, & etiam municipalia jura, & leges, providitque de successione cognatorum, atque agnatorum prius defunctis, ut privilegia Oppidanorum sigillis suo, & Capituli munita clare attestantur. Instituit etiam, & præfixit diem omnibus suis vasallis, requirens, ut se de bonis Ecclesiæ Osnaburgensis, prout unusquisque tenebatur, se facerent investiri. In quo termino multi Nobiles, & Strenui milites, militares, & vasalli comparuerunt, investituram a domino prædicto receperunt, & juramenta fidelitatis præstiterunt.*

Rodaticum est vectigal, quod ex vino vendito colligitur, sicut *foragium*, vel *foraticum*, est vectigal, quod ex vino minusatim vendito solvitur. *Lib.* VI. *capp.* 210. *ut nullus homo præsumat Tholoneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum* (donativi genus) *recipere* Marculf. *in append. c.* 45. *Nullus quislibet de judiciaria potestate vestra, nec missus noster nulla felonea, nec nullas venditas, nec rodaticus, nec foraticus . . . exactare præsumatis*, ibi Bignon.

Roga, hoc est *donativum*, *honorarium*, *stipendium* D. Greg. *epist.* 46. *lib.* 11. *indict.* 10. *Theodosiaci vero qui hic remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant: & destituta ab omnibus Civitas, si pacem non habet, quomodo subsistet*, ibi Gussanvil. Sigebert ad *an.* 633. *Cum quidam Spado Imperatoris Herarlii distribueret rogas militibus.*

S.

S*Enior* in jure feudali est *dominus feudi*, qui directum dominium, seu *patronale*, sibi reservavit, translato in vasallum *utile*, qui fidelitatem, & servitia ei præstat. Dicitur *patronus*, *dominus*. *Senior* quoque vocabatur, etiamsi directum dominium non haberet: Nam Duces, Comites, Marchiones, Episcopi, Abbates suos vasallos habebant, hisque *Senioribus* obsequium, sive ad augendum familiæ splendorem, sive ad subeundos pro eis militiæ labo-

res,

res, præstabant. Unde orta est Italia vox *Signore*, Galliæ, & Hispaniæ communis. Italia quoque *seniores* vocabat, qui servitia aulica a vassis, & liberis colonis accipiebat, Murat. *dissert. de Allodiis.*

Seniorale, hoc est dignitas Regis. Concil. Meldens. *an.* 845. *cap.* 7. *Si vultis regnare & vigorem regium, ac seniorale, & super vestros, & super impugnantes potestatem vestram optatis habere.*

Saisire est in possessione esse: Unde *Seisina*, idem ac possessio, sive naturalis, sive civilis. Henr. II. *ap. Paris. eo. omnes reditus clericorum Archiepiscopi, & possessiones saisias* (hoc est in fiscum redigas) *in manum meam*. *Saisire* est mittere aliquem in possessionem, investire, charta apud Balut. *t.* IV. *miscel.p.*495. *Et eodem anno in divisione apostolorum sesita fuerunt regalia*.

Sagibaro, hoc est vir ætate, & sapientia gravis, qui controversias definiebat, a quo nec ad Comitem, vel Grafionem appellari poterat. Lex Salica *tit.*56. 4. *Sagibarones in singulis mallobergiis, id est plebs, quæ ad unum mallum convenire solet, plusquam tres esse non debent: & si caussa aliqua ante illos secundum legem fuerit definita, ante Grafionem removere eam non licet*. Hodie dici potest *homo legalis*, cujus judicium Gregorius Turonensis *judicium civium* appellat.

Solidus: aureus nummus apud Gallos ante francorum ætatem, solidus dicebatur. Jure Romano sex solidi unciam, septuagintaduo solidi libram auri constituunt, *l. quoties C. de susceptor.* Jure Francico, seu Germanico varia fuit solidi æstimatio. In lege Bojorum tres semisses continet, Lex Baiwarior. *tit.*VIII. 2. 4. *si duas saigas, hoc est* VI. *denarios, vel amplius usque ad unum solidum, quod sunt tres semisses*. Lex Saxonum *ultima*, *solidus est duplex, unus habet duos tremisses, qui est bos anniculus* XII. *mensium, vel ovis cum agno: alter solidus tres semisses id est bos* XVI. *mensium*. Alibi solidus XII. denarios continet: in lege Salica quadraginta denarios, sed Pipinus immutavit, & Carolus M. ad XII. denarios redegit, *lib.* III. *capp.*30. & 75.

Solidata, est valor unius solidi, imo stipendium militibus præstari solitum ostendit. Aut modus agri ad annuum valorem unius solidi. Aut merces, seu stipendium militis a solidario, hoc est, *milite* dictum, Spelm. *h.v.*

Soldurius apud Gallos idem ac *devotus*: In veteri Gallia Principes aliquos sibi habuerunt *devotos*, quorum hæc erat conditio omnibus vitæ commodis simul cum his frui, quorum amicitiæ se dederant. Si suis Principibus quid accidisset, vel occiderentur, ipsimet sibi mortem consciscebantur. Totos enim se, resque suos domino devovebant. In medio ævo litos, lidos, ledos, sevos gle-

bæ vocari discimus, quamvis melior esset eorum conditio, quam servilis ferret.

Servus est, qui vel jure belli, vel pacto alteri servit. Ecclesia, & imperium servos casatos, adscriptitios, fiscalinos, originarios, & libertos cognovit. Servus *casatus* dicitur, qui casæ, seu domus curam gerit, & differt a *vasallo casato*, qui erat feudatarius, licet minorum gentium, cum militibus serviret, partemque prædii jure feudi aut immediate ab Ecclesia, vel privato, aut mediate a majoribus valvasoribus haberet. Maistre *de bon. eccl. lib.* III. *c.* 5. Servus *adscriptitius*, seu glebæ est, cui onus agri colendi incumbit, non proprie servus: nam servus nequit sine domini voluntate ordinari, sed adscriptitius potest, modo onus agriculturæ per alium impleat, *Nov.* 123. *c.* 17. Potius prædio, quam domino serviunt, & si prædium venditur, simul cum eo transit, *l.* 2. *C. in quibus caus. colon.* Ex qua venditione Ecclesia plurimos servos adquisivit, cum quisque prædia Ecclesiæ donaret. Servus *fiscalinus* est, qui ad fiscum, hoc est Regem spectat, melioris conditionis, quam servus Ecclesiæ: nam si liber homo fiscalinam puellam & vicissim duceret, nihil amittebat; quam servi Ecclesiæ melioris conditionis essent, quam servi privatorum; unde homicida servi Ecclesiæ in duplum tenebatur, Lex Alemãn. *tit.* VIII. Nec etiam servus Ecclesiæ ungarias, parangarias, vel alia fisci onera præstabat, Maistre *loc. cit. c.* 7. B. Rhenen. *lib.* I. *Rer. Germ.* Servus *originarius* est filius adscriptitii, cujus conditionem sequitur, *tit. C. de agric.*, Gudelin. *de jure nov. lib.* I. *c.* 5. Libertus est ex justa servitute manumissus est, cujus manumissionis formulas infinitas media ætas suppeditat. Nonnulli ex his onus militiæ, vel tributum, vel censum, annonam, porcum, panem, Ecclesiæ, vel privato præstabant. Aut cudiebant sepulchra: nam veteres christiani in villis, & prædiis more Romano sepulchra habebant. Lex Aleman. *tit.* XXII. Maistre *loc. cit. lib.* III. *c.* 6. Servitus generaliter seculo XIV. exolevit, licet *homines proprii* remanserit, de quibus Wissenbac. & Heinecc. disputant.

T.

TRustis, hoc est *reale servitium*, ut Trustis dominicus est, qui fidem Regi juravit, & in ejus tutela vivit, Cap. Caroli Calvi 53. 20. *ut filius noster cum fidejussoribus nostris in illa parte Regni moretur, ubi major necessitas fuerit, & nemo in villis nostris, vel in villis uxoris nostræ mansionaticum* (hospitium) *accipiat, & nullus homines nostros, sive alios deprædari audeat, & eorum, qui nobiscum vadunt beneficia, & villæ sub immunitate maneant. Quod si aliquis præsumserit, in triplo componat, sicut ille, qui in truste dominico committit.* Ti-

Titulus est lignea tabula in signum possessionis urbanis, vel rusticis prædiis apposita, D. Greg. *lib.* 1. *epist.* 65. *indict.* 9. *quoniam edocti sumus domum Petronii Notarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, a Constantio tunc defensore irrationabiliter titulatam: experientiæ tuæ præsentis præcepti pagina demandamus, ut omni excusatione, vel dilatione omissa, deposito titulo eandem domum præsentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronii sine mora restituas*. Et *lib. v. ep.* 41. *ind.* 13. ubi Stephani cujusdam in Sicilia marinarum rapinas, & invasiones Chartularii Constantinæ Augustæ accusat, *tanta præjudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, invadendo loca singulorum, atque sine dictione caussarum per possessiones, ac domos titulos ponendo*. Valent. *tit. C. de bonis vacant.* Cassiod. *lib.* IV. *var.* IV. *lib. v. epist.* 7.

Tenuta, tenimentum, idem ac possessio, hereditas, feudum, prædium urbanum, quod a domino tenetur. D. de Vineis *lib. v. epist.* 92. *Subsequenter per fratres, & oblatos eosdem, corporali possessione tradita, bonorum omnium, hospitalis ejusdem syndico, heremi nominatæ, vos auctoritate propria, tenuta, seu possessione, ipsorum bonorum spoliantes*. Charta ap. Baluz. *Miscel. t.* 11. *p.* 250. *Tenutas vero, & possessiones Nimphanis esse salvas*.

Tutela feudalis triplex est *testamentaria*, *legitima*, & *dativa*: quæ divisio recenter in feudis nata est. Nam cum olim feuda ad vitam vasalli durarent, tutela testamentaria dari non poterat. Sed antiquior tutela est illa, quam dominus feudi accipiebat defuncto vasallo superstite pupillo, statim dominus tutelam suscipiebat, nec ab eo servitia usque ad an. XIII. & sex septimanas exigere poterat. Quo jure usa est Hispania, Lusitania, Normannia, Anglia, Burgundia, Scotia, licet in annorum pupillarium numero differrent. Et tutela *fructuaria* dicitur, cum interim dominus fructus feudi sibi perciperet, pupillumque educaret, Ludewig. *differ. de tutela fructuaria*. Et senior cum assidue vasallico milite indigeret, etiam ex his fructibus alios alebat vasallos, ut servitia sibi præstarent. Sed cum feuda ad heredes transmitti ceperint seculo IX. & X. tunc testamentaria tutela increbuit. Unde vasallus in allodio, & in feudo potest tutorem pupillo constituere, sive tutor agnatus, hoc est in investitura comprehensus sit, sive extraneus, hoc est in feudo non successurus, Strykius *exam. jur. feud. c.* VII. §. 12. *Tutela legitima* ad agnatos, qui in feudum successuri sunt, pertinet sed si est mater, hæc non ratione successionis, sed affectionis præfertur, & hodie in omnibus Germaniæ provinciis, si pauculas excipias, obtinet, sive Ducatus, sive Principatus sint. Quin imo etiam in Regnis, nempe Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ,

Sve-

Sveciæ, Portugalliæ, Poloniæ, Galliæ, Daniæ, Lorber *Inst. jur. feud. lib.* I. *tit.* 13. §. 80. Verum in Scotia, defuncto Jacobo, ejus filius VII. an. puer succesit, disputatum, an mater tutrix esse posset. In Comitiis Kennedus Fani Andreæ Archiepiscopus orationem ex publico satis petitam regimine, qua matrem tutricem esse non posse probavit. Comitia educationem, non tutelam matri dederunt, apud Buchanan. *Rer. scot. lib.* XII. Si nulli sint agnati, dominus feudi tutelam habebit, sicut si tutor confirmandus erit, dominus feudi confirmabit, cujus interest, qui feudum administrat. In feudis Imperii solus Imp. tutorem assignat, conf. Lorber *loc. cit.*

V.

V*Assallus* dicitur a voce *vassen*, h. e. obligare, vincire. Duplicem conditionem in media ætate induebat: prima, si quis Comitum, Ducum, Marchionum, aut Regis obsequio se manciparet, illorum *vasallus*, aut *vassus* dicebatur, ut quibus aliquod *beneficium* accipiebat. Idcirco jusjurandum fidelitatis præstabat: ut de Tassilone Duce Annales Francorum *ad an.* 757. tradunt, qui se Regi Pippino *in vassatico* commendavit. De eodem Tassilone *ad an.* 787. subdunt, *Contristatus Tassilo venit per semetipsum, tradens se manibus Domini Regis Caroli in vassaticum, & reddens ducatum sibi commissum a Domino Pippino Rege*. Ubi ob vassaticum jusjurandum, ob ducatum, nihil præstitit, prolixe Murat. differt. *de Allodiis*. Hinc viris eruditis nomen *vassi* a voce Gimbrica *Gwas* deduci placet, quæ *famulum*, vel *ministrum* significat. Antiquitus, ut & hodie, Nobiles ad Regis famulicium inhiabant, ut eorum patrocinio gauderent, vel ab iis *beneficia*, seu usumfructum regalium prædiorum acciperent. Et tunc *vassi* dicebantur: *vasalli* iidem erant, sed inferioris ordinis *servitium* occupabant. De utrisque nihil frequentius *in RR. Francorum capp.* occurrit. Secunda, si quis feudum vel a Principe, Ecclesia, aut privato accipiebat, eorum vasallus dicebatur, ut passim in jure feudali Longobardico extat.

Vasallus casatus est inferioris ordinis feudatarius. In Longobardia, & Francia erant Capitanei, ut Duces, Comites, Marchiones, qui a Supremo Principe feuda tenebant: Valvasores, qui a Marchionibus, vel Ducibus, vel Comitibus feuda recognoscebant, quos *lib. v. capp.* 136. vocat *vassos dominicos*, ibi, *vassi dominici de casatis CC. mediam libram. De Casatis C. solid. v. de L. unciam unam, & faciant biduanas, & eorum homines, atque eorum casati, vel qui hoc facere possunt*. Vasallus casatus Valvasori suberat, partemque feudi habebat, Maistre *lib.* III. *de bonis eccl. c.* 5.

Vasallagium est fidei sacramentum, quod vasallus domino suo, a quo

a quo feudum tenet, præstat, sæpiusque, *vassaticum* dicitur. Petr. de Vineis *lib.* VI. *ep.* 9. ibi *absolventes eos ab omni fidelitate vasallagii, seu homagii juramento, quod de mandato prædecessorum nostrorum hactenus præstiterunt.*

Vicecomes est qui vicem Comitis gerit, civilem, & criminalem jurisdictionem præsertim in Scotia exercet. Descriptio Scotiæ ibi, *Vicecomites etiam in suis territoriis, & magistratus in burgis nonnullis de homicidio cognoscunt.* In Normannia est judex, qui in minoribus oppidis jus dicit, Order. Vitalis *lib.* VIII. *H. E.* In Anglia est nomen dignitatis, Dufr. *h. v.* & passim in Italiæ monumentis pro viro militari imperio prædicto occurrit, Landulph. Senior. *Hist. Mediol. lib.* II. *c.* 25.

Vualvasor est qui feudum ab alio tenet. Est que vel *major*, si ab Imperatore, vel Rege, vel *minor*, si a Marchione, vel Duce, seu Capitaneis regni feudum recognoscit I. *f.* I. In Anglia, Scotia præsertim Italia leguntur, Landul. Senior *lib.* II. *Hist. mediol. c.* 10. *quidam urbis milites, vulgo Walvasores nominati clanculo illius* (Heriberti Archiepiscopi) *insidiarentur operibus, adversus ipsum assidue conspirantes.*

Valeti sunt filii magnatum, quasi *vasseti*, respectu patris, qui feudum tenet, cum nondum militare cingulum consecuti sint, qui postea *milites* dicuntur, *lib.* III. *const.* 33.

Vicedominus est Vicarius Episcopi in re temporali, *can.* 2. *dist.* 89. Similis Æconomo, sed ab eo differebat. Oeconomus bona Ecclesiæ dispensabat. Vicedominus domum Episcopi ordinabat, *can.* 3. *ea. dist.* Vicedominus omnibus Episcopi ministris præerat, legationes obibat, feudalem jurisdictionem nomine Episcopi exercebat, civili, & criminali auctoritate fruebatur, & merito Schafnaburg. *de Rebus gest. Germ.* vocat *majorem domus* Episcopi. Et *lib.* III. *capp.* XI. inquit, *de advocatis, Vicedominis, Vicariis, & centenariis pravis, ut tollantur, & tales eligantur, quales, & sciant, & velint juste caussas discernere, & terminare.* Sigebertus *ad an.* 1084. criminale judicium refert, *quo audito parentes hominis occisi nunciaverunt Vicedomino Laudunensi jubente vicedomino, vocata mulier venit, & qualiter hominem occidisset, nequaquam celabit, judicatum est igitur eam ignibus debere concremari.* Olim ex clero eligebatur, proinde pro ea dignitate nihil promitti, vel dari poterat, secus simoniam incurreret *cap.* 38. *de simon.* Deinde etiam ex laicis assumi cepit, qui aliquod beneficium ab Ecclesia tenebat, Morin. *exerc.* XVI. *c.* 5. Altesér. *differ. lib.* II. *c.* 4.

Wadium, hoc est *pignus*, *dare in wadium est pignori dare*. Lex Aleman. *tit.* 3. & 36. *wadium suum donet misso Comitis. Lib.* III. *capp.*

capp. 29. liber, qui se loco Wadii in alterius potestate commiserit. Sæpe significat mulctam, quæ a reo caussa delicti debebatur, Carolus Calvus *tit. 32. cap. 6.* pro qua wavium dari oportebat. Hinc *wadiare*, seu invadiare, pro pignori dare.

Wirgildus, vel *weregildus* est pæna pecuniaria, quæ pro homicidio, aut alio crimine heredibus, vel propinquis defuncti solvebatur. Lex Aleman. *tit. 4. Si quis liber liberum hominem infra januas Ecclesiæ occiderit ad ipsam ecclesiam quam polluit lx. soli componat. Ad fiscum vero similiter alios lx. sol. pro fredo* (hoc est banno) *solvat: parentibus autem legitimum Weregildum solvat.* Et passim in omnibus Barbarorum legibus reperitur. Consuetudo apud veteres Germanos erat crimina non morte, si pauca, videlicet, crimen læsæ majestatis extinguendi, & puniendi, sed pecunia, cum *hominibus* ad pugnas indigerent, & in ætate paupertate depressa major pæna æstimabatur.

FINIS.



